






VE RI TAS



Italy

IURIS ECCLESIASTICI
INSTITUTIONES

IN USUM PRAELECTIONUM

AUCTORE

SEBASTIANO SANGUINETI

E SOCIETATE IESU

IAM IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
AC IN PONTIFICIA SUPERIORE ACADEMIA HISTORICO-IURIDICA
IURIS ECCLESIASTICI ANTECESSORE
SACRARUM CONGREGATIONUM
CONCILII, STUDIORUM, A NEGOTIIS ECCL. EXTR.
CONSULTORE ETC.

EDITIO QUARTA





ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MCMI.

For Tr

S

APPROBATIONES



IN PRIMA EDITIONE

Cum librum cui titulus est: *Iuris ecclesiastici privati Institutiones ad Decretalium enarrationem ordinatae,* a P. Sebastiano Sanguineti nostrae Societatis sacerdote conscriptum, aliqui eiusdem Societatis theologi quibus id commissum fuit recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.
In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo officii nostri munitas dedimus.

Romae die 27 Maii 1884.

THOMAS GHETTI S. I.
Praepositus Provinciae Romanae.

IN SECUNDA EDITIONE

Facultatem concedimus ut opus praedictum denuo typis mandetur si ita iis ad quos pertinet videbitur.
In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo officii nostri munitas dedimus.

Romae die 25 Iulii 1890.

ROGERIUS FREDDI
Praepositus Provinciae Romanae.

RATIO SECUNDAE EDITIONIS

AD LECTOREM

Distractis quotquot erant primae editionis an. MDCCCLXXXIV exemplaribus, cogitandum fuit de secunda editione adornanda, ne copia eorum deficeret iis Seminariis aliisque Institutis qui opus nostrum tamquam textum in scholis delegerant adhibendum. Accedit, eo pacto fuisse idem opus universim favore exceptum, ut sperandum foret alteram eiusdem editionem eodem módo exceptum iri.

Equidem mens erat, non nisi diuturnis curis adhibitis, Institutiones nostras plurimum auctas denuo typis vulgare. Verum ea necessitas quam innuimus nos cogit ut iis dumtaxat in iis expoliendis contenti simus, quae maioris sunt momenti, reliquis minus necessariis interim praetermissis.

Vix igitur opus esset aliquid iis addere quae in prima editione praefati sumus. Quia tamen nonnulla immutanda, quaedam etiam neque levioris momenti adiicienda censuimus, pauca hic praemittenda a nobis sunt ut plene mens nostra lectoribus innotescat.

Illud in primis cuivis forte mirum accidere poterit, nos in hac editione titulum ipsum operis aliquatenus mutasse illudque inscripsisse *Institutiones iuris ecclesiastici,* suppresso apposito « *privati* » quod erat in prima editione. Id non eo pacto a nobis factum est, quod partitionem iuris in *publicum* et *privatum,* quatenus ea significat ius quod dicunt *constituens* seu *quid Ecclesia possit* et ius *quod constitutum* appellatur seu

quid Ecclesia potestatem suam ad actum reducens egerit aut falsam aut saltem minus aptam arbitremur. Attamen cum ex Iure romano, ad formulas quod attinet, sit procul dubio desumpta, fervet adhuc controversia, quaenam obiecta singulis membris sint adscribenda, unde fit ut a quibusdam recentioribus uti Phillips, Vering aliisque, in iure ecclesiastico omnino respuatur. Hinc consultius duximus, ne de verbis digladiari videamur, ab ea formula abstinere et Institutiones nostras, *iuris ecclesiastici* simpliciter nuncupavimus.

Accedit quod ut animadvertimus in prolegomenis (n. 1) significatio quae modo datur appellationi iuris *publici ecclesiastici,* omnino propria est; adeo ut sit pars veluti avulsa ab iuris disciplina et potissimum versetur in mutuis relationibus considerandis Ecclesiam inter et civilem societatem.

Atqui profecto si hoc modo consideretur, iuri *publico* non respondet tamquam aliud membrum ius *privatum*, ita ut ex utroque universa exsurgat iuris disciplina.

His de causis, appellationem illam in hac secunda editione omittendam putavimus. Coeterum etiam ea de caussa tuto appellationem illam omittere licebat, quod in prolegomenis titulum innectere visum est opportunum « *de iuridica catholicae Ecclesiae constitutione* » in quo, licet pressa omnino oratione, quae potissima tamen in iure publico habentur, complexi sumus. His de titulo operis animadversis illud in primis inculcandum videtur, indolem ac naturam Institutionum, ut vocant, eam esse ut *elementa* sint iuris, adeoque iis, veluti propaedeutica disciplina, iuris ecclesiastici candidati eas iam rite praeceptas animo notiones habeant, quibus ad profundiorem perfectioremque iuris scientiae notitiam hauriendam tutius accedant.

Hoc quidem duplici methodo didactica fieri potest. Vel enim ab Institutionibus fit gradus ad veram et propriam Textus Canonici enarrationem, aut saltem, ad eius normam, didacticam iuris canonici expositionem, ut fit in schola Decretalium, vel ampliori methodo, historiae potissimum in legis formula interpretanda adscito praesidio, variae iuridicae scientiae partes perscrutandae intimius assumuntur, haud presso vestigio Decretalium ordine servato.

Ita fit in pluribus universitatibus et hic Romae in *Academia historico-iuridica,* Leonis XIII. sapientissima iuxta ac effusissima munificentia ad perfectiorem iuris utriusque culturam instituta, cui nos ipsi tanquam Iuris ecclesiastici antecessores, ab eodem Pontifice, singulari benevolentia quinque abhinc annis, adscripti fuimus.

Ut utrique scopo Institutiones nostrae responderent, ita iuris elementa proponere curavimus ut paulo liberius tum ad decretalium enarrationem, tum generatim ad profundiorem iuris nostri tractationem ordinarentur. Hinc aeque adhiberi possunt sive gradus deinde fiat ad scholam decretalium proprie dictam, adeoque unico anno sint exhauriendae, sive paulo ampliori ratione sint in schola pluribus annis evolvendae. Si enim schola Decretalium post Institutionum scholam haud haberi debeat, tunc duobus saltem annis opportune facta materiae partitione, textus ipse nostrarum Institutionum viva praeceptoris voce, erit uberius explanandus, servato ordine logico conceptuum et adscitis in rem allegationibus quae in textu indicantur.

Si vero, quod fieri maxime optandum, post institutiones hoc ampliore modo propositas, superior schola iuris habeatur, Institutiones nostrae, ni toti fallimur, huic scopo assequendo, ceu praeparatio omnino respondent.

Ulterius notandum est, ab Institutionibus hoc modo consideratis, alienas esse *pragmaticorum,* quos vocant, fusas et enucleatas enumerationes, itemque practicas ad forensem usum accommodatas quae *in specie,* quam dicunt, *facti* versantur, applicationes.

Quare dum ista facessant oportet, simul tamen omnino requiritur in Institutionibus ut eae tum in rerum delectu, tum in disserendi ordine ac methodo, iuris scientiam tironibus suaviorem efficiant ac gratiorem, quo facilius ad eam profundius cognoscendam alliciantur.

Non tamen eo modo, Institutiones sunt proponendae ut vivae praeceptoris voci plura relinqui opus non sit, secus enim schola ipsa inutilis prorsus evaderet.

Illud quoque notandum est, ob nexum doctrinae et eam quae modo invaluit in theologicis scholis didactica disciplina

plura quae ad Iuris nostri scientiam per se pertinerent, in iis pertractari; quod potissimum in re sacramentaria contingit.

Haec ne inutili geminatione actum ageremus, ut plurimum praetermittenda censuimus, ut suis locis videbitur.

Addidimus vero in hac secunda editione quaedam maximi momenti scholia, quae licet Institutionum ambitum per se praetergrediantur, in discentium utilitatem, si iis uti velint, inserenda opportunum arbitrati sumus et ad eam disserendi methodum pertinent, quam sequimur in praesens in nostris praelectionibus in academia historico-iuridica tradendis.

In appendice vero Instructionem a S. C. EE. et RR. pro caussis disciplinaribus et criminalibus clericorum datam dumtaxat retulimus, reliquis quae in prima editione ibi congesta fuerant praetermissis, eo quod aliis in libris quae in discipulorum manibus versantur, potissimum theologiae moralis, passim reperiuntur.

His de hac altera huius operis editione breviter animadversis, reliquum est, ut si quid utilitatis discentibus ex hoc qualicumque labore nostro obventurum Dei nomine sit, id totum in huius laudem atque obsequium cedat, simulque amorem erga Apostolicam Petri Sedem ac in eius iuribus tuendis impensissimum studium, usque in eorum animis promoveat.

Romae ex aedibus Collegii Germanici Hungarici XII. Kal. August. MDCCCXC.



IURIS ECCLESIASTICI

PROLEGOMENA

---

1. Antequam ad singularum partium Iuris Ecclesiastici tractationem deveniant, in more est Doctorum qui de illo disserunt, quaedam generatim ad maiorem disputationis perspicuitatem praemittere, sive de Iuris universim accepti natura et partitione, sive de Iuris ecclesiastici nominatim origine, natura, historica evolutione, legitimis fontibus, hisque similibus. Huc spectant *Iuris Ecclesiastici Prolegomena* seu *Dissertationes Prooemiales,* prout apud omnes auctores reperire est. Liquet autem ex iis quae in his prolegomenis continentur, quaedam saltem esse quae longe aptius *Iuris Ecclesiastici Publici,* quod vocant, *Institutionibus* praemitti possent, ut ea sunt quae ad Iuris generalem notionem determinandam pertinent aut eiusdem fontes exhibent. At quae causa nobis fuerit, ut mori obsequeremur hactenus servato, ea tradendi ante Iuris ecclesiastici Institutiones, ex eo colligi potest quod Ius publicum veluti pars ab Institutionibus omnino seiuncta, diverso etiam textu adhibito in pluribus scholis spectari soleat.

2. Porro in his Prolegomenis media nobis via tenenda est, ut neque ea quae discentibus necessaria sunt praetermittamus, neque ea quae ad exquisitiorem eruditionem pertinent et fusiorem tractationem postulant prosequamur. In duplicem partem Prolegomena tribuimus, quarum prima *Praenotiones historicas,* altera *Praenotiones theoreticas* complectitur.

PARS PRIOR

IURIS ECCLESIASTICI PRAENOTIONES HISTORICAE

3. Cum haec pars *directe* ad *Historiam Iuris* et *indirecte* solum ad *Iuris Scientiam* pertineat, obiter de ea nobis habendus est sermo. Quia tamen *Collectiones* sunt aliquae legum ecclesiasticarum, quae actu vigent, usuque fori recipiuntur, de his paulo distinctius dicendum est. Duplici igitur sectione hanc partem absolvimus. Prima est, *De Iuris ecclesiastici historica evolutione,* altera, *De usu receptis canonicarum legum Collectionibus earumque auctoritate.*

SECTIO PRIMA

De Iuris Ecclesiastici historica evolutione.

4. Ecclesia, quovis tempore, nobis exhibet in ea vigens legum systema. Id in primis ex eius natura dimanat. Christus enim eam instituit societatem, perfectam, independentem et supremam; societas autem quaelibet legibus regitur neque iis potest carere quin dilabatur. At facto etiam id comprobatur. Notum est trifariam dividi Ius ecclesiasticum, scilicet in *antiquum, novum,* et *novissimum.* Primum ab Ecclesiae exordio ad saec. XII quo Gratianea collectio prodiit portenditur; alterum a Gratiano ad Concilium Tridentinum saec. XVI; tertium a Concilio Tridentino ad haec usque tempora. Non est huius loci eam partitionem illustrare et vindicare: hic eam assumimus tanquam argumentum quo luculenter constat, Ecclesiam numquam legibus caruisse quibus suam evolveret societatis perfectae potestatem, pro sua triplici functione, *legifera, iudiciaria, coactiva.* Hoc igitur certum est.

5. At vero in hac etiam obvia legum ecclesiasticarum recensione, si paulo attentius eas inspiciamus, illud animadvertimus, partem illam quae presse ad ecclesiasticam disciplinam (prout a fidei doctrina distinguitur) spectat, plures easque graves mutationes temporis decursu recipere, adeoque mutabilem esse, simulque, si universim hoc est de integra earum legum complexione loquamur, illud etiam cognoscimus, leges sese mutuo excipere, et quae sequuntur in praecedentibus fundamentum habere. Ut unum obvium exemplum proferam, quid frequentius in Decretis tridentinae Reformationis, quam provocatio ad antiquos canones, ad praecedentium saeculorum sanctiones, eorumque confirmatio et innovatio? (1) At exinde vera oritur ecclesiastici Iuris *evolutio*. Haec enim prout a mera *successione* distinguitur duo requirit: primo, ut plurium sibi succedentium ordo habeatur; secundo, ut in eo quod praecedit rationem habeamus illius quod subsequitur. Quibus ex rerum perfectibilitate illud plerumque consequitur, quo in evolutione progredimur eo magis res quae evolvuntur perfectionem acquirere.

6. Ex hactenus dictis sequitur:

a) ab Ecclesiae exordio ad haec usque tempora successionem haberi legum ecclesiasticarum,

b) eas ita in pluribus differre, ut tamen mutuam inter sese habeant connexionem,

c) ex eo discrimine quo serie temporum aliae ab aliis differunt, apte rationem haberi quo invicem distinguantur:

d) liquet porro, haud nos posse, *ad scientiae normam*, cognoscere leges etiam illas quae actu in Ecclesia vigent, neque eas quando opus sit apte interpretari, nisi earum connexionem cum praecedentibus quoque cognoscamus. Cum enim in his fundamentum habeant, ut superius animadvertimus, neque *legislatoris mens*, neque *legis formula*, neque *adiuncta historica* in quibus lata est, perspici rite possunt, nisi illae cognoscantur. Fieri autem nequit legis interpretatio quin mens legislatoris, legis formula et historica adiuncta prae oculis habeantur.

(1) Ex. gr. Sess. V. cap. 3. de Ref. « Sacrosancta Synodus piis Summorum Pontificum et probatorum Conciliorum constitutionibus inhaerens « easque complectens et illis adiiciens ». Item: *secundum venerabilem beatorum Patrum sanctiones* (sess. VI. cap. 1. de Ref.) et alibi passim.

7. In evolutione ecclesiastici Iuris exponenda, cum magna habeatur rerum diversarum congeries, distinctio aliqua est necessario adhibenda. Hinc sex veluti stadia distinguimus.

I. Ab Ecclesiae exordio ad Concilium Nicaenum I.

II. A Concilio Nicaeno I ad ortum Collectionis Dionysianae saec. VI.

III. A Dionysio exiguo ad ortum Collectionis pseudoisidorianae saec. IX.

IV. A saeculo IX ad saec. XII, quo prodiit Collectio Gratianea.

V. A Gratiano ad Concilium Tridentinum.

VI. A Concilio Tridentino ad haec usque tempora.

8. In hanc partitionem haec sunt animadvertenda:

a) Haec, quae *stadia evolutionis* appellavimus, non sunt arbitrio conficta, sed in singulis habetur *diversus realis character* quo insigniuntur. Hinc ex diversitate huiusmodi characteris oritur ratio distinguendi. Cum autem sit *realis* scilicet *facto* consistat, distinctio statuta non est arbitraria sed exhibet ipsam rei veritatem. Denique cum character ille communis sit iis omnibus quae ad illud stadium pertinent, haud vero ad sequentia vel praecedentia, *proprium* est singulis et iure *distinguens* appellatur.

b) Cum Iuris historia tum successionem eventuum ac legum tum collectiones quibus continentur includat, intelligitur qua de caussa character distinguens plus semel ex ortu alicuius collectionis desumatur.

c) Denique, illud patet; elementum historicum quod etiam in evolutione ecclesiastici Iuris suas partes habet, ad leges rite intelligendas necessarium esse.

9. Antequam singula haec stadia descripta persequamur, opus est breviter innuere qua diversa ratione Ius ecclesiasticum latius scilicet ac pressius accipi possit. Ius ecclesiasticum hic dicimus illud quod ad Ecclesiam Christi pertinet sive *divinum* sit, sive *apostolicum,* sive presse *ecclesiasticum,* prout a Christo vel ab Apostolis, vel ab iis qui in Ecclesia legifera pollent potestate dimanat. Iamvero aliquo sed vero sensu, praeclare dixit S. Epiphanius « *Primum omnium sancta catholica Ecclesia* » (1) qua-

(1) Adv. haeres. lib. I. n. 5.

tenus oeconomia supernaturalis revelationis, sive ea *patriarchalis*, sive *mosaica*, sive *prophetica* fuerit, quemadmodum ad Christum ordinatur et ab eo unice habuit homines ad aeternam beatitatem adducendi virtutem, ita et ad salvatorum per Christum Ecclesiam refertur. Hinc leges divina positiva revelatione hominibus latae atque in primis *Foedus* sinaiticum cum *electo populo* a Deo institutum, dici possent ad Ecclesiae ius pertinere. Sed patet non hac latiore significatione Christi Ecclesiam in praesenti tractatione a nobis spectari. Aliquid tamen ab illa ante Christum supernaturali oeconomia in Christi Ecclesiam presse sumptam transiit et ad eam spectat.

Praecepta enim Veteris Testamenti triplicis generis sunt: *moralia, ceremonialia, iudicialia* (1). Iamvero duo haec postrema post Christum desierunt, at moralia quippe quae iuris etiam naturalis sunt intacta permanserunt, et ad Ius quoque ecclesiasticum pertinent quo fit ut *Ius naturale, Veteris Legis et Christianum* aliquo nexu copulentur.

10. I. Sed praetermissa hac latiore significatione, si presse Ecclesiam a Christo institutam eiusque historiam spectamus, Iuris ecclesiastici origo ab ipsis exordiis rei christianae repetenda est. Praeter enim eas leges quas Christus divinus Ecclesiae Auctor vel per se vel per Apostolos eidem statuit ac Apostoli, revelatione a Christo aut a Spiritu Sancto accepta (Conc. Trid. Sess. IV Decret. de can. scriptt.) Ecclesiae servandas tradiderunt, iidem plures alias ad Ecclesiae bonum, pro potestate sibi a Christo facta, leges condiderunt. Quamvis autem nonnullae ex illis contineantur libris inspiratis Novi Testamenti, (ex. gr. Actt. XV. 29; I. Cor. VII. 12. etc.) maxima tamen pars, ipso praesertim Ecclesiae initio, potius *consuetudine secundum legem* (exemplo et voce propositam) quam scripto legum codice continebatur. Nonnulla tamen quae ad ius canonicum quodammodo pertinent, exstant in scriptis *Patrum Apostolicorum*, ubi tum de Ecclesiae constitutione, tum de praecipuis legibus ecclesiasticis tunc vigentibus sermo fit (2). Id autem etiam colligitur ex

(1) S. Th. 1. 2. qq. 98–106; Suarez, de Legib. lib. IX.

(2) Ex. gr. S. Ignat. M. Ep. ad Smyrn. c. 8; ad Polyc. c. 6; ad Ephes. c. 4. seqq. ad Magnes. cc. 6. 7. etc. Cf. Klee, Hist. Dogm. P. I. cc. 3. 4.

illis sive *canonibus* sive *constitutionibus* Apostolis tributis, quae licet Apostolis manifesto sint supposita, ostendunt tamen quae ibi continentur magna ex parte ex apostolica traditione defluxisse (1).

11. Aucto vero magis in dies christianorum numero, ob latius diffusam Evangelii praedicationem, ecclesiarumque toto terrarum orbe constitutione, atque etiam sensim imminuta fidelium caritate ac pietate, maior exstitit inde necessitas legum ecclesiasticarum quae distincte magis ac determinate ea quae ad Ecclesiae bonum oportebant praeciperent, quae noxia erant vetarent. Huc maxime pertinent, praeter ea quae in Patrum aliorumque scriptorum ecclesiasticorum operibus, qui tribus prioribus saeculis vixerunt, sparsim leguntur (2), canones conciliorum particularium, quae maxime saeculo tertio ac quarto ineunte, variis in regionibus Orientis aeque ac Occidentis celebrata sunt, et plura de ecclesiastica disciplina sanxerunt (3).

Etsi vero, tum pro insectationum ethnicarum acerbitate, tum pro inde necessario exsistente ecclesiae statu externo, plura concedi deberent episcopis singulis ad suam rite ecclesiam administrandam, splendidissima tamen ea saecula exhibent monumenta, tum connexionis mutuaeque dependentiae inter varios subordinatos Hierarchiae gradus (4), tum maxime agniti *semper ubique et ab omnibus,* b. Petri in sua Romana Sede suisque successoribus Romanis Pontificibus primatus *honoris et iurisdictionis plenae et perfectae in universam Ecclesiam;* adeo ut nihil hac in re innovatum aut inductum, ad rem quod attinet, insequentibus saeculis dici possit (5).

Patet autem characterem, quo hoc stadium in se connotatur et a ceteris distinguitur, absentiam esse conciliorum *oecumeni-*

(1) Zaccaria, Biblioth. Selecta Hist. Eccl. P. II, c. ult. a. 5. Sect. 1. n. 4; Hefele, Hist. Conc. Tom. I. pag. 767. sqq.; Card. Pitra, Iuris Eccl. Graecorum T. I. pag. XXVIII-XXXIX et 1-12.

(2) Card. Hergenröther, H. E. Tom. I. 169. seqq.

(3) Du Mesnil, Doctrina et disciplina Ecclesiae etc. lib. II. Mansi, Coll. Conc. Tomm. I. et II.

(4) Sic saec. IV. Can. VI. Conc. Nic. I. de iure patriarchico et metropolitico servanda edicitur *antiqua consuetudo* (τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω). Mansi, Coll. Conc. Tom. II. col. 670.

(5) Euseb., Hist. Eccl. lib. VII. c. 30.

corum, quae ex insectationibus ethnicorum tum maxime in Ecclesiam saevientibus facile intelligitur.

12. II. Postquam vero, ob accessionem christianis sacris a Constantino Magno imperatore factam, Ecclesia *libertatem* primum, dein *tutelam* etiam adepta est legum civilium, atque *oecumenica* concilia fieri coepta sunt, plura in his non modo contra obortas haereses definita, sed etiam ad maiorem perfectionem ecclesiasticae disciplinae plura statuta aut confirmata sunt. Huc faciunt in primis *Conciliorum canones,* a Concilio Nicaeno oecumenico I deinceps, sive oecumenicorum, sive particularium. Sane qua reverentia semper habiti fuerint Nicaeni canones XX, constat totius antiquitatis testimonio (1). A Concilio Nicaeno I ad Constantinopolitanum I, oecumenicum secundum, plures habentur canones Conciliorum particularium in quibus circa ecclesiasticam disciplinam plura statuuntur. Suas quoque leges edidit Concilium Constantinopolitanum I. Tum usque ad Concilium Ephesinum oecumenicum tertium concilia plura recensentur. Post Concilium Ephesinum ad Concilium Chalcedonense oecumenicum IV plura item habita sunt particularia concilia, quorum canones, quae disciplina ecclesiastica in variis ecclesiis tunc viguerit, ostendunt (2).

Canonibus conciliorum accedunt *authenticae* Romanorum Pontificum *Epistolae Decretales,* quarum etsi plures perierint, plures tamen reliquae sunt, ut ss. Iulii – Liberii – Damasi – Siricii – Anastasii – Innocentii – Zozimi – Leonis M. aliorumque in quibus uberrimus habetur fons Iuris ecclesiastici (3).

His denique addendae leges quaedam Imperatoriae, quatenus eas Ecclesia recepit, ut patet ex codice tum Theodosiano tum Iustinianeo.

13. Pronum igitur erat, ob adeo excrescentem ecclesiasticorum canonum numerum, necessitatem agnoscere, eos in ordinatam aliquam compingendi collectionem, quae duplici modo institui poterat et reapse instituta est: vel ita scilicet ut *ordine chronologico* dumtaxat servato, canones conciliorum sive oecu-

(1) FF. Ballerini « De Antiquis Collectionibus et Collectoribus Canonum » Part. II. cap. I. § 3. n. 11. (Opp. S. Leonis M. tom. III).

(2) Coll. Conc. Labb. et Mansi Tomm. I. II. III.

(3) Coustant., Epistolae RR. PP.

menicorum sive particularium simul coniungerentur, numericis notis distincti, vel ita ut *ratione obiecti seu materiae*, unicuique capiti respondentes canones subnecterentur.

Et in Oriente quidem, iam ante Chalcedonense Concilium (451), in usu fuisse constat Codicem aliquem canonum numeris distinctum et sub eadem numerorum continenter serie canones exhibentem praecedentium Conciliorum. Liquet id ex Actionibus IV et XI eiusdem Concilii in quibus lecti sunt canones IV, V, XVI, XVII Concilii Antiocheni I sub numeris LXXXIII, LXXXIV, XCV, XCVI (1). Iamvero simul additis canonibus XX nicaenis, XXV ancyranis, XIV neocaesariensibus, XX gangrensibus, et III prioribus antiochenis IV et V ex his incidunt in numerum LXXXIII et LXXXIV. Porro haec collectio quae praeter recensitos complectebatur canones antiochenos reliquos XX laodicenos LIX constantinopolitanos III adeoque canonibus constabat CLXVI, quo auctore et tempore prodierit incertum est. Testis huius rei habetur ipse Dionysius Exiguus, de quo mox dicemus, qui eam collectionem latine est interpretatus et in suam transtulit, hoc tantum discrimine, quod in unum compactis canonibus IV et V ex Ancyranis, non CLXVI sed CLXV canones numeravit.

14. Quod si potius quam temporis, rerum connexarum habita ratione, hic velimus simul complecti ea quae ad canonum collectiones in Ecclesia Graeca serie temporum usu receptas pertinent, haec potissima innuisse sufficiat:

1) *Primam* collectionem eam fuisse, de qua modo disseruimus.

2) Temporis progressu, ex novis canonibus adiectis eam canones CCVII numerasse et inde extitisse collectionem quae *secunda* fuit.

3) Paulo post, anno circiter DLX prodiit tertia quae auctorem agnoscit Ioannem *Scholasticum* constantinopolitanum patriarcham, cum eiusdem *Nomocanone,* in qua ut ratio ipsa nominis indicat, leges ecclesiasticae civilibus admiscebantur.

4) Post Concilium *Trullanum* (ann. DCXCII) *quarta* evulgata est.

(1) Mansi, Tom. VII. col. 82. 83. 282. 283.

5) Demum anno DCCCXXIX *quinta,* quae *Photiana* dicitur eo quod Photium habuit auctorem, prodiit una cum Nomocanone ab eodem Photio edito.

15. Quod vero in variis exemplaribus harum collectionum, potissimum antiquarum, discrimina reperiantur, sive in serie canonum sive in numero eorumdem, quae tamen discrimina ad *classem* aliquam potius quam ad *singula* exemplaria pertinent, id nonnullis in caussa fuit ut eas in *tres classes* dividerent (1). Ad *factum* quod attinet nihil dicendum; at ad *facti rationem* quod spectat, forte satis probabiliter dici potest, illud discrimen inde oriri, quod ii codices ad diversas ecclesias vel provincias ecclesiasticas pertinebant, quarum unaquaeque ea potissimum curabat quae ad eam magis spectabant, referre. Haec de graecis canonum collectionibus (2).

16. In Occidente vero a Concilio Nicaeno ad Dionysium Exiguum primitus quidem non habebantur nisi canones nicaeni, quo nomine censebantur etiam sardicenses; et quamvis postea duae exstarent ante Dionysium codicis graeci versiones, ut idem testatur (3), nempe *Prisca* et *Isidoriana* nuncupatae, iure tamen post multa prolata argumenta concludunt Ballerinii, in Occidente usque ad saeculum VI non habuisse *auctoritatem* nisi Canones nicaenos (4).

Ex quibus colligitur characterem distinguentem in hoc secundo stadio iure haberi, tum inceptam *oecumenicorum* conciliorum celebrationem ob plane immutatum externum Ecclesiae statum, simulque in Oriente saltem, initia Collectionum sin minus authentica forma usu tamen ecclesiastico receptarum, in Occidente vero factum monumentis comprobatum, Ecclesiae disciplinam, ad scriptas leges quod attinet, non nisi canonibus nicaenis, sardicensibus adiectis, definitam exstitisse.

(1) Phillips, (De I. E. in suis fontibus) § 3.

(2) Cf. Card. Pitra « *Des Canons et des Collections canoniques de l'Église Grecque, Paris 1885* » et *Iuris Ecclesiastici Graecorum historia et monumenta. Romae 1864.* Zallinger, *Hist. Fontium Iuris Canonici* c. 2. et praesertim Ballerinios op. cit. Par. I. Vide etiam: De collectionibus canonum Ecclesiae graecae Schediasma litterarium Friderici Augusti Biener. Berolini 1827,

(3) Mansi, Tom. I. col. 3.

(4) Op. cit. part. II. c. I. §§ I-IV.

17. III. Saeculo VI suam collectionem canonum composuit Dionysius ille cognomento *Exiguus*, tot Cassiodori aliorumque laudibus commendatus, qui etiam fuit cycli alicuius paschalis, maxime vero *aerae vulgaris* qua hodiedum utimur, inventor. Is precibus motus atque hortationibus Laurentii cuiusdam Romanae Ecclesiae presbyteri, ac praesertim Stephani episcopi salonitani in Dalmatia, suam edidit canonum collectionem. In hac primum aliquam graecam, ut diximus, latino sermone redditam posuit, praemissis L canonibus apostolorum, pluribus additis ex aliis graecis collectionibus, et ex originali latino canonibus sardicensibus.

18. Cum summa omnium admiratione ac gratulatione excepta fuisset haec Dionysiana Collectio, alius Romanae Ecclesiae Presbyter Iulianus titulo s. Anastasiae illi auctor fuit, ut Decretales quoque romanorum Pontificum Epistolas in unum colligeret. Id exsequutus est Dionysius, et primus fuit qui *Decretales* a Conciliorum canonibus separaverit, et in seriem chronologicam redegerit. Porro ibi Decretales referuntur a Siricio ad Anastasium II (✠ 498). Cum autem huic Symmacus successerit, hoc Pontifice Collectio Decretalium Dionysiana facta innuitur.

19. Dionysianam canonum Syllogen plures aliae sequutae sunt collectiones, de quibus item haec innuisse sufficiat:

1) Distinguendae sunt *Collectiones* proprii nominis, a compendiariis excerptis earum collectionum, in quibus canones in *titulos* et *locos communes* distribuuntur, adeoque systematicum aliquem ordinem praeseferunt.

2) Generatim dici potest unamquamque regionem suas collectiones habuisse, quae tum versione Dionysiana profecerant cum variis additamentis, tum canones Conciliorum illius regionis continebant.

3) Inter has collectiones prae ceteris nominandae veniunt Collectio Hispana, seu Isidoriana (inter ann. 633 et 636) (1) quae aucta est post ann. 684, et iterum post 694, et Collectio Hadriana sic dicta, eo quod Hadrianus I eam dedit Carolo M. Imp. anno ut videtur DCCLXXIV, quamque Imperator effecit ut reciperetur a Synodo Aquisgranensi (2).

(1) Baller., op. cit. P. III. c. 4; Phillips, op. cit. § VI.
(2) Ibid. cap. 2; Phillips, op. cit. § V.

4) Breviationes vero celebriores sunt Fulgentii Ferrandi, Martini Bracarensis, Cresconii, et aliae editae a Card. De Aguirre (1), quas innuisse satis est.

Cum igitur hoc temporis stadio etiam in Occidente collectiones canonum reperiantur, illud sane notandum, eas omnes ex *genuinis* dumtaxat documentis compactas fuisse, quod profecto cum collectiones respiciat tum integras tum ex iis excerptas vel synoptice contractas, iure tamquam distinguens character huius stadii haberi debet.

20. IV. At saeculo IX prope medio vulgari coepta est Collectio aliqua S. Isidoro Hispalensi perperam tributa, quae magnis contentionibus nostris adhuc diebus segetem uberem suppeditat, uti et antiquiores diu exercuit scriptores; scilicet *Pseudoisidoriana Collectio* falsarum Decretalium (2). Ea quae ad hanc controversiam statumque eius pertinent usque ad saeculum XVIII medians, accuratissime expendunt Ballerinii in illa toties laudata commentatione; adeo ut, si rei summa spectetur, quotquot de Pseudoisidoro scripserunt ad haec usque tempora, maxima ex parte a Balleriniis iam proposita perficiant atque expoliant. His plures accedunt recentiores (3).

21. Si tot investigationum propemodum fructum exhibere quis velit, arbitramur hac propositionum serie illum contineri, quam subiicimus. Etsi vero nos non lateat, non omnes in singulis etiam inter catholicos consentire, nihil tamen etiam penes recentissimos reperire contigit, ita decretorium ut nos ab iis recedere cogat.

(1) Baller., P. IV. cc. 1-6.

(2) « *Decretales Pseudoisidorianae et Capitula Angilramni ad fidem librorum manuscriptorum recensuit, fontes indicavit, commentationem de Collectione Pseudoisidori praemisit Paulus Hinschius* ». *Lipsiae 1863 (nominatim confer. Part. IV-VII).*

(3) *Denzinger Henricus, Ecloge et epicrisis etc.* (ante opera Isidori Mercatoris in Coll. Migne, Tomo unico, sed Collectionis CXXX). Phillips op. cit. cap. 1. § X. Vering *Lehrbuch etc.* § 22. (2. ed.) Freiburg in B. 1881. — Walter, Kirchr. §§ 95-99 maxime vero FF. Ballerini op. cit. Part. III. c. 6. Recentissime, de hac re disseruit clar. Bernardus Iungamnn Prof. Lovaniensis « Dissert. selectae in Hist. Eccl. » Tom. III. Diss. XVI. Ratisbonae 1882. Item V. Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes* (Vol. I. p. 1. § 50). 1886 Gratz.

1) Neque Romae, neque a Romanis Pontificibus multo minus, falsae illae Decretales confictae sunt. Communis haec est modo sententia etiam penes heterodoxos.

2) Ad tempus quod attinet, ea Collectio facta est saeculo IX mediante vel paulo ante; et verisimillimum est eam inter ann. DCCCXLVII et DCCCLIII concinnatam affirmare. Ad locum vero quod spectat, duae prae ceteris urgentur sententiae; nempe vel in urbe Moguntina in Germania vel in urbe Rhemensi, aut saltem in loco aliquo provinciae Rhemensis in Gallia, facta dicitur.

3) Omnibus perpensis, auctoris nomen neque probabili iudicio adhuc cognosci posse dicendum est.

4) Plura in ea collectione authentica esse constat et genuina, eaque desumpta ex collectione Hispana recentiori, Isidoro vulgo adscripta, aliisque sinceris fontibus, saepe tamen interpolata insertisque documentis apocryphis, reliqua impostoris fraude conficta, nominatim Decretales Pontificum a Clemente I ad Melchiadem.

5) Eo tamen sensu esse conficta, quod ex pluribus sint fragmentis contexta, desumptis ex Conciliis, Decretalibus, aliisque ecclesiasticis fontibus ad saecula praesertim IV. V. VI. spectantibus. Haud vero quod per se aliquid contineant, forte paucis exceptis, a disciplina tunc temporis vigente alienum.

6) Falsum omnino est, immutatam prorsus esse ex falsis Decretalibus antiquam disciplinam, ac nominatim inde aucta iura Primatus Romani Pontificis. Hoc enim vel eo solum ostenditur, quod illae Decretales ab omnibus fuerint receptae et nonnisi serius de iis ceptum fuerit dubitari.

7) Omnibus rite perspectis, falsum est omnino S. Nicolaum I Pontificem iis innixum esse, tum in controversia Photiana, tum in controversiis disciplinaribus eius tempore in Gallia exortis. Concedi tamen forsan posset illum Pseudo-Decretales non ignorasse.

8) Si probabili aliqua coniectatione scopum Collectoris Pseudo-Decretalium requiras, is fuisse videtur, ut episcopos a collegarum insectationibus *veteri* asserta, sed commentitiis documentis, disciplina tueretur.

9) Sicuti igitur absurde Protestantes, Ianseniani, Febroniani, Regalistae, Pseudo-Decretales catholicis et Romanae Sedi obiiciunt, ita minus prudenter nonnulli catholici disciplinae ecclesiasticae mutationem, nominatim comparate ad iudicia episco-

porum, factam affirmant ope falsarum Decretalium. Nihil enim in his de ea re dicitur, quod e. g. in Canonibus Sardicensibus rite intellectis non contineatur.

10) Controversia tamen etiam quoad omnes fontes collectionis pseudoisidorianae eliquata non est, atque doctiorum investigationi plura adhuc permittuntur. Hactenus de hac impedita controversia.

22. Ab hac collectione pseudoisidoriana, usque ad Gratianeam syllogen decretorum, plures factae sunt Collectiones, quae falsas Decretales receperunt, uti Reginonis saec. X, Burchardi Wormatiensis et S. Anselmi Lucensis saec. XI, Card. Deusdedit, Ivonis Carnotensis aliorumque quos hic nominasse sufficiat.

Vix opus est animadvertere hoc stadium a praecedentibus omnino distingui, quod veluti characterem sibi proprium habeat immixtionem falsarum decretalium, quae sicuti primum in collectione pseudoisidoriana locum habuit ita in sequentes omnes canonum collectiones infeliciter dimanavit.

23. V. Saeculo XII, anno scil. MCLI, *Gratianus* suum opus edidit « *Concordia discordantium canonum* »; quod cum in usu forensi adhuc sit receptum et suam quadantenus habeat authentiam, ut dicemus, de eo in sectione secunda distinctius agendum est. Post Gratianum usque ad Decretales Gregorii IX, ut vocantur, inter collectores canonum numerantur Card. Laborans, tum Bernardus Papiensis, Ioannes Gallensis aliique, quorum opera eae variae Collectiones prodierunt, quae « *quinque Compilationes* » appellantur et Collectionem Decretalium Gregorii IX non leviter praeformarunt. Anno vero MCCXXXIV evulgata est collectio, quam iussu Gregorii IX adornavit s. Raymundus de Pennafort O. P. Huic Bonifacius VIII adiecit *Sextum librum Decretalium* ann. MCCXCVIII; dein accessere *Clementinae* et *Extravagantes* tum Ioannis XXII tum *Communes*. Ex his, ut dicemus in secunda sectione, coalescit *Corpus Iuris canonici.*

His addendae Pontificiae Constitutiones, quarum plures in Bullariis continentur, itemque *Regulae Cancellariae Apostolicae.*

At vero tum Decreti tum Decretalium oeconomiam paulo sedulo inspicienti, facile apparet in iis non mera quadam numerica serie leges ecclesiasticas recenseri, sed iuxta *scientificum scopum* apte coordinari, quod etiam confirmatur ex eo quod

veluti textus in scholis iuris nostri explanandus ederentur; unde proprius exsurgit ac distinguens character quo hoc stadium insignitur.

24. VI. Denique saec. XVI, post Concilium Tridentinum, iuri ecclesiastico accessere eius decreta et canones, et deinceps ad haec usque tempora *Responsiones* seu *Resolutiones Sacrarum Congregationum.* Quae porro omnia cum actu, licet diverso modo, vim habeant, ad alteram historicarum praenotionum sectionem pertinent.

Qui autem secum reputet quibus in adiunctis Concilium Tridentinum fuerit celebratum simulque comparationem instituat praecedentem inter disciplinam et tridentinam reformationem, ultro fatebitur, eam in pluribus pro tempore necessitate sapienter immutatam fuisse, unde etiam characterem huius stadii (quod modo etiam perdurat) in hac relatione ad mutatam non leviter societatis humanae conditionem constituet.

25. Iuvat tamen ad maiorem rei claritatem breviter ob oculos ponere seriem Collectionum praecipuarum, de quibus hactenus disseruimus, uno schemate iuxta stadia recensita digestam.

I. A saeculo I ad IV.

Canones quorumdam Conciliorum particularium — Scripta Apostolis supposita e. g. *Canones Apostolorum* — *Constitutiones Apostolicae* etc. quae disciplinam exhibent tum ab apostolica traditione dimanantem, tum deinceps inductam pro opportunitate.

II. A saeculo IV. ad VI.

In Ecclesia Occidentali.

Canones Nicaeni quo nomine etiam veniunt Sardicenses, *unice* authentici. Duplex versio Graeci Codicis *Prisca* et *Isidoriana* sic appellata.

In Ecclesia Orientali.

Codex Canonum adhibitus in Concilio Chalcedonensi (utrum ille sit qui refertur a Voello et Iustello (Bibl. Iuris Can. Veteris T. I.) et inscribitur ab iis « *Codex Canonum Ecclesiae Universae* » non satis constat).

Alia ex hac Collectio cum adiectis canonibus, quae *secunda* dicitur.

III. A saeculo VI ad IX.

In Ecclesia Occidentali.

Duplex collectio Dionysii Exigui *Canonum* et *Decretalium.*
Fulgentii Ferrandi
Hispana
Cresconii
Martini Bracarensis
Hadriana

In Ecclesia Orientali.

Collectio Ioannis Scholastici cum *Nomocanone.* Plures aliae, quarum *tres classes* potissimas recensent Critici recentiores.

IV. A saeculo IX ad XII.

In Ecclesia Occidentali.

Collectio Pseudoisidoriana
Reginonis
Burchardi Wormatiensis
Anselmi Lucensis
Cardinalis Deusdedit
Ivonis Carnotensis

In Ecclesia Orientali.

Collectio Photiana cum Nomocanone.

Deinceps omittimus ob schisma Eccl. Orient.

V. A saeculo XII ad XVI.

Decretum Gratiani — Collectiones quarum auctores fuere Card. Laborans, item Bernardus Papiensis, Ioannis Gallensis et alia, quae *quinque compilationes* appellantur — Decretales Gregorii IX — Sextus decretalium — Clementinae — Extravagantes Ioannis XXII — Extravagantes communes — Regulae Cancellariae Apostolicae.

VI. A saeculo XVI ad XIX.

Decreta Concilii Tridentini — Bullaria — Resolutiones ss. Congregationum etc.

SECTIO ALTERA

De usu receptis Canonum Collectionibus eorumque auctoritate.

26. Collectiones canonum seu legum ecclesiasticarum continent maxima ex parte ius *humanum* (1) *scriptum* et *commune.* — Diximus maxima ex parte, quia quaedam etiam sunt in canonibus, quae pertinent ad ius divinum. — Item exhibent ius *scriptum,* quod differt ab iure *non scripto* seu *consuetudine,* et *commune;* agitur enim plerumque de legibus quae Ecclesiam universam respiciunt. Quod vero spectat ad earum *auctoritatem,* ut scilicet *ipsa collectio* fidem faciat, collectiones sunt *authenticae* vel *non authenticae.* (V. Calvin. Lexic. Iurid. v. *Authenticon*) (2).

27. Collectiones *authenticae* sunt auctoritate summorum Pontificum aut *factae* aut *editae* aut *approbatae.* Soli enim Romani Pontifices leges quae universam obligent Ecclesiam ferre possunt. Conciliorum enim etiam oecumenicorum leges nonnisi accedente Pontificia confirmatione vim habent. Authenticae autem triplici modo, ut dictum est, evadunt Collectiones, prout scilicet factae aut editae aut approbatae sunt; sed hoc semper habent ex Pontificis auctoritate. Huius triplicis rationis, qua authentia collectionis habetur, exempla paulo post proferemus. Quae vero collectiones his characteribus haud gaudent, dicuntur *non authenticae.*

28. *Collectiones authenticae eae omnes sunt* quibus coalescit Corpus Iuris Canonici, ut vocatur, uno tamen dempto *Decreto Gratiani,* quod peculiarem de sua authentia animadversio-

(1) Elementum evolutionis iuris humani ex historia ipsa suppetit, quippe legislatio exhibet indolem ac vices illius societatis in qua viget. Hinc fundamentum habet *Schola Iuris historici* quae potest quidem, ut factum reapse dolemus, in pluribus, falsis principiis aut exaggeratis illationibus perverti, at non exinde suam veritatem aut utilitatem amittit.

(2) Conferri potest quod ad aliam omnino disputationem habet Card. Franzelin, Tract. Dogmat. de Divinis Scripturis, Sect. III. Thesi XVIII (ed. 2. Rom. pag. 517).

nem requirit. Sunt autem: Decretales Gregorii IX — Sextus (liber) Decretalium — Clementinae — Extravagantes Ioannis XXII. — Extravagantes communes. Hae sunt *simpliciter authenticae* — Demum Gratiani Decretum quod *quadantenus* solum authenticum est. Breviter de singulis.

29. I. *Decretales Gregorii IX.* — Quinque libris continentur. *Primus* agit de personis quae munus aliquod aut officium in Ecclesiae regimine exercent (quod alii dicunt, de Praelatis seu Iudicibus ecclesiasticis). *Secundus* de Iudiciis deque ordine in iisdem servando. *Tertius* de rebus sive spiritualibus sive temporalibus quae ad Ecclesiam pertinent. *Quartus* de matrimonio. *Quintus* de delictis et poenis. Haec idea collectionis huius *nobis* sufficiens est, neque opus habemus intimius inquirere in nexum logicum singularum partium et in *regulam ordinis* quae eas moderatur. Libri dividuntur in *titulos*, tituli vero in *capita*.

Materiam librorum Decretalium Gregorii IX memoriae iuvandae gratia exhibet quadantenus versiculus:

« *Iudex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen* ».

Porro hanc partitionem S. Raymundus de Peñafort, qui iussu Pontificis Decretales collegit, desumpsit, ut alias diximus, iam praeformatam a Collectione Bernardi Papiensis nominatim. (Cf. *Aug. Theineri Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et Decretalium Collectiones* etc. Romae 1836, pag. 41, § *In novo Codice....*).

Collectio Decretalium Gregorii IX est authentica. Liquet ex Constit. eiusdem quae incipit « *Rex pacificus* » 5 Septembris 1233, qua ipsam Collectionem suo iussu factam dicit itemque iubet « *ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis et in scholis* » et districtius prohibet « *ne quis praesumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali* ». Ex hac verborum sententia *antiquasse* dicendus esset Gregorius eas omnes Constitutiones et Decretales praecedentes quae in hac Collectione non continentur. Hanc sententiam quidam tenent etiam inter recentissimos auctores (1). Aliter sentiunt nonnulli. Certum est canones contentos ex. gr. in Gratiani Decreto sae-

(1) V. Vecchiotti, Instit. Canonic. lib. 1. § 66. v. « *Alterum est* ».

pissime allegari non quod *Collectio* ipsa sit authentica simpliciter, sed quia canones ibi relati eam auctoritatem retinent quam *ex sese* habent ratione fontis a quo dimanant. At dici potest id *ad illustrationem et confirmationem* fieri, quemadmodum quandoque opus est collectiones gregoriana anteriores et quae eam praeformarunt consulere, ut intelligatur recte pars illa Decretalis quae a S. Raymundo allata fuit. Notum enim est eum non integras Decretales sed eas solum partes retulisse quas arbitratus est ad rem facere, reliquas omisisse et id indicasse verbis: *Et infra.* Partes autem omissae dicuntur *partes decisae.* Sed quandoque textus est ita mutilus ut ad sensum probe assequendum opus sit Decretalem integram inspicere. Omissa hac controversia, notandum est, eo ipso quod Collectio *qua talis* authentica est, quidquid in ea posuit *collector* et Pontifex probavit, authenticum aeque esse et vim legis habere. Huc spectat diversa probandi vis quarumdam partium collectionis gregorianae vel quae eidem adiunctae sunt, de quibus aliquid dicendum. Sunt autem *Rubricae — Summaria — Glossae.*

Rubricae sunt *Inscriptiones titulorum,* ita vocatae, quia in antiquis codicibus minio scribebatur. Ex. gr. « *De novi operis nunciatione* » (Lib. V, tit. 32). In collectionibus authenticis sunt et ipsae authenticae, quia expresse a Pontificibus approbatae sunt. Duplicis sunt generis. Quaedam enim integram aliquam sententiam exhibent ex. gr. « *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant* » (Lib. III, tit. ult.) et dicuntur *praeceptivae* et ut leges citantur. Quaedam vero integram non efferunt sententiam ex. gr. « *De Electione et Electi potestate* » (Lib. I, tit. 6) et *directivae* sunt, quia ad explicandum sensum textus inserviunt. Sic Glossa in cap. « *Cum Monasterium 13 de Elect.* ad verba *postulationi eorum praebuisti assensum* » infert Pontificem (Caelest. III) non loqui de mera *postulatione* sed de vera *electione* (quae duo valde inter se differre suo loco patebit) propterea quod canon non sub rubrica *de Postulatione,* sed sub rubrica *de Electione* positus sit. Unde veterum canonistarum adagium « *A rubro ad nigrum valet argumentum* ». Si tamen rubrica textui adversetur, tunc textus anteferendus, quia « *generi per speciem derogatur* » *(cap. 34, de RR. I. in 6).*

Summaria sunt inscriptiones breves *canonum* seu *capitum* et quandoque *paragraphorum* in quas longiora capita dividuntur. Summaria autem ideo dicuntur quia rei summam exhibent. Opera privatorum iurisconsultorum adiecta sunt, ad maius commodum discentium. Hinc *authentica* non sunt, sed praesidium aliquod exhibent doctrinae, non vero vim legis habent nisi cum textu consona sint.

Glossae denique sunt commentaria Doctorum ad textus explicationem, ac margini adscriptae reperiuntur. Vim legis per se non habet Glossa, sed magnum pondus quandoque habet ex auctoritate Doctorum quorum est, ad *directionem;* at semper inspiciendus valor rationum quae afferuntur. De modo allegandi textus paulo post.

30. II. *Sextus Decretalium.* Haec Collectio constat item quinque libris eodem ordine ac Decretales Gregorii IX. Differt vero materia. Continet enim Constitutiones Gregorii IX, datas post promulgatam Collectionem Decretalium, tum Constitutiones sequentium Pontificum ad Bonifacium VIII, an nominatim canones duorum oecumenicorum conciliorum lugdunensium (an. MCCXLV sub Innoc. IV, et MCCLXXIV sub s. Gregorio X). Promulgata est Collectio a Bonifacio VIII, Const. « *Sacrosanctae* » mens. Febr. 1298 et est authentica. Hinc valent de ea quae de *Rubricis* innuimus. Idem ordo titulorum sed non ita ut singulis Decretalium titulis tot in Sexto respondeant.

31. III. *Clementinae.* Constat haec Collectio item quinque libris. Idem ordo librorum, eadem titulorum series ac in Decretalibus, at eadem facta animadversione uti pro Sexto. Materia alia, nam continet Decretales datas post editum Sextum, potissimum in oecumenico concilio viennensi. Quamvis facta iussu Clementis V, cuius nomen retinuit, promulgata tamen fuit ab eius successore Ioanne XXII, Const. « *Quoniam nulla* » 25 Octobris 1317. Est proinde authentica prorsus ac superiores.

32. IV. *Extravagantes.* Haec Collectio Decretales complectitur quae veluti vagantur extra collectiones iam factas. Duplex est Collectio nempe *Extravagantium Ioannis XXII* et *Extravagantium Communium.* Prima longe brevior est et constat tantum XIV titulis et Decretales continet Ioannis XXII. Altera

Decretales complectitur sequentium Pontificum usque ad Xystum IV. Privato studio non pontificia auctoritate vulgata utraque collectio, et auctorem incertum habet, neque constat a quo *Corpori Iuris* inserta fuerit. Usu tamen recepta est et uti authentica Romanis Pontificibus haud contradicentibus habetur; quia non continet nisi Decretales Pontificum, qui potestatem habent in universam Ecclesiam, sed potissimum quia iis tacite saltem consentientibus in foro adhibita est. Extravagantes communes in *quinque* libros dividuntur, sed deest *quartus* hoc est post *tertium* fit transitus ad *quintum*. Libri titulos habent et capita.

Nullo autem pacto collectionibus hactenus recensitis Decretalium ea est annumeranda, quae *septimus Liber Decretalium* inscribitur; neque enim evulgata ea collectio fuit. Ut de ea tamen pauca innuamus, sciendum est Gregorium XIII, uti Bonifacius VIII fecerat in Sexto Decretalium, cogitasse septimum Decretalium evulgare, quo continerentur Pontificiae Constitutiones et canones conciliorum edita post clausum Corpus Iuris per Extravagantes. Sed tum Gregorius XIII, tum Xystus V, eius successor rem infectam reliquerunt et dein Clemens VIII, typis quidem opus mandari iussit, sed variis de causis vulgatum non fuit. Multo vero minus huc pertinet loqui de alia Collectione, quae itidem nomen habet Septimi Decretalium et in quibusdam editionibus Corporis Iuris, ad calcem operis reperitur. Fuit haec adornata privato studio Petri Mattheii iurisconsulti lugdunensis, adeoque nulla prorsus ratione authentica est.

33. *Decretum Gratiani.* Longe recensitis hactenus collectionibus antiquior tempore, et auctoritate minor est Collectio Gratianea quae *Decretum* appellatur. Gratiani opus, ut superius innuimus, quamvis privato studio susceptum, Doctoribus bononiensibus valde probatum, in publicum scholarum usum, dein et in forum invectum est (1). Gratianus illud inscripsit « *Concordia discordantium canonum* ». Hic titulus ostendit mentem auctoris fuisse non *meram canonum collectionem* facere, sed in eos *scientificam inquisitionem* instituere ad tollendas *antinomias*. Hinc in Gratiani opere duae sunt veluti *disserendi* partes, scil. do-

(1) *Phillips, Du droit ecclésiastique dans ses sources* (trad. française par Crouzet § VIII. sqq.).

ctrina ipsa a Gratiano proposita *(dicta Gratiani)* et canones ex multiplici fonte ad doctrinae confirmationem adducti (1). Gratiani opus, honoris causa *Corpus Decretorum* et antonomastice *Decretum* est appellatum. Opus in *tres* partes dividitur. *Prima* continet *Distinctiones* CI in *canones* distributas. *Secunda* continet *Causas* XXXVI in quaestiones et canones divisas; sed causa XXXIII post quaestionem III habet tractationem peculiarem de *Poenitentia,* quae septem habet *Distinctiones. Tertia* denique pars quinque habet Distinctiones et inscribitur *De Consecratione.* Ratione *materiae* dici generatim solet agi in prima parte de *Personis,* in secunda de *Iudiciis,* in tertia de *Rebus* ecclesiasticis. Ceterum satis liquet analogiam cum Iure Civili Gratiano praeluxisse (2). Sed unicuique parti plura ab ea aliena sunt admixta. Hinc latiori solum sensu potest illa materiei partitio admitti.

34. At Gratiani opus utut eximium, pro ea maxime temporum conditione, pluribus scatebat mendis, tum ex apocryphis tum ex corruptis sive Gratiani sive multo magis librariorum errore monumentis. Hinc Romani Pontifices *Decretum* emendari curarunt, et ad id doctissimos aliquos delegerunt viros qui *Correctores Romani* in editis dicuntur. Editionem eo pacto correctam, Gregorius XIII, die 2 Iunii 1582 ita iussit retineri ut « *nihil addatur, mutetur aut minuatur* ». At non exinde Decretum *simpliciter authenticum* effecit; quae sententia licet sint qui aliter sentiant, verior apparet omnibus rite perspectis, eamque Benedictus XIV *(De Syn. Dioec. lib. VII, cap. 15)* communem dicit: « *Gratiani Decretum,* inquit, *quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur,*

(1) V. de fontibus Gratianeis Phillips l. c. et Berardi opere inferius allegando.

(2) Pro nostrarum Institutionum indole abstinendum censemus ab intimiore inquisitione, quo nexu systema Decreti cum systemate Digestorum et Codicis uti et Decretalium, copuletur. Id egregie perfecit clar. Petrus Baldi e S. I. in Pontificia Gregoriana Universitate Facultatis Canonicae tum Professor, edita tractatione, scientia atque eruditione inprimis iuridica maxime commendanda « *In corpus Iuris canonici Commentarius de vera et propria operis oeconomia* ». Quod praeclarum opus lithographico praelo in discipulorum utilitatem excusum, optandum est ut typis editum in plurium commodum ampliorem lucem nanciscatur.

vim ac pondus legis non habet, quin imo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere quantum ex se habuisset si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret, ut videre est in nostro opere De Canoniz. SS. (lib. IV, p. 2, c. 27, n. 10) ». Quae et sententia fuit quam tenuit Rota Romana: *(coram Pegna Decis. 480) « Nec Gregorius XIII Gratiani librum tamquam legalem authenticavit cum solum emendari iusserit* ». Neque insuper vetitum est in ipsa monumenta inquirere. Hoc post *Antonium Augustinum Archiep. Terraconen.* (De emend. Gratiani Dialogg. libri duo) egregie perfecit *Carolus Seb. Berardi* in suo opere: « *Gratiani canones genuini ab apocryphis distincti, corrupti ad emendatiorem codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati* ».

35. Unum adhuc animadvertendum occurrit de Gratiani Decreto, in eo scilicet quosdam reperiri canones qui inscribuntur « *Palea* ». Omissis veterum diversis interpretationibus huius tituli (1), recentiorum sententia est, ea deberi addimenta Gratiani cuidam discipulo, cognomento Paucapalea (Maassen ap. Vering. Manuale I. C. § 21, n. IV, cum nota subiecta). Eidem etiam adscribunt subdivisiones quae modo exstant in I et III parte Decreti (Vering. l. c.). Cum Gratiani Decretum non sit simpliciter authenticum, sit tamen usu receptum, patet cur illud dixerimus *quadantenus* authenticum.

36. Ex hactenus recensitis collectionibus, Decretalium Gregorii IX — Sexti Decretalium — Clementinarum — Extravagantium Ioannis XXII et Communium — Decreti Gratiani, coalescit ea Sylloge quae dicitur « *Corpus Iuris Canonici* ». Haec autem cum in allegationibus adhibetur, peculiares habet compendiarias notas quas hic quoque referre opus est.

37. I. Textus ex libris Decretalium allegantur:

a) per vocem initialem capitis et titulum in quo reperitur, ex. gr. *Cap. Odoardus de Solutionibus;*

b) per numerum capitis et titulum ex. gr. *Cap. 1 de Electione;*

c) per utramque notam ex. gr. *Cap. Sicut Romana 1 de Rescriptis.*

(1) Cf. Schmalzgr. diss. Proœm. nn. 266-270.

Antiquiores canonistae, Decretales spectantes veluti *extra Decretum Gratiani,* textus allegabant ita: *Cap. Sicut Romana X* (extra) *de Rescriptis.* Quaedam magis compendiariae allegationes praesertim in antiquioribus editionibus usu ipso addiscuntur ex. gr. « *De sponsal. Ex parte* » h. e. « *cap. Ex parte de Sponsalibus* ». Si caput est unicum in titulo, tunc ponitur *Cap. unic.,* si ultimus *Cap. ult.* vel *Cap. fin.*

II. Textus ex Sexto allegantur eodem modo, addito « *in 6* » Ex. gr. *Cap. Licet de Constit. in 6,* vel *Cap. 1. de Const. in 6,* vel *Cap. Licet 1. de Const. in 6.*

III. Textus ex Clementinis possent allegari eodem modo ac Decretales, addito solum in Clementinis: ex. gr. *Cap. Eos qui de Consang. et affin. in Clem.* Sed communiter allegatur: *Clem. Eos qui de Cons. et aff.*

IV. Textus ex Extravagg. possent item allegari addito « *in Extravagantibus* ex. gr. *Cap. Unam Sanctam de Maior. et obed. in Extravagg. Comm.* ». Sed compendii gratia: « *Extrav. Unam Sanctam de Maiorit. et obed. inter comm.* » proindeque ubi hoc ultimum non habetur, significatur esse Ioannis XXII, ex. gr. « *Extrav. Cum inter nonnullos de Verb. signif.* ». Aliae notationes, si quae forte occurrant, facile intelliguntur, ex. gr. « *Extr. comm. de Dolo Rem non novam* ».

V. Denique Decretum Gratiani allegatur:

a) in I. p. *Can. Miramur dist. 61; Can. 5, dist. 61; Can. Miramur 5, dist. 61,* Veteres: *dist. 61, Miramur;*

b) in II. p. *Can. Quia iuxta 61, can. 16, qu. 1, (canone... causa.... quaest.)* vel *can. 61, ca. 16, q. 1;*

c) in tract. de poenit. *Can. Lacrimae 2, dist. 1, de poenit.;*

d) in III. p. *Can. 11 Missarum, dist. 1, de Consecr. (canone undec. Missarum distinct. prima de Consecr.);* brevius *dist. 1 Missarum de consecr.*

38. Quare in summam colligendo quae in hac prima parte, quae *Praenotiones historicas* complectitur, disputavimus, comparate ad Iuris ecclesiastici historicam evolutionem, apparet 1) eam pertinere *ratione materiae* ad illud potissimum elementum quod in ecclesiastica disciplina mutabile est atque ex adiunctis externoque Ecclesiae statu pendet: 2) *ratione formae,* eam nonnisi serius ad systematis scientifici normam exactam fuisse,

3) ratione *perfectionis,* eo perfectiorem extitisse quo aliae quoque scientiae ad maius incrementum provectae conspiciuntur: 4) denique ratione *analogiae* cum Iure civili, sicuti posterior fuit tempore, ita et *in forma scientifica* in pluribus ad illius normam accessisse (1). At vero his quatuor elementis absoluta historicae evolutionis Iuris ecclesiastici idea exhibetur.

(1) V. in op. cit. Aug. Theinerii, Disquisit. IV. « De Iure Civili Romano quod in antiquis canonum collectionibus aliisque ecclesiasticis monumentis occurrit » (Auctor est Carolus e comitibus De Reisach dein S. R. E. Card.).



PARS ALTERA

IURIS ECCLESIASTICI PRAENOTIONES THEORETICAE

39. Collector Decretalium Gregorii IX antequam, iuxta methodum superius memoratam (29), ecclesiasticas leges recenseat, quatuor veluti praeambulos titulos ponit quibus generalem theoriam legum ecclesiasticarum exhibet. Item auctor Decreti Gratianus opus suum auspicatur viginti distinctionibus, quibus tum generatim legum quarumcumque tum speciatim legum ecclesiasticarum theoriam iuridicam accurate proponit. Uterque normam hac in re secutus est Iuris Romani, siquidem tum in Institutionibus (I, 1, 2) tum in Digestis (I, 1, 2) eodem modo de iure generatim disseritur.

Huic methodo insistentes, praenotiones has *theoreticas,* quae scilicet in ipsa rei natura consideranda versantur, paulo ampliori ratione ac in prima huius operis editione effecimus, ita proponere aggredimur, ut hunc veluti idearum logicum nexum persequamur. Agemus primo de iuris universim accepti, ac nominatim de iuris ecclesiastici notione. Quia vero ius ecclesiasticum eo nomine appellatur quod ab Ecclesia dimanat et ad eam ordinatur, quae potiora sunt, ad divinam Ecclesiae constitutionem quod attinet, contracta locutione revocabimus ex ea Iuris parte quae *Ius publicum ecclesiasticum* nostra hac aetate appellatur, eo fere modo quo in Decretalium collectione titulus praemittitur *De Summa Trinitate et Fide Catholica.* Hanc tractationem altera excipiet, de fontibus Iuris canonici. Generalem dabimus deinde legis ecclesiasticae universim inspectae theoriam. Cum vero consuetudo veluti *lex non scripta* censeatur, hinc de consuetudine erit nobis disserendum. Denique obiectivam legum ecclesiasticarum partitionem, iuxta quam in Institutionibus singillatim considerantur, statuemus. Patet autem, si quis velit

comparationem instituere nostram methodum inter et quatuor priores titulos libri primi Decretalium, nos presso vestigio iisdem insistere, quod ut plenius exequamur, tractationem hanc sicuti et reliquum opus in Titulos partimur.

TITULUS I.

De Iuris universim accepti, ac nominatim de Iuris ecclesiastici notione.

40. Cum Iuris ecclesiastici notio complexa sit, ex idea generica *Iuris* et apposito *ecclesiastici* quod illam ad determinatam aliquam speciem reducit, quaedam nobis primum de generica Iuris notione breviter attingenda.

41. Constat in primis Iuris vocem multipliciter usurpari. *Ius* enim dicitur:

1) Quidquid quovis modo bonum et aequum est.

2) Quidquid est legi cuicumque conforme seu legitimum.

3) Legitima facultas ad aliquid *(Ius possidendi etc.)*.

4) Sententia ipsa quae a Iudice profertur *(Ius dicere)*.

5) Locus ubi ius dicitur *(In Ius vocare)*.

6) Necessitudinis vinculum *(Ius cognationis, affinitatis etc.)*.

7) Lex seu iussum *(Ius naturale, positivum, etc.)*.

8) Legum complexio aut scientia *(Ius Romanum, Iurisperitus)*.

9) *Id quod iustum est per aequalitatem unius cum altero,* quasi *ius* per apocopen ab *iusto* dicatur.

Alias etiam vocis Iuris acceptiones vide penes auctores (1).

42. At vero si quaeratur quaenam ex his propria haberi debeat ac veluti radix a qua ceterae per quamdam analogiam dimanent et ad quam reduci possint, arbitramur aliam esse responsionem, prout res *relative* aut *absolute* spectatur. Si enim spectetur *ius* ut obiectum illius moralis virtutis quae *iustitia* dicitur, iure affirmat Gregorius de Valentia (2) primaevam iuris significationem eam esse quam ultimo loco recensuimus, idque

(1) Calvinus, Lexic. Iurid. v. *Ius.*

(2) De Virtutibus etc. disp. 5. q. 1. punct. 1. § « *Sed accipimus* ».

auctoritate Aristotelis comprobari. Si autem spectatur ut *obiectum scientiae* (1) quatenus eo exhibetur « *systema legum quibus societas aliqua ordinatur ut et conservari et finem suum assequi possit* » ius idem esse ac *Iussum* adeoque sub hoc respectu hanc esse primigeniam maximeque propriam iuris significationem dicendum (Cf. Suarez, de Legibus, lib. I, cap. 2, nn. 4-8).

Verum rem intimius inspiciendo arbitramur, *absolute* etiam hanc esse primam vocis *Iuris* acceptionem. Si qua enim praeferri potest ea unice est qua Ius a *iusto* seu *iustitia* dicitur. At vero si ius illud dicitur quod *per aequalitatem quamdam unius cum altero* iustum est, norma unde de hac aequalitate rite iudicetur adsit oportet; quae alia esse non potest nisi ea suprema et aeterna Lex (Iussum) quae ceterarum fons est ac moderatrix.

43. Ius igitur nobis est idem ac *Iussum*. Patet autem 1) facile ad hanc acceptiones reliquas per quamdam analogiam reduci posse; itemque 2) aeque facile intelligi Iuris partitiones sive ratione *auctoris* a quo *Iussum* dimanat, sive ratione *modi* quo manifestatur, sive ratione *amplitudinis in obligando,* unde dicitur Ius *divinum* vel *humanum-scriptum* vel *non scriptum-universale* vel *particulare;* sed de his paulo inferius.

44. Statuta *Iuris* notione generica, ad appositum quo circumscribitur deveniendum est. Quid est igitur *Ius ecclesiasticum?* Cum Ius, ex iam dictis, nobis hic sit « *Systema legum* etc. » si haec societas Ecclesia sit a Christo instituta, *Ius* erit *ecclesiasticum* illa legum complexio qua regitur.

At vero constat duplex esse in qualibet societate huiusmodi legum systema: 1) quo societatis constitutio definitur tum comparate ad *potestatem* quam habet, tum comparate ad *subiectum* in quo potestas residet, et dicitur *Ius constituens;* 2) quo societas constituta potestatem suam per idoneum subiectum pro triplici functione; *legifera, iudiciaria, coactiva* ad actum reducit. Hoc dicitur *Ius constitutum* scilicet *systema legum quo Ecclesia suam potestatem, per idoneum subiectum, pro triplici functione legifera, iudiciaria, coactiva ad actum reducit.*

(1) Cf. Tarquini I. E. P. n. 1. Praeclarum hoc opus Card. Tarquini, quo praeceptore gloriamur, in iis quae ad ius publicum spectant ceu normam in his praenotionibus sequimur, quod semel dictum sufficiat.

In comperto est, inde divisionem illam scientificam iuris ecclesiastici ortum habuisse qua in *publicum* et *privatum* dispescitur. Diximus in praefatione quibus de causis ab his appellationibus in hac altera operis editione satius duximus abstinendum. Ubi enim de obiectiva veritate utriusque legum systematis constat, haud lubet de nominibus cum quolibet digladiari.

45. Statuta Iuris ecclesiastici vera notione, haud magno labore aliae intelliguntur Canonistis usitatae eiusdem appellationes. Etenim :

1) Ecclesia Christi, Spiritum habens Veritatis iugiter assistentem, ita legibus suis *imperat* ut eae maxime sint veritati conformes, adeoque ita sint leges *imperio* ut non minus sint *regula* seu canon (χανών) sapientia *ad persuasionem* ingerendam. Hinc ius ab Ecclesia latum peculiari ratione *canonicum* audit. Cave tamen ne cum quibusdam sublestae fidei ita *vim persuadendi* exaggeres, ut *verum ac proprium imperium* excludas (1).

2) Cum finis Ecclesiae proximus, sit *sanctificatio animarum,* ultimus *assequutio vitae aeternae* adeo ut quae temporalia sunt ad spirituale ordinentur *(Extrav. « Unam Sanctam » de Maiorit. et obed.)* eiusque veluti rationem induant, hinc *res sacrae* ad ius ecclesiasticum maxime pertinent ab iisque *Ius Sacrum* aptissime nominatur.

3) Denique cum potestas in Ecclesia non ad omnes fideles pertineat sed ad partem nobiliorem ita ut potestas *iurisdictionis* de qua praesertim in iure canonico sermo est, a Romano Pontifice ceu fonte promanet (quod ut theologice demonstratum et *certum* assumimus) licet determinata ratione in diversis Hierarchiae gradibus eiusdem potestatis alii quoque participes fiant, sive ex *Christi lege,* sive ex *Ecclesiae institutione,* sive munere *ordinario* sive *delegato;* hinc fit ut Ius ecclesiasticum merito *Pontificium* antonomastice nominetur. Id scilicet duplicem habet causam: 1) *directam et primariam,* quia a Summo Pontifice Christi Vicario eo quod diximus pacto dimanat; 2) *secun-*

(1) Iuxta nonnullorum sententiam *Ius canonicum* illud est *quod scripto legum codice eoque authentico continetur; Ius* vero *ecclesiasticum, quod medio quovis legitimo ab Ecclesia dimanat.* Plerumque tamen hae voces synonymae habentur.

dariam et consequentem, quia ab episcopis nominatim participatur.

4) Pariter quodnam sit legum ecclesiasticarum *subiectum* facile dignoscitur. Ecclesia enim ita est societas a Christo instituta ut sit in primis societas *necessaria,* ad quam proinde omnes homines Dei misericordis salutifera voluntate ordinantur vel *a*) *destinatione* vel *b*) *actuali subiectione,* quatenus nempe vel eam ingredi debent, vel eam iam ingressi sunt. Quare character aliquis haberi debet quo haec actualis subiectio determinatur. Hic est baptismus, quo et Ecclesiam ingredimur et eidem subiicimur. Insuper subiectio actualis potest esse *praestita,* vel *debita* quidem sed non praestita, quatenus aliquis ea quidem tenetur sed eam praestare detrectat. Denique illud liquet, leges ad eos pertinere qui membra sunt societatis, haud vero ad eos qui nondum societatem utut necessariam ingressi sunt, iis siquidem solummodo officium est eam ingrediendi. Quamobrem sequitur ratione *subiecti legum* ecclesiasticarum :

a) qui destituuntur charactere baptismi, h. e. infideles cuiuslibet religionis, eos non subiici legibus Ecclesiae (I. Cor. V, 12);

b) qui characterem habent baptismi, eos *per se* subiici legibus Ecclesiae, sive catholici sint, sive haeretici, apostatae etc. qui subiectionis officium detrectant. Dixi *per se,* nam Ecclesia potest si velit hos a lege quandoque eximere (Cf. Ben. XIV Const. *Singulari* 9 Febr. 1749 ; Bull. Ben. XIV Tom. III, pag. 2, ed. Venet. 1776).

5) Ad *obiectum* vero Iuris canonici rite determinandum haec tenenda sunt. Ecclesia pro sui finis ratione, debet efficaciter urgere homines, ut cooperantes gratiae suam salutem operentur. Leges igitur ecclesiasticae ad id ordinantur. Quare tamquam obiectum *materiale* propemodum habent *fidem* et *mores* seu *disciplinam.* Fides enim et opera ad salutem requiruntur. At quanam ratione sibi propria leges ecclesiasticae hoc obiectum attingunt, seu quodnam est Iuris canonici *obiectum formale?* Ad hoc animadvertimus, fidem rectam bonosque mores non solum spectanda esse prout ad christianos singulos referuntur, sed etiam prout ad ipsam christianam societatem *qua talem* perficiendam ordinantur, proindeque non solum ut ratione *moralis actus* conscientiam attingunt, sed etiam in *externa sociali manifestatione*

sua regimini Ecclesiae subsunt. Leges porro ecclesiasticae potissimum *prout actum socialem* attingunt et sunt sua sanctione munitae (S. Th. 1–2. qu. 92, a. 2, in corp. v. *Id autem*) fidem, mores, disciplinam respiciunt. Hinc dici potest, *obiectum formale* Iuris canonici esse fidem, mores, disciplinam prout haec *media sunt obligatorio modo proposita membris Ecclesiae ad finis assequutionem.* Unde intelligitur 1) quid sibi velit effatum illud « *Ecclesia non iudicat de internis* » itemque 2) discrimen deprehenditur quo idem *materiale* obiectum attingunt Theologia dogmatica et moralis, Historia Ecclesiastica et Ius Canonicum. Theologia enim dogmatica fidem, mores, disciplinam spectat ratione conformitatis cum Regula fidei in ordine ad veritatem, Theologia moralis ratione conformitatis cum Regula morum in ordine ad bonitatem seu pravitatem, Historia Ecclesiastica in *historica evolutione* quam serie temporum in *vita sociali Ecclesiae* fides, mores, disciplina habuerunt. Ius Canonicum vero fidem, mores, disciplinam respicit *prout lege ecclesiastica sua sanctione munita proponuntur.*

6) At vero cum ius ecclesiasticum seu canonicum inde eam appellationem recipiat quod ab Ecclesia a Christo instituta seu catholica dimanat, evidens est longe perfectius eius indolem dignosci si quae, potissima saltem, ad iuridicam catholicae Ecclesiae constitutionem pertinent, prae oculis habeantur. De his proinde titulo qui sequitur agendum.

TITULUS II.

De iuridica catholicae Ecclesiae constitutione Syntagma.

46. Si quaeras quanam de caussa Collector Decretalium Gregorii IX, principium fecerit titulo « *De Summa Trinitate et Fide Catholica* », respondet alios inter Pirhing his verbis: « Sicut « Iustinianus Imperator suum Codicem, ita Summus Pontifex « Gregorius IX Ius canonicum auspicatur a Summa Trinitate « et fide catholica, partim quia sacri Canones sunt veluti quae- « dam determinationes vel conclusiones, ex lege divina et fidei « praeceptis tanquam principiis deductae *(cap. Qualiter 24 de*

« *Accus.),* partim quia Deus est principium universorum *(C. 1* « *h. t.)* praesertim iurium et legum; iura enim humana per « imperatores et reges saeculi Deus distribuit generi humano et « *Fides catholica est fundamentum cui inaedificata est Ecclesia;* « *ac proinde ei etiam innititur universum Ius ecclesiasticum,* « *quo gubernantur membra Ecclesiae ». (Pirhing de Summa Trin. n. 1).*

47. At vero haud nos multum ab hoc sapienti consilio abludere arbitramur, si iis quae sumus dicturi de ecclesiasticis legibus tum in genere tum in specie, ceu fundamentum praestituamus compendio collectam universam doctrinam de vera Ecclesiae Christi, e qua ecclesiasticae leges dimanant, iuridica constitutione. Dum autem dicimus *iuridicam* constitutionem, planum fit nos hic Ecclesiam spectare non *theologice* sed *iuridice;* quatenus ea omnia, quae de divina Ecclesiae institutione, natura, proprietatibus ac notis, itemque de potestate tum *ordinis* tum *iurisdictionis,* ex revelatis fontibus patescunt, ut lemmata ex theologica demonstratione in rem nostram opportune recipimus quidem, at illud potissimum tamquam inquisitionis scopum habemus, ut societatis formam quam Christus Ecclesiae suae inditam voluit eiusque insitos characteres in primis spectemus, tum potestatem expendamus quae exinde dimanat, denique quodnam sit subiectum in quo haec potestas residet, investigemus. Ut enim scite animadvertit Card. Tarquini (1), ad haec tria Ius illud quod *ecclesiasticum publicum* nuncupatur, apte redigi potest.

Quin et illud addere liceat, divisionem illam ecclesiastici Iuris in *publicum* et *privatum,* quam morosiores haud pauci etiam rite explanatis terminis (44) stomachantur, aptissime exhiberi forte posse, si dicatur, duplicem distingui oportere ecclesiastici iuris partem, quarum prima *de iuridica Ecclesiae constitutione,* altera *de legibus ecclesiasticis* sermocinatur.

Cum vero nobis mens ea non sit, fuse omnia persequi, sed imo pressissima oratione velimus complecti quae ad Ecclesiae iuridicam constitutionem pertinent, illud etiam patet cur huic

(1) Op. cit. n. 3. Quamvis porro ex tribus recensitis diserte solummodo secundum et tertium commemoret, liquet ex modo disserendi nn. 42 sqq. primum necessario supponi.

tractationi *syntagmatis* appellatio conveniat. Quod si *Iuris publici* Institutiones secretim tradantur, titulus hic vel omitti vel solummodo legi potest.

48. Iamvero

I. Illud in primis tanquam certum et aliunde demonstratum assumimus, Christum ita Ecclesiam suam instituisse ut eidem *societatis* formam inditam voluerit, cuius finis *ultimus* adeptio vitae aeternae, *proximus* vero sanctificatio in hac vita comparanda. Cui obtinendae Ecclesiae quantum est ex se *efficaciter* fidelibus opitulatur, duplici potestate *ordinis* et *iurisdictionis* (1).

II. Hinc eam statuere possumus velut fundamentum disputationis, Ecclesiae notionem, ut ea sit: *societas ab ipso Christo Deo ita instituta ut proprius eiusdem finis sit adeptio vitae aeternae, atque ita proprius ut extra eam acquiri nullatenus possit* (2).

III. Porro Ecclesia non solum est societas, sed est insuper *societas perfecta,* quae scilicet in se habet omnia media ad finis sibi praestituti assequutionem necessaria, sive *realiter* sive saltem *virtualiter,* quatenus scilicet *ius habet imperii* ad ea exigenda ab alia societate; seu ut praeclarissima utamur S. Thomae (3) formula « Ecclesia est societas perfecta quia est aliquid *in se totum,* non vero est *ad modum partis* in alia societate » (4). Est enimvero societas perfecta

1) *natura sua,* quatenus ita est a Christo instituta ut sit *in se suprema,* eius quippe finis est supremus; est enim finis ultimus ad quem ceteri ordinantur. At vero natura societatis et quidquid ad eam pertinet ab eius fine determinantur. Societas autem suprema est necessario *perfecta* sensu explicato. Competit erga Ecclesiae potestas societatis perfectae quae triplici *functione* explicatur, *legifera, iudiciaria, coactiva* (5);

2) *positiva Christi voluntate,* prout ea, *praeter ipsam naturam institutionis, diserta affirmatur divina multiplici testificatione.* Constat siquidem

(1) V. theologus in tractatu de Ecclesia.
(2) Tarquini, Op. cit. I. 41.
(3) 1-2. q. 90. a. 3. ad 3.
(4) Tarquini, I. 6-15. 42.
(5) Tarquini, Op. cit. I. 43. coll. 14-27.

a) ex divinis Litteris Ecclesiam exhiberi auctam potestate *origine* divina, *amplitudine* incircumscripta, *exercitio* independente. Atqui his characteribus exhibetur societas perfecta.

b) Patres tum testimoniis *complexis* sive *absolute* potestatem tribuunt Ecclesiae *propriam* et *incircumscriptam,* sive *comparate* potestatem qualibet civili excellentiorem; tum testimoniis *disiunctis,* id nominatim, praedicant de functione vel legifera vel iudiciaria. Porro absonum est unam ex his esse prout societati perfectae competit, nisi et aliae aeque tales exsistant.

Atqui hi characteres a Patribus in ecclesiastica potestate agniti exhibent societatem perfectam.

c) Definitiones Ecclesiae, quae absque petitione principii vel circulo vitioso proferri possunt in hac disputatione (47), *directe* idem demonstrant ac Patrum testimonia; sed *augustiore forma* et *maiore dignitate testificationis,* nempe Conciliorum oecumenicorum decretis vel pontificiis Constitutionibus; *indirecte* vero idem evincunt, quatenus constat Ecclesiam semper damnasse quidquid ullo modo suam potestatem minuat vel alteri societati subiiciat. Atqui id eatenus intelligitur, quatenus semetipsam perfectam esse societatem tueatur (1).

IV. Cum Ecclesia ex hactenus demonstratis (heic III. 1) sit societas perfecta natura sua, quatenus Christus ei indidit naturam et formam societatis perfectae, quidquid in conceptu potestatis quae societatis perfectae competit continetur, et in exercitio eiusdem per triplicem functionem legiferam, iudiciariam, coactivam ad actum reduci potest, *id totum Ecclesiae tribuendum est.* Duplex imo attendi debet character huius ecclesiasticae potestatis. Primus est, Ecclesiam ita esse societatem perfectam, ut talis sit positiva divina institutione adeoque sit societas *divina;* alter vero, qui legitime inde profluit, ut quidquid in conceptu potestatis eiusque functionum continetur non solum non sit minuendum, cum ad Ecclesiam transfertur, sed potiore imo et perfectiore modo eidem tribuendum sit. Quare ii, exempli gratia, non sunt audiendi qui ab exercitio potestatis coactivae ecclesia-

(1) Tarquini, Op. cit. I. 44-48. Testimonia ibi singillatim proferuntur ex quibus argumentum illud prodit quod sub *a*) *b*) *c*) determinatis formulis a nobis hic exhibetur.

sticae etiam supremae, actum aliquem excludunt, qui *ex sese* ad coactivam potestatem in societate perfecta spectare potest.

V. Ecclesia Christi ita est *in se* Societas *perfecta, independens, suprema,* ratione suae *intrinsecae excellentiae,* ut etiam *comparate* ad societates quibus coexsistit *gradu suprema* sit ac porro dici debeat.

VI. At vero cum, ratione finis a quo natura societatis cuiusvis determinatur, generatim pro duplici felicitate *aeterna* scilicet et *perfecta,* et *temporaria* licet *imperfecta,* quotquot in mundo exsistunt societates ad *Ecclesiam* et *societatem civilem* reducantur; Ecclesia ut gradu suprema, si generatim ad civiles societates comparetur, iis potior est et anteferenda in iis quae *quovis modo ad Ecclesiae ipsius finem spectant.*

Societas vero civilis in iis quae *formaliter* et *absque ullo alio respectu* ad eiusdem finem, qui est assequutio felicitatis temporalis, pertinent, sui iuris est et hoc pacto perfecta, et *in suo ordine* indepèndens et suprema.

VII. Cum autem societas aliqua triplici modo ex iure naturae et sociali alteri societati cui coexsistit *extranea* esse possit, scilicet *per abstractionem* quando utraque iisdem membris coalescit, qui diversis obligationibus, quibus societas utraque in ea hypothesi repraesentatur, simul sunt obnoxii; *ex parte,* quando licet *facto* ab alia una aliena sit, *iure* tamen haec ad illam pertinet; *ex toto,* quando societates neque *iure* neque *facto* (45. 4) ullam invicem praeseferunt habitudinem; in earum mutua comparatione eae leges servandae sunt quae et legitima iura tuentur, et conflictum vel excludunt, vel, si forte hominum vitio adsit, ad pacificum statum apte restituunt (1).

VIII. Patet autem, si haec ad Ecclesiam et societates civiles quibus coexsistit transferantur, inde oriri inquisitionem de gradu et iuribus Ecclesiae comparate ad societatem civilem *catholicorum, haereticorum* et *infidelium.* Ecclesia autem ad illas refertur *ratione sui finis* (heic VI) qua parte eidem illae quoque subiiciuntur. Praestat autem in singulis *nativum* prius ac *iure debitum* relationum systema, dein quae illi adversantur considerare (2).

(1) Tarquini, Op. cit. I. 48-53 coll. 27-39.
(2) Ib. I. 52.

IX. Systema *nativum* relationum quae exsistunt inter Ecclesiam et societatem civilem catholicorum his capitibus continetur:

1) Ecclesia quippe quae societas est perfecta, independens et suprema, gaudet *suis omnibus iuribus* et libere potest exercere totam suam in bonum fidelium potestatem, prout ipsa iudicat expedire, et ius habet *imperii* exigendi, si opus habet, quaedam insuper media a societate civili pro sui finis ratione; societas vero civilis nihil potest sive in suis legibus sive in suis actibus admittere quod Ecclesiae constitutioni ac iuribus adversetur (1). *(SS. D. N. Leonis PP. XIII. Litt. Encyclic. « Arcanum » 10 Februar. 1880; « Immortale » 1 Nov. 1885).*

2) Ecclesia ius habet proinde saltem *ut norma negativa,* influxum suum exercendi in societate civili, qua parte eius leges aut acta finem Ecclesiae attingunt, scilicet sanctificationem et salutem aeternam fidelium ac generatim rectam fidem et bonos mores. Hinc societas civilis nullo pacto potest legibus iniquis aut fidei et ecclesiasticae disciplinae contrariis, aut immunitatibus et privilegiis Ecclesiae legibus sive individuis sive collegiis concessis quae tamquam *partes* ad eam pertinent (2), oppositis, evadere impedimentum pro civibus suis catholicis quominus ipsi finem suum ultimum scilicet salutem aeternam consequi possint: impedimentum inquam ex ipsa sua constitutione ac legibus, non vero per accidens hominum vitio qui legibus abutuntur.

Nominatim societas civilis nequit abolere aut arbitrio suo coarctare sive publicam et externam professionem consiliorum evangelicorum sive exercitium publicum pietatis aut christianae charitatis, adeoque Ordines regulares, sodalitia et loca quaelibet pia Ecclesiae *unice ex sese* subsunt, eiusque legibus et auctoritate regi debent. Quare si quid forte legitimi in hac re iuris habeat civilis potestas, id unice ex Ecclesiae concessione repeti debet.

3) Ecclesia proinde iure proscribit ac damnat libertates illas, ut dicuntur, *conscientiae et cultus, typorum, scholae a religione*

(1) Tarquini, Op. cit. I. 53-63.
(2) Ib. 48. coll. 35.

alienae, aliasque quibus tanquam principium praestruitur, *errorem eadem iura habere ac veritatem; nullam exsistere oportere cultus religiosi formam socialem; aliam esse vitae rationem, quae ad conscientiam ac moralitatem individuorum pertinet, aliam vero quae civilia iura ac officia moderatur.*

4) Si ea exsistant adiuncta in quibus ad maius malum devitandum Ecclesia sua legitima in societatem civilem potestate, *facto* se permittit aut tolerat aliqua ex parte vel etiam ex toto privari; id nullatenus ius nativum minuit aut perimit; adeoque sedulo cavendum est catholicis ne periculosae pacis amore, *factum cum iure confundant,* et veluti socialis status progressum ac perfectionem existiment quod ex sese regressus et maximum malum haberi debet. Licet tamen iis et quandoque etiam officium inesse potest *iuxta normam a Romano Pontifice praestitam sive directe sive indirecte* per episcopos eidem consentientes, iis libertatibus uti ad Ecclesiae et Romani Pontificis nominatim iura tuenda, magisque quo fieri potest bonum promovendum et malum arcendum. (SS. D. N. Leonis PP. XIII. Litt. Encyclicae « *Diuturnum* » 29 Iun. 1881; « *Immortale Dei* » 1 Nov. 1885; « *Libertas* » 20 Iun. 1888; « *Sapientiae* » 15 Ian. 1890).

5) Sicuti Ecclesia suis legibus universalibus omnes quotquot sunt fideles moderatur, ita si in aliqua regione adsint adiuncta ob quae iuri communi sit derogandum, hoc in nativo systemate quod modo evolvimus caussa esse potest, ut Ecclesia seu Romanus Pontifex legem condat peculiarem pro illa regione, cuius effectus est, ut pro ea parte qua iuri communi in particulari lege derogatur, respectu concedentis habeatur erogatio beneficii, respectu vero ipsius principis regionisque cui conceditur, officium eam legem servandi, quae utpote latam a potestate superiori, vel minimum ab inferiori nequit immutari aut aboleri, donec a concedente revocetur aut immutetur. Patet autem iisdem manentibus adiunctis, non sine gravissima causa legem illam a concedente revocari, quin tamen inde sequatur eum potestate legem revocandi aut mutandi, prout iudicat, carere. Mutatis vero rerum adiunctis, aut si id requirat spirituale fidelium Ecclesiaeque bonum, non solum potest sed et debet lex particularis immutari aut aboleri. Huius tamen convenientiae aut necessitatis unicus iudex est Romanus Pontifex, cuius apostolicae potestatis

plenitudo *iuxta catholica principia,* non *nomine tenus* sed *iuxta rei veritatem* semper *eadem,* et *integra* et *immutata in quolibet Pontifice, quovis tempore, vi ipsius pontificii primatus,* perseverat. Revocata vero lege particulari, vigorem suum iterum habet pro ea quoque regione ius commune cui fuerat derogatum. Absonum vero est dicere societatem civilem tum sui iuris esse ac nulla lege obligari.

6) Quod si, quaecumque demum caussa sit, Summus Pontifex concessionem hanc, *sub iuridica forma conventionis* faciat, seu ut vulgo dicitur per *Concordatum,* haec ad huius conventionis naturam et obligationem inde manantem rite determinandam in antecessum statuenda videntur:

a) In quacumque sententia de natura concordatorum, illud catholicis omnibus ratum esse debet, plenitudinem nuper descriptam apostolicae potestatis ita esse semper praesupponendam ut *certo* haberi debeat tanquam *error,* quidquid in explicanda natura et vi concordatorum eidem adversetur. Hoc enim, ut diximus, est intime nexum cum ipsa natura pontificii primatus.

b) Hinc absurde diceretur, simulationem admitti vel falsitatem, dum quaecunque sit formularum significatio quae in concordatis adhibentur, haec plenitudo apostolicae potestatis in tota sua amplitudine intacta et immutata, *ante et post concordatum,* supponitur et praedicatur.

c) Ut vera omnino sint quae in formulis concordatorum ad mutuam obligationem quod attinet continentur, requiritur et sufficit ut *verus* et *realis* utrinque exsistat obligationis titulus; nullo vero pacto essentiale est et necessarium, ut *idem* titulus habeatur. Quare facta hypothesi, Summum Pontificem titulo dumtaxat fidelitatis obligari, spectata naturae pontificiae potestatis, prout est in Summo Pontifice, cui Christus tamquam supremo vice sua pastori agnos et oves concredidit, titulus hic *eminenter* et *perfectiore ratione* contineret quidquid obligationis ex quavis conventione ortum concipi potest, adeoque nihil esset quod posset iure argui simulationis aut falsitatis in formulis concordatorum.

d) Verum etsi concedatur utrinque *eumdem* obligationis titulum vi initae conventionis exsistere, id tamen aliter intelligi nequit, quam incolumi manente apostolicae potestatis plenitudine.

e) Quare in concordato ineundo veram et propriam obligationem suscipit Pontifex servandi iuridicam formam conventionis, in iis omnibus quae sive pro interpretatione sive pro rescissione concordati aut alicuius eiusdem articuli in concordato statuta sunt; adeo ut (in hac hypothesi eiusdem tituli obligationis) non solum officio suo desit sed ius etiam alterius laedat si normas illas prius non experiatur. Hoc tamen ita semper debet intelligi, nisi gravissimae illae exsistant caussae ob quas apostolicae potestatis plenitudine uti Pontifex *in Domino* iudicet. Necesse tamen est ut de hac re certo constet.

f) Quotiescumque certo non constet de exercitio plenitudinis apostolicae potestatis, actus quilibet concordati stipulationibus oppositus tum iuridice tum etiam intrinsece est irritus ac nullus.

Quare verissimae sunt concordatorum formulae quibus edicitur, *irritum esse et inane,* quidquid contra concordatum attentatum fuerit.

g) Pariter illud etiam intelligitur posse Pontificem vere obligare se ac successores suos ad concordatum servandum; haec enim obligatio et intactam relinquit divinam plenitudinem apostolicae potestatis et citra ipsam non ultra extenditur ac in qualibet alia iuridica conventione tum ex iure naturae tum ex iure sociali.

h) Denique cum de iis agatur quae pertinent, ut supponimus, ad salutem animarum, certum esse debet apud omnes catholicos, solum Romanum Pontificem iudicem esse, utrum expediat nec ne uti apostolicae potestatis plenitudine vel ordinaria dumtaxat, in facto concreto alicuius concordati.

i) Cum haec omnia, ni toti fallimur, omnibus catholicis rata esse debeant, scholasticis concertationibus operosae disquisitiones de natura concordatorum ecclesiasticorum dimitti possunt. Unum tamen animadvertimus: scilicet in quacunque *catholica* sententia, plenitudinem apostolicae potestatis *ante* et *post* initum concordatum *eandem* et *immutatam* permanere, non solum *nominetenus* aut *ex felici logicae defectu* ob intimam mentis persuasionem, sed *secundum obiectivam rei veritatem et rectam ratiocinationem,* admitti et propugnari oportere (1).

(1) Conferri possunt in diversas abeuntes sententias de natura et vi

X. Huic nativo systemati relationum Ecclesiam inter et societatem civilem, quod ex ipsa dimanat utriusque natura, adversatur

1) *Regalismus,* quo magis vel minus iura quaedam Ecclesiae erga societatem civilem laeduntur aut penitus abolentur, quin tamen saltem explicite regalismus in sua mitiore forma divinam Ecclesiae naturam et institutionem, etiam prout societas est *externa* et *visibilis* et vere *iuridica,* neget et oppugnet.

2) Systema quod dicitur *separationis Ecclesiae a statu,* quatenus scilicet societas civilis nullam prorsus Ecclesiae et eorum omnium quae ad eam quoquomodo spectant rationem habet, quod, ut liquet, in veram et propriam socialem apostasiam a Christo et eius Ecclesia tandem resolvitur.

Huc spectat erroneum illud principium, regimen societatis civilis atheum esse debere, nulla esse *in societate* officia erga Deum, proindeque Ecclesiam societatem *iuridicam* nullo pacto dici posse.

3) Reiectis, ut patet, eiusmodi commentis rationi aeque ac revelationi oppositis, etiam in nativo systemate, conflictus quandoque exsurgere potest Ecclesiam inter et societatem civilem, circa aliquod peculiare ius aut factum, saltem hominum vitio.

Verum, conflictus ad concordiam, servatis legitimis relationibus, semper reduci potest.

Vel enim agitur de iis quae vere et proprie Ecclesiae finem attingunt, et in his praevalet iudicium Ecclesiae cui potestas civilis se subiicere tenetur.

Vel agitur de iis quae *materiae mixtae* dicuntur, quatenus sub diversa ratione eadem materia ab utraque potestate attingitur, et tunc vel utraque pars sua legitima iura prosequi debet vel maioris concordiae amore mutua consensione res est definienda (1).

concordatorum ecclesiasticorum, Tarquini, Op. cit. I. 67 ad finem; De Angelis, Praelect. in I. lib. Decret. ad tit. IV. Append. et in eph. *Bien public* 30 Iul. et 1 Oct. 1872. Phillips-Vering, Comp. I. C. lib. I. § 17. cum notis, ubi plures alii allegantur; Satolli, Prima principia Iuris publici ecclesiastici de Concordatis, Romae 1888; Cavagnis, Inst. I. P. E. nn. 633 ssq; Liberatore, *Chiesa e Stato,* cap. 3. aa. 13. 14; Baldi, Appendix commentarii de vera et propria etc. de quo vide supra pag. 21 not. 2 etc.

(1) Tarquini, Op. cit. I. 46. coll. 33-40.

In reliquis, ut iam diximus, quae directe et proprie ad societatem civilem pertinent, haec sui pleni iuris est, et Ecclesia solum in eam influit quatenus optimos christianos efficiens optimos etiam ei cives suppeditat. (S. Aug. ep. 138 al. 5 ed. Maur. T. II. coll. 314 sqq.; SS. D. N. Leonis PP. XIII. Litt. Encycl. « *Inscrutabili* » 21 Apr. 1878; « *Quod Apostolici* » 28 Dec. 1878; « *Humanum genus* » 20 Apr. 1884).

XI. Si Ecclesia comparetur cum societate civili haeretica, ut rite determinetur quae inter utramque habitudo intercedat, notandum est haereticos per Baptismi characterem Ecclesiae *iure* subditos esse, licet *facto* ab ea sint extorres. Hinc Ecclesia in iis quae ad suum finem pertinent (hoc enim semper supponitur) ius habet subiiciendi legibus suis etiam haereticos; potest tamen si maius bonum animarum id deposcat, haereticos ab aliqua sua lege eximere.

Utrum vero id factum fuerit, duplici modo constare potest; scilicet vel per authenticam supremae ecclesiasticae potestatis declarationem vel per epicheiam validis fundamentis innixam, qua fit ut inspectis omnibus adiunctis, rite existimetur Ecclesiam eo in casu haereticos obligare noluisse (1).

Haec satis sunt ad Ecclesiae erga societates haereticas relationes intelligendas.

XII. Denique Ecclesia comparate ad societatem infidelium, eiusmodi est ut infideles tum iure tum facto ab ea sint alieni, sunt enim extranei ex toto (2). Quamvis enim destinatione ob salutiferam Dei universalem voluntatem, omnes homines ad salutem per Christum et Ecclesiam ordinentur, quia tamen baptismo infideles carent, Ecclesiam nondum sunt ingressi, adeoque neque iure ut haeretici neque facto ad eam pertinent.

Ecclesia tamen *divinum* ius habet ubique terrarum (Matth. XXVIII, 19) Evangelium praedicandi, quo infideles ad veritatem adducantur, et *hoc solum* illud est quod Ecclesia *in infidelium bonum* sibi vindicat, quin tamen excludat bona illa civilis consortii magis perfecti, quae ex suscepta christiana religione pro

(1) Suarez, De Legib. lib. IV. c. 19; Bellarminus, De membris Eccl. lib. III. c. 21; Tarquini, Op. cit. I. 63-66. coll. 39.

(2) Tarquini, Op. cit. I. 66. coll. 38.

iis barbaris consequuntur. Verum sedulo notandum est, eas gentes suis iuribus ac independentia, *ex hoc solum quod christianae fiunt,* exspoliari haud posse (1).

XIII. Denique ad *subiectum* quod attinet, in quo potestas hactenus recensita residet ex Christi voluntate, id aperte colligitur ex iis quae catholica fides et ad eius normam theologia docet de duplici hierarchia *ordinis* et *iurisdictionis,* tum de essentiali discrimine inter Ecclesiam *docentem* et *discentem,* inter *clericos* et *laicos,* et nominatim de Romani Pontificis Christi Vicarii suprema in universam Ecclesiam potestate. Verum de his sicuti ad fundamenta dogmatica quod spectat, Theologia, ita de actibus, quibus varii potestatis gradus explicantur deque eorum legibus data opera disserit Ius Canonicum, quod obiectum est nostrarum Institutionum; quare de iis singillatim suis locis erit disputandum.

49. Ex iis quae hucusque diximus de Ecclesiae iuridica constitutione illud quoque sequitur, ecclesiasticas leges *legitimo ex fonte* dimanare oportere, id enim significat potestatem exseri per idoneum subiectum. Quare ad hanc tractationem rite absolvendam, *de fontibus iuris canonici* dicere aggredimur, eos ita recensentes ut, si opus sit, potiora de eorum natura et proprietatibus attingamus.

Excursus de Fontibus Iuris Canonici.

50. *Fontes Iuris Canonici* dupliciter spectari possunt. Vel enim 1) quaeritur *quinam* sint qui legem in Ecclesia ferre iure possunt, et uniuscuiusque potestatis legiferae natura et amplitudo definitur, siquidem ex dictis potestas per idoneum subiectum exseri debet; vel 2) hoc praestituto quaeritur *ubinam* hoc exercitium potestatis legiferae reperiatur. Sic ex. gr. si dicatur Summum Pontificem potestatem habere leges ferendi in Ecclesia universa, ratio *fontis iuris* spectatur primo modo: si vero dicatur,

(1) Praeclarissime de hoc disserit Franciscus Victoria egregius theologus Ordinis Praedicatorum; Relectiones Theol. Relect. IV. sqq. de Indis. Lugd. 1586. De Bulla « *Inter cetera* » ann. 1493. data ab Alex. VI. cf. Card. Hergenröther, Hist. Eccl. vol. 2. pag. 191 ed. Friburg. Brisgov. 1887.

Constitutiones seu *Bullas,* itemque *Brevia, Rescripta* etc. data a Summo Pontifice fontem constituere Iuris canonici plerumque *humani* (1) *scripti, universalis,* etc. ratio *fontis iuris* spectatur secundo modo. Sunt qui (2) priores dicunt *fontes essendi* quia ex iis est lex canonica, posteriores vero *fontes cognoscendi* quia ex his *cognoscitur* lex canonica. Plerumque tamen in tractatione de fontibus iuris canonici uterque respectus simul attenditur, nimis enim incommodum esset alterum ab altero disiungere, quamvis satis liqueat hanc tractationem, praesertim si praecesserit Iuris ecclesiastici, quod *publicum* audit seu de iuridica Ecclesiae constitutione, doctrina, ad *fontes cognoscendi* maxima ex parte pertinere.

51. Hunc disserendi modum promiscuum sectatus est alios inter Card. Tarquini, qui ius ecclesiasticum publicum (lib. II. c. 3) recensione fontium iuris canonici concludit. Hinc 1) ea revocat quae de subiecto ecclesiasticae potestatis demonstraverat (ib. c. 1) ex vera Ecclesiae constitutione, scilicet *a*) potestatem quam Christus dedit Ecclesiae esse divinam non solum *efficienter* quatenus Ecclesiae auctor est ille qui *Deus* est, sed *formaliter; b*) hanc potestatem *in sua plenitudine* Romano Pontifici quem in terris suum constituit Vicarium, Christum tradidisse (salvo iure divino quod Pontifex interpretari potest, haud vero mutare); *c*) partem aliquam huius potestatis esse in episcopis, quos « *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* » (Act. XX. 28), ita ut eius saltem termini a Romano Pontifice definiantur non modo *quoad amplitudinem* sed etiam *quoad existentiam; d*) praeter episcopos, alios quoque esse posse qui potestate *ordinaria* vel *delegata,* a Romano Pontifice vel episcopis accepta, fruuntur. Quare 2) iure infert, quidquid, *pro natura* et *amplitudine potestatis,* ad leges quod spectat, ab his dimanat, legitimum in Ecclesia esse, secus *spurium* habendum esse; unde *fontes legitimi Iuris Canonici.* Hi denique 3) aptissime spectari possunt *ratione auctoris, ratione modi, ratione subiecti* ad quod lex refertur, quod dici forte etiam posset *amplitudinis in obligando.* Porro hinc exurgit triplex generalis divisio Iuris Cano-

(1) Constitutiones Dogmaticae aequipollenter ad ius divinum reducuntur.
(2) Aichner, Comp. I. E. § 8.

nici qua est 1) *divinum* vel *humanum;* 2) *scriptum* vel *non scriptum;* 3) *universale* vel *particulare.* Iamvero distinctius haec tria considerat at simul coniuncta h. e. quoad Ius humanum, ex. gr. spectat auctorem, modum, amplitudinem obligandi (V. penes ipsum l. c.).

52. Haec fontium partitio alio etiam idearum nexu potest illustrari. In qualibet actione, adeoque etiam in lege ferenda, tria consideranda veniunt, *caussa efficiens, modus agendi, terminus actionis;* scilicet in re nostra *legis auctor, legis manifestatio, amplitudo obligationis;* terminus enim est *lex* cuius natura est obligare, licet maiori minorive amplitudine. Hinc illa triplex partitio, cum sit ex ipsa rei natura, aptissima censenda est.

53. Cum igitur *ratione auctoris* Ius sit vel *divinum* vel *humanum,* patet

I. Ius *divinum* quod proinde *ratione auctoris,* Deum ipsum ut caussam legis *efficientem* habet, *ratione modi* esse *scriptum* vel *non scriptum.* Porro

a) *Scriptum* continetur *libris divinis* seu SS. Litteris Veteris et Novi Testamenti non eodem modo. Nam in N. T. continetur *simpliciter;* at in V. T. abolitis per Christum praeceptis quae *iudicialia* et *ceremonialia* appellantur, quaeque cum foedere Sinaitico presse sumpto desinere opus erat, *moralia* solum permanserunt.

b) *Non scriptum* continetur :

aa) *Traditionibus divinis,* quae dividuntur in traditiones *divinas* simpliciter et *divino-apostolicas,* prout vel Christus ipse vel Apostoli « *Spiritu Sancto dictante* » earum auctores fuere (Cf. Conc. Trid. Sess. IV Decr. de cann. Scriptt.).

bb) *Iure naturali,* quod « *est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturae non constitutione aliqua habetur; ut viri et foeminae coniunctio, liberorum successio* (al. susceptio) *et educatio, communis omnium possessio et omnium una libertas, acquisitio eorum quae caelo terra marique capiuntur, item depositae rei vel commendatae pecuniae restitutio, violentiae per vim repulsio. Nam hoc aut si quid huic simile est, numquam iniustum sed naturale aequumque habetur* ». *(Can. Ius 7, dist. 1).* Textum integrum quod a Gratiano desumptum est ex s. Isidoro Hispalensi (*Etymol. lib. 5.* Vide Berardi

op. cit. Vol. IV. pag. 397 ed. Ven. 1783) ideo dare maluimus, quod eo Iuris naturalis *iuridica,* si ita loqui fas est, notio exhibeatur, cuius character praecipuus ut « *commune sit omnium eo quod ubique instinctu naturae non constitutione aliqua habetur* » qui character *in facto* consistit et partim negativo conceptu exhibetur. Hinc nihil quaeritur de essentia ipsius philosophice spectata, quo pacto lex naturalis participatio est legis aeternae homini manifestatae per lumen rationis (Cf. s. Thom. 1–2, q. 91, a. 2) multoque minus de eius relatione ad Essentiam, Intellectum ac Voluntatem Dei; haec enim omnia ad alias pertinent disciplinas: sed *Ius,* uti diximus, habentes synonymon cum *Iusso,* factum hoc statuimus, ipsa natura teste, certissimum esse quamdam legem quae *instinctu naturae* non *constitutione aliqua habetur.* Tum recensentur ea quae potissima sunt legis huius obiecta, quod omnino cum hac iuridica consideratione cohaeret. Iamvero liceat animadvertere *per se* in hac Iuris notione non contineri utrum *instinctus* sit rationalis nec ne. Consideratur enim solum factum. Profecto non exinde sequitur legem naturalem in homine per lumen rationis non manifestari, sed in ea notione iuridica, *factum* affirmatur, *ratio facti* reticetur. Haec animadversio forte aliquam lucem affundit, ut recte intelligamus definitionem illam Iuris naturalis quam ex veterum iuriconsultorum sententia posuit Imp. Iustinianus in suis Institutionibus: « *Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit: nam ius istud non humani generis proprium est sed omnium animalium quae in caelo quae in terra quae in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque feminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cetera quoque animalia istius iuris peritia censeri* » (Lib. I. tit. 2). Etenim 1) apparet huius descriptionis analogia cum ea quam superius ex s. Isidoro a Gratiano relatam memoravimus: hinc 2) vix aliter intelligi potest Ius naturale ad omnia animalia pertinere, nisi quatenus *lege Creatoris aguntur in fines eorum naturae proprios,* si de iis sermo sit quae ratione sunt destituta; et item *lege Dei* sed *rationi humanae manifestata ac liberis actibus exsequenda* finem suum assequuntur, si de hominibus agitur. Quare 3) dici tunc posset Ius naturale *instinctu* quidem *naturae* haberi, at pro diversa

entium *natura* irrationali vel rationali. Hoc sensu ea Iuris naturalis notio non esset tam *abiecta,* ut eam vocant Bouix (1), neque satis accurate diceretur (2) secundum iurisperitos: « *Ius naturale est ipse instinctus seu propensio naturae sensitivae quae hominibus cum brutis animantibus communis est* ». Sed haec solum innuisse sufficiat.

54. Iuri divino *aequipollenter* accensetur *Ecclesiae testimonium divinum* sive per *infallibile* Romani Pontificis etiam ante consensum Ecclesiae *in rebus fidei et morum* iudicium (Conc. Vat. Const. I. de Eccl. Chr. cap. IV), sive per *Concilii oecumenici definitiones dogmaticas a Pontifice confirmatas,* sive per *consensum Patrum* ut *testes* sunt *authentici* vel divinarum traditionum vel germani sensus iuris scripti divini (3).

Nequit autem huc afferri distinctio ratione amplitudinis *in obligando,* si quidem *ius divinum* natura sua *universale* est.

55. II. Ius vero ecclesiasticum *humanum,* quod scilicet *ratione auctoris* ab homine dimanat, varios habet fontes prout *scriptum* est vel *non scriptum, commune,* vel *particulare.*

56. *Scriptum* et *commune* tamquam legitimo fonte continetur:

a) *Constitutionibus Romanorum Pontificum.* Cum enim auctoritatem habeat Romanus Pontifex in universam Ecclesiam, hinc nisi ipse legem aliquam ad determinatam aliquam Ecclesiae partem adstringat, aut id ex ipsa materia evidenter appareat, leges a Romano Pontifice latae sunt *per se* universales. Porro de Constitutionibus, quae *definitionem ex cathedra* continent, iam diximus. Reliquae, quodcumque sit earum obiectum, eiusdem sunt auctoritatis. Hinc non pertinet nisi ad *externam aliquam solemniorem formam* discrimen inter *Bullas* et *Brevia.* Nam

aa) *Bullae* ita nuncupantur ex *bulla* seu sigillo plerumque plumbeo, perraro aureo (4), quo insigniuntur quaedam constitutiones Pontificiae, quod sigillum funiculo serico aut cannabino ex pergamena dependet, et una ex parte imagines exhibet SS. Apo-

(1) De Principp. I. C. P. I. sect. I. cap. 3. § 1.
(2) Pirhing, I. C. Prooem. § I. n. 9.
(3) Cf. Theologos ad tract. de Traditione.
(4) Hinc vocantur etiam *Litterae Apostolicae sub plumbo datae* vel *Bullae aureae.*

stolorum Petri et Paulli, ex altera Pontificis nomen. Ex Bullis aliae sunt *Consistoriales* et praeter Pontificem subscribuntur etiam a Cardinalibus quorum consilio utitur Pontifex et in *Consistorio* expediuntur. Hae praeterea aliud sigillum *ad formam* crucis habent. Sunt etiam, quaedam Bullae quae *dimidiae* appellantur, quod in sigillo plumbeo deest nomen Pontificis, et dantur a Pontifice electo ante coronationem. *Ferraris Bibl. v. Bulla.* Insuper ad externam Bullarum formam et illud pertinet, Bullas crassioribus et subobscuris pergamenis inscribi, veteribus characteribus theutonicis, peculiari etiam adhibita orthographiae et interpungendi ratione (1). Item suas habent Bullae regulas *ex stylo Curiae,* quoad titulum, datam et subscriptiones.

bb) *Brevia* appellantur eae Litterae Apostolicae minus solemnes quae in membranis subtilibus et candidis latinis characteribus et usitato modo scribuntur. Data dicuntur *sub annulo Piscatoris* eo quod sigillum *cera rubra impressum* b. Petrum refert e navicula piscantem. Reliqua quae huc pertinent vide, si lubet, tum apud Ferraris l. c. tum apud Card. Petra *(Commentar. ad Constitut. Apost. in prooem.* §§ *1 ad 4).* Quemadmodum vero, relate ad *formam externam,* Constitutiones Apostolicae sunt vel in forma *Bullarum* vel in forma *Brevium,* ita dicuntur *Decreta,* si in iis Papa *motu proprio* (quo etiam nomine quandoque appellantur) sive solus sive Cardinalium consilio adhibito aliquid statuit; *Decretales,* si Papa consultus ab Episcopis vel alia persona iis rescribit statuens aliquid quod communis legis rationem habeat; *Encyclicae* si ad omnes catholicos episcopos dirigantur etc. (2). Huc etiam referri possunt *Regulae Cancellariae Apostolicae* de quibus alibi redibit sermo. (V. Phillips, Op. cit. § 34). Sunt etiam *Rescripta Pontificis,* sed de his alio loco.

b) *Decretis Conciliorum oecumenicorum a Pontifice confirmatis.* Iam superius diximus (54) de definitionibus dogmaticis

(1) At praesens Pontifex Leo XIII. litteris Apostolicis 29 Dec. 1878, paullo aliter statuit circa formam sigilli et characteres scriptionis pro Bullis minoris momenti.

(2) Constitutiones Pontificiae pleraeque *Bullariis* continentur quae tamen ut *collectiones authenticae* spectari nequeunt, uno forte excepto Bullario Benedicti XIV.

Conciliorum oecumenicorum, at canones etiam aut decreta eorumdem quae ecclesiasticam disciplinam respiciunt, patet vim legis universalis habere. Concilia oecumenica XIX numerantur: Nicaenum I (an. 325) Constantinopolit. I (381) Ephesin. (431) Chalcedonense (451) Constantinopolitanum II (553) Constantinopolitanum III (680–81) Nicaenum II (787) Constantinopolitanum IV (869–70) Lateranense I (1123) Lateranense II (1139) Lateranense III (1179) Lateranense IV (1215) Lugdunense I (1245) Lugdunense II (1274) Viennense (1311) Florentinum (1439–45) Lateranense V (1512–17) Tridentinum (1545–63) Vaticanum incoeptum VI Id. Decembr. MDCCCLXIX quodque abruptum post mensem Septembris MDCCCLXX adhuc manet. Nominatim vero ad praesentem disciplinam pertinet Concilium Tridentinum cuius Decreta *De Reformatione* fere integra vigent; neque enim plura quae disciplinam respiciunt in Vaticano Concilio aut proponi, aut licet proposita ad exitum deduci potuere (1).

c) *Decretis Conciliorum particularium vel inferiorum Praelatorum,* quae tamen auctoritate Pontificis vel Concilii oecumenici ad Ecclesiam universam ceu leges extenduntur. Id autem etiam hoc solum constare dicendum est, *si in aliqua collectione authentica* reperiantur illi canones, *quae collectio ad Ecclesiam universam spectet.* Exemplum in primis praeclarum exhiberi arbitramur in epistola Leonis IV ad Episcopos Britanniae cap. 4 (2). Textus est etiam relatus a Gratiano *(Can. De libellis 1 d. 20).* En verba Pontificis: « De libellis et commentariis aliorum non « convenit aliquos iudicare et sanctorum Conciliorum canones « relinquere vel *Decretalium regulas quae habentur apud nos,* « simul cum canonibus quibus *in omnibus ecclesiasticis utimur* « *iudiciis*, idest Apostolorum, Nicaenorum, Anchiritanorum, « Neocaesarensium, Gangrensium, Sardicensium, Africanensium, « Carthaginensium, et cum illis Regulae Praesulum Romanorum « Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Leonis, Hilarii, « Gelasii, Ormisdae et Gregorii iunioris. *Isti omnino sunt et per* « *quos Episcopi iudicant, et per quos Episcopi simul et clerici*

(1) Collectiones plures Conciliorum habentur aliae aliis perfectiores, *authenticae* tamen non sunt.

(2) In Coll. Concill. Labb. et Mansi T. XIV. col. 884.

« *iudicantur*. Nam si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos definiri, tunc illorum, « quorum meministis dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori vel ce« terorum similiter sanctorum Doctorum, et similium, si reperta « fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda, vel ad « Apostolicam Sedem referatur de talibus ». At vero ex hoc testimonio paullo accuratius inspecto arbitramur haec inferri posse:

1) Verba quibus utitur Pontifex intelligenda sunt de *Collectione aliqua Canonum et Decretalium authentica, siquidem ea adhibebatur in omnibus ecclesiasticis iudiciis*, sive *ut episcopi iudicent* sive *ut episcopi simul et clerici iudicentur*.

2) Collectio haec prout exhibetur a Pontifice (1) differt a Collectione Dionysii Exigui *a*) quia non habet canones Antiochenos, Laodicenses, Constantinopolitanos, Chalcedonenses, quos refert Dionysius, et *b*) in Decretalibus habet Decretales Silvestri et Hilarii, quae desunt in Collectione dionysiana; vicissim *c*) non habet Decretales Bonifacii et Anastasii, quae sunt in Collectione dionysiana *(V. in Bibl. Iuris Can. Iustelli Vol. I pagg. 101 sqq.)*.

3) Item differt a *Prisca canonum editione latina* quae extat ib. (pag. 277 sqq.).

4) Si tempus attendatur quo Leo IV sedit (847–855) et verba perpendantur « *Decretalium regulae quae habentur apud nos* » apparet, *eo ipso tempore quo vulgari coepta est Collectio Pseudoisidoriana,* non alias Romanorum Pontificum Decretales *Romae* agnitas fuisse quam a Silvestro deinceps.

5) Item etiam seposita collectione, liquet ex hoc testimonio, quo pacto canones conciliorum particularium leges evadant universales.

6) Denique et usus quoque innuitur Patrum et Doctorum in Iure Canonico, de quo paulo post.

d) *Legibus a civili potestate datis* quae *libere* fuerint a Romano Pontifice vel a Concilio Generali approbatae. Quamvis

(1) Correctores Romani paulo aliter hunc locum exhibent, ut in editis Gratiani videre est; at quamvis exinde minor sit inter collectionem dionysianam et hanc a Leone IV memoratam discrepantia, hoc nihil officit ei quod hic praecipue intendimus, scilicet Pontificem exhibere in hoc testimonio collectionem canonum usu receptam tunc temporis in Ecclesia.

enim *spurius* sit *per se* eiusmodi fons, legitimus tamen ex huiusmodi approbatione efficitur (1).

e) Decretis eorum qui *delegatam* a *Romano Pontifice auctoritatem* habent. Huc referri possunt *Responsiones* seu *Resolutiones* SS. Congregationum Cardinalium S. R. E. Inter has, ad Ius canonicum quod spectat, peculiarem meretur mentionem ea quae Decretis Tridentinae Synodi relate ad disciplinam interpretandis dat operam, cum de auctoritate quae eidem competit concors non sit Canonistarum sententia. Rem diligenter expendit Schmalzgrueber (2), et duabus plane oppositis prius recensitis sententiis affirmante et negante, tertiam proponit veluti conciliationis, quae distinguit (3) inter Declarationes *comprehensivas* et *extensivas*, atque his denegat vim legis universalis, nisi *speciali* dentur Pontificis mandato et rite promulgentur, sunt enim *novae leges:* illis autem vim legis universalis tribuit, sunt enim *authenticae legis iam exsistentis* declarationes. His quae a Schmalzgrueber dicuntur, gemina sunt quae a recentioribus disputantur, quin aliquid novi in medium protulerint (Vide ex. gr. Bouix op. cit. P. II. Sect. V. Vide etiam quae habet idem auctor in Tractatu De Curia Romana Par. III. Sect. I). At quamvis ibi plura congesta sint, haud possunt pleraque, si accurato subiiciantur examini, admitti. Aliud est dicendum de sententiis iudicialibus quae dantur a S. C. C. et *ius faciunt inter partes*. De his confer Aichner, I. E. § 18, n. 1.

57. Iamvero si ad *Ius humanum scriptum et particulare*, quod ad Ecclesiam pertinet, gradus fiat; huius *legitimi fontes* censentur :

a) *Decreta Conciliorum nationalium* vel *provincialium* aut *Synodi dioecesanae*, vel *episcoporum*, et eorum qui *quasi episcopalem* auctoritatem obtinent. Horum enim leges, pro sua vel natione vel provincia vel dioecesi vel quasi dioecesi, vim suam exserere manifestum est (4).

b) *Leges Ordinum regularium*, vel Collegiorum, quae tamen legum ferendarum iure fruantur; relate ad eorundem membra.

(1) Vide Diss. Card. De Reisach superius allegatam.
(2) Diss. Prooem. § IX.
(3) Ib. nn. 373-377. Cf. etiam Ioseph Ferrari Summa Institut. Can. § 16.
(4) Bouix Op. cit. P. I. Sect. III. c. 1.

c) Decreta Romanorum Pontificum vel Conciliorum Generalium, quae licet *ratione auctoritatis* sint universalia, *per accidens* tamen ad particularem aliquam nationem vel provinciam vel collegium vel personas pertinent (1).

d) Decreta eorum qui iurisdictionem habent a legitimis superioribus *delegatam,* relate ad eos qui *pro varia delegandi ratione* eidem rite subiiciuntur. Quid porro sit iurisdictio delegata, quotuplex, quae iura conferat etc. suo loco explanandum erit.

58. *Denique ad Ius humanum ecclesiasticum non scriptum gignendum* habentur tum *traditiones* tum *consuetudines,* de quibus paullo post distinctius agendum erit.

59. Hactenus recensiti *veri fontes* sunt Iuris canonici; scilicet ex iis *leges* sive *universales* sive *particulares* exsistunt. Sunt tamen quidam qui non tam *Iuris* quam *Iuris interpretandi fontes* seu *praesidia* sunt; quatenus *per se* legem non efficiunt sed ad recte iudicandum prudentem regulam suppeditant. Huc pertinent Decreta *particularia* prout legi universali declarandae adhibentur, sententiae Patrum (V. n. 56, 6) quae regulam quidem aliquam sed nisi ab auctoritate legitima sint ceu *leges* propositae, veram legem non exhibent, multo vero magis doctrina *Glossae* vel scriptorum Iuris canonici aut etiam theologorum qui tamen consensum aliquem exhibeant. At vel ex horum recensione fontium, apparet longe aliam eorum esse a superius recensitis indolem ac naturam. At vero qui demum cumque sint, omnes a vera Ecclesiae a Christo conditae constitutione dimanant. Quare qui ab ea sunt alieni, spurii censendi sunt.

TITULUS III.

De Constitutionibus.

60. Postquam in collectione Decretalium actum est in primo titulo de Summa Trinitate et Fide Catholica eo sensu quem superiori titulo explanavimus, sequitur titulus secundus de Constitutionibus qui unus est ex illis quos appellavimus titulos

(1) De Concordatis iam diximus (48. IX. 6).

praeambulos, quibus generatim in primis spectantur leges ecclesiasticae.

61. Huic conceptui apprime vero ac ad scientiae normam exacto plane inhaerentcs, sub eadem appellatione universam hic exhibere aggredimur legum ecclesiasticarum theoriam hoc logico idearum nexu. Agemus primo de legis essentia prout nominatim ad ecclesiasticam legem refertur. Quia vero omnino necesse est ut certo constet de legis iuridica exsistentia, quae scilicet valeat veram iuridicam obligationem imponere, quae eidem adversari possunt quoquo modo, haec singillatim secundo erunt recensenda. Item tertio loco de legis interpretatione tractandum erit, qua fit ut lex rite singulis in casibus valeat applicari. Denique quasdam peculiares legum ecclesiasticarum classes generali tamen modo spectabimus, ut quae earum propria sunt rite dignosci possint. Hisque numeris omnibus erit absoluta legum ecclesiasticarum theoria generalis.

§ I. *De Legis Essentia.*

62. Haud arbitramur de legis essentia melius nos posse tractationem auspicari, quam si praeclaram doctrinam proponamus quam tradit sanctus Thomas (1–2, q. 90 sqq.), qui postquam egit de principiis internis actuum humanorum, sermonem instituit de eorumdem principiis externis. Principia externa duo numerantur. Primum inclinans ad malum, scilicet diabolus per suas tentationes, secundum movens ad bonum, scilicet Deus tum per legem per quam nos instruit tum per gratiam per quam nos iuvat.

Iam vero hic nobis de lege cum unice agendum sit, iam duplex eruitur nexus legis: *primo* cum Deo tamquam eius auctore vel immediato vel mediato, *secundo* cum homine cui fertur, ad instructionem tamen, non proinde dumtaxat ut pondus et iugum ad opprimendum; est siquidem Dei beneficium ad id impertitum, ut finem nostrum ultimum iuxta eius voluntatem assequamur.

Porro cum in ipsa humana loquendi consuetudine lex alia *divina* alia *humana* dicatur, *naturalis* alia, alia *positiva* appel-

letur, itemque *ecclesiastica* vel *civilis,* neque tamen ut una eademque omnino lex habeatur, sequitur aliquid esse cuique legi commune quod communi legis appellatione effertur, aliquid vero unicuique legi vel unicuique legum classi proprium, quod unius ab altera differentiam constituit et appositis quibus legis nomen circumscribitur, exhibetur.

Hinc dicit S. Thomas spectanda esse: *primo,* quae sunt communia cuique legi; *secundo,* quae sunt propria.

Ex communibus autem quaerenda dicit:

Primo: essentia, ex hac enim habebitur non *etymologica* sed *realis* legis definitio exsurgens ex eius elementis simul sumptis.

Secundo: partitio, ex qua legum varietas atque mutua differentia.

Tertio: effectus seu legis in subiecto cui datur propemodum operatio. His enim legis natura plane exsistit perspecta, cum inde cognoscatur *quid sit, quotuplex, quid efficiat.* Ad legis communem essentiam quod attinet, ostendit S. Thomas analysi conceptuum instituta:

Primo: legem esse *ordinationem rationis* cum sit aliquid ad rationem pertinens.

Secundo: legem ordinari *directe* ad bonum non *individuorum* sed *commune.*

Tertio: legem non ferri nisi ab eo qui curam habet communitatis. Hoc enim est corollarium ex duobus praecedentibus.

Quarto: promulgatione legem indigere, quod etiam ex tribus prioribus manifeste consequitur; non tamen definit quaenam promulgationis ratio sit necessaria. Concludit vero sanctus Doctor his verbis: « *et sic ex quatuor praedictis colligi potest definitio legis, quae nihil est aliud quam quaedam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata* ». Quae porro quatuor, cum ex mente sancti Doctoris sint cuiusque legis elementa *essentialia,* sequitur ex eius doctrina, plane absurdam esse inquisitionem, utrum dari possit lex quae licet non promulgata vim habeat obligandi.

Quare veluti *a priori,* tamquam cavillationes reiiciendae sunt paucorum canonistarum sive veterum sive recentiorum opiniones, qui ad urgendam legis rationem in quibusdam sacrarum Con-

gregationum resolutionibus, licet non promulgatis, contendunt promulgationem ad legis essentiam non pertinere, quod vel ex ipsa legis natura et ordinatione omnino falsum ostenditur. Verum de resolutionibus sacrarum Congregationum earumque obligatione inferius adhuc redibit sermo.

63. At simul ex his sponte veluti sua oritur legis partitio. Lex enim ex dictis est *ordinatio rationis*. Spectanda est igitur:

Primo: in ordinante supremo, qui est Deus aeternus ex sua essentia; hinc *lex aeterna*.

Secundo: in immediata eiusdem in homine facta participatione; hinc *lex naturalis*.

Tertio: in remotionibus et ope humanae ratiocinationis factis legis naturalis applicationibus; hinc *lex positiva humana*.

Quarto: in immediate facta a Deo aliter quam per naturam legis aeternae hominibus manifestatione, sive ad manifestanda ontologice supernaturalia sive etiam ontologice naturalia sed modo supernaturali, ob maiorem utilitatem vel moralem necessitatem; hinc *lex positiva divina*, quae pro duplici oeconomia vel est Veteris vel Novi Testamenti.

Porro sanctus Thomas non solum partitionis huius membra constituit sed singula membra exsistere probat.

64. Denique ad *communes legis effectus* scrutandos progreditur. Et *primum* legis effectum generatim statuit, ut *homines bonos efficiat* vel *simpliciter* vel *secundum quid*, prout lex vel commune bonum assequendum sibi proponit simpliciter, hoc est honestum, quodque ad ultimum et adaequatum finem ordinatur, vel commune bonum, sed dumtaxat sub aliquo respectu ex. gr. *utilitatis* vel *delectationis*, qui potest esse finis *partialis* etiam fini ultimo contrarius, proindeque illicitus et moraliter noxius; unde qui legi obediunt, boni fiunt vel simpliciter, vel secundum quid, hoc est *in ordine ad tale regimen*. Lex autem ad hoc ordinatur ut obediant ei subditi (qu. 92, a. 1).

Tum *secundum* ut inquirat effectum communem legis, praeclaram S. Thomas instituit analysim, in qua triplici spectata actuum humanorum differentia, ut scilicet vel *boni sint* vel *mali* vel *indifferentes*, legem deducit eos vel *imperare* vel *vetare* vel *permittere* vel *punire*, quod ultimum ex eo oritur quod lex poenae timore inducit ut sibi obediatur (ib. a. 2).

Hisque tractatio concluditur de iis quae omnibus legibus communia sunt.

Cum ea quae hactenus ex S. Thomae doctrina protulimus, ad essentiam cuiusque legis pertineant, hinc sequitur ea quoque ad ecclesiasticas leges procul dubio spectare. At vero, ad promulgationem legum pontificiarum quod attinet, peculiaris expendenda occurrit quaestio, utrum scilicet determinatus aliquis sit modus necessario adhibendus ut vim actu habeant obligandi. Cui et alia subnectitur, utrum eas saltem a populi acceptatione dependere teneri possit.

SCHOLION I.

De legum pontificiarum necessaria promulgatione.

Magni momenti est haec quaestio in iure ecclesiastico, prout enim ea recte vel prave dirimitur, Ecclesiae quoque potestas aut asseritur aut destruitur. Hinc statuemus 1) originem et rationem controversiae, 2) distinguemus plures quaestiones quae oriuntur ex ipso definito statu controversiae; et de singulis accurate disputabimus. 3) Denique ex omnibus simul collatis quid tenendum sit breviter innuemus.

Origo controversiae est *complexa* et partim *ex iure naturae*, partim *ex iure romano* saltem post *Iustinianum Imp.*, partim etiam ex sententia quibusdam veteribus canonistis adscripta desumitur. Nam 1) cum ex iure naturae, legis promulgatio sit necessaria ad hoc ut lex obliget, sequebatur statim, leges pontificias ut obligent promulgatione indigere. 2) Cum vero Iustinianus Imp. statuerit (1) leges civiles in singulis Imperii provinciis promulgari, hinc factum est ut quaereretur, utrum modus ille publicationis pertineret nec ne ad leges etiam ecclesiasticas, adscito potissimum ex canonico iure, principio: *Ius civile* (scilicet romanum) *valere ubi aperte ei a lege canonica non contradicitur vel lex canonica desideratur* (2). Accessit denique non-

(1) Novella LXVI. *Ut factae novae Constitutiones* (Auth. coll. 5).

(2) Si quaeras utrum hoc principium indiscriminatim adhiberi possit comparate ad quaslibet civiles leges, id negandum videtur; cum alia

nullos putasse antiquos plerosque insigniores canonistas in ea fuisse sententia, modum illum promulgationis per singulas provincias necessarium esse, ut leges ecclesiasticae etiam pro toto orbe christiano latae a Pontifice, vi obligandi polleant.

Haec controversiae origo et elementa, quae tamen si quibusdam obiectum veluti scientificae inquisitionis esse potuit, at *regalistis,* ut vocant, fundamentum praebuit quo systema suum de potestate legifera Ecclesiae quae civilis principatus prorsus mancipium sit, mirifice fulcirent. Atque hac de caussa studiosissime hanc doctrinam, de necessaria in singulis provinciis legum ecclesiasticarum promulgatione, propugnarunt, evolverunt, illustrarunt, tum ianseniani, febroniani, regalistae, tum gallicani, sive ad minuendam sive ad penitus destruendam pontificiam potestatem. Ex quibus apparet nobis officium esse aliquid de hac quaestione statuere. Liquet autem nos tenere sententiam, regalistis plane adversantem. Pro triplici vero elemento quod distinximus triplicem distinguimus quaestionem.

Prima est *quaestio iuris,* utrum scilicet quod regalistae contendunt, *fieri debeat ab Ecclesia.*

Secunda est *quaestio facti,* utrum scilicet illud ipsum *factum sit ab Ecclesia.*

Tertia est *quaestio critico-hermeneutica,* utrum regalistae, doctorum, praesertim antiquorum, auctoritate *iure tueri se possint.* Ad singulas per partes accedimus.

I. *Quaestio iuris.* Solvitur plenissime statuta quaestio iuris, hisce principiis adscitis, et probatis:

a) Tum ex rei natura tum ex ipso iure naturae promulgatio aliqua legis est necessaria ut lex obliget. Lex enim est regula agendi communitati obligatorio modo proposita. Atqui eatenus proponitur obligatorio modo quatenus promulgatur.

b) Haec promulgatio talis esse debet ut sit *sufficiens* ad hoc ut lex *communitati* cognita dici possit quae ex lege obligatur. Est evidens.

c) Ut sit *sufficiens* requiritur ut per eam promulgationem, legis notitia diffundi ad omnes *moraliter* possit. Etenim *ex parte*

omnino sit *iuris romani* ad ecclesiasticum habitudo, quemadmodum in praenotionibus historicis innuimus (38), ut eodem pacto ad alias quascumque civiles leges transferri possit.

legislatoris impossibile est ut *omnibus physice* notam faciat legem. Ut enim dicitur *Cap. Ad haec 1. de Post. prael.: « Non est necessarium, cum constitutio solemniter editur aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel literas inculcare ». Ex parte vero subditorum* vera est obligatio leges cognoscendi. Ut enim dicitur *Cap. Ignorantia 13. de Regg. iuris in 6: « Ignorantia facti, non iuris, excusat »*.

Atqui ad hoc sufficit ut lex sit omnibus *moraliter* cognita.

d) Si igitur promulgatio legum pontificiarum facta *in Curia* sit sufficiens ad hoc ut lex moraliter omnibus sit nota, haec promulgatio sufficit ad hoc ut lex pontificia obliget universum orbem christianum. Sane nexus inter conditionem et conditionatum est evidens ex *c*).

e) Determinatus modus promulgationis, ex. gr. per provincias, non potest proinde pertinere nisi ad ius positivum. Id enim constat 1) ex superius modo demonstratis; constat 2) ex confessione adversariorum. Audiatur Van Espen: « Non apparet de « ratione legis esse, praeveniendo omne ius propositum, ut eius « promulgatio certo ac determinato ritu fiat, aut certis ac de- « terminatis locis lex publice adfigatur vel proclametur ». (De promulg. leg. P. I. c. 1, § 2).

f) Quamvis lex sit satis promulgata ut obliget, fieri potest et revera fit, ut peculiares quaedam personae vel etiam personarum classes iis in adiunctis versentur in quibus *ob legis ignorationem a culpa excusentur*. Ut enim lex obliget, sufficit ut vere dici possit nota communitati sicut diximus. Ut aliqui vero eam ignorent sine culpa, sufficit ut iis *vere nota non potuerit esse,* ex. gr. ob temporis insufficientiam, spectata locorum intercapedine. Sed defectus tunc non est *ex parte legis in obligatione,* sed *ex parte subiecti, in scientiae carentia quamvis inculpabili.*

Ubi nota, illud quod dicitur in textu citato ex Regulis Iuris in 6 dici potissimum *de excusatione iuridica,* non vero *in foro conscientiae.*

Potest ergo fieri et aliquando fit, ut lex *ex sese* vim habeat obligandi, et tamen quis ob eius ignorantiam excusetur.

g) Quare conditiones quibus ea ignorantia excusat, nullate-

nus pertinent ad quaestionem quid requiratur ut lex ex vi intrinseca obliget. Quae enim pertinent ad quaestionem quae toto coelo ab alia differt, profecto ad hanc probandam non valent. Iamvero ex his omnibus ostenditur, *ex iuris quaestione nihil deduci posse ad asserendam necessitatem promulgationis legum pontificiarum in provinciis ut vim obligandi habeant.*

Accedimus ad quaestionem facti.

II. *Quaestio facti.* Hanc facti quaestionem per gradus quosdam insequentibus propositionibus explanabimus.

Prop. 1. Ostendi potest promulgationem legum pontificiarum, factam in *sola Curia,* esse sufficientem sensu superius exposito.

Ex demonstratis ad hoc requiritur ut legis notitia per promulgationem *Romae* (scilicet in Curia) *solum* factam, ad omnes *moraliter,* quamvis *successive* ut patet, possit pervenire.

At vero, factum notorium quodque proinde a pluribus cognoscitur est profecto Romae facta solemnis promulgatio, attentis potissimum eius circumstantiis. Sane *a*) spectetur ipsa conditio urbis Romae, ad quam ex universo christiano orbe tam multi confluunt; *b*) spectentur peculiares ac fere continuae relationes quas *catholici episcopi* habent cum Sede Apostolica; *c*) *facilitas multiplicationis* exemplarium Constitutionum per typos; *d*) facilitas *transmissionis* sive per ephemerides, sive per publicos tabellarios; *e*) conditio ipsa Romanae Sedis sive quoad hostes sive quoad obsequentes. Ex his omnibus evidens est impossibile esse *moraliter* ut pro diversa locorum distantia, citius vel serius lex pontificia orbi christiano universo non innotescat. Quod si dicatur fieri posse ut non omnino accurata legis habeatur notitia, si ex. gr. eius non habeatur exemplar, hoc nihil probat pro regalistis; dubia enim illa notitia sufficiens erit ut episcopus *ex officio teneatur* S. Sedem consulere et dubitationem amovere.

Quare errat omnino Van Espenius quando affirmat: « Cum « moraliter impossibile sit ut per eam Romae factam publica- « tionem, sive Decretorum et Bullarum in publicis locis fieri « solitam affixionem, populi et communitates fidelium per va- « stissima locorum intervalla dispersi certam horum decretorum « notitiam accipiant, non apparet qua ratione possit huic pro-

« mulgationi is attribui effectus, ut vigore huius solius publi« cationis decreta illa respectu remotissimi illius populi vim « legis obtineant, sive ut hac sola publicatione in Urbe Roma « facta, possint illa decreta dici sufficienter illi populo propo« sita, ut respectu illius dici possint publicata » (Tract. de prom. legum ecclesiast. Par. I. cap. 3, § 2, edit. Bruxell. 1712, pag. 19).

Atqui haec haud vera esse patet 1) *argumento ad hominem.* Cur enim Van Espenius cum aliis regalistis ita solliciti sunt de *Regio Placito* apponendo singulis pontificiis diplomatibus *antequam promulgentur,* adeo ut ipse integram *secundam partem* sui tractatus in eo iure defendendo insumpserit? Supponunt igitur Constitutiones Romae publicatas *posse* et *facile posse* ad reliquas provincias pervenire et ab omnibus servari. Cur igitur *promulgationem* exigunt ubi notitia non uno medio certissime diffunditur? Quia scilicet promulgationi obstare potest praerogativa *regii placiti!* Hinc isti theoriam excogitarunt de necessitate *promulgationis* in singulis provinciis! Patet 2) argumento directo ex probatis. Nam tria habentur: *a*) factum *ex se notorium* h. e. publicatio Romae facta; *b*) officium in fidelibus maxime vero in episcopis factum illud cognoscendi; *c*) *medium multiplex* quo illud facile possunt non modo cognoscere quomodocumque sed *certo.* Ergo omnia habentur quae requiruntur ut lex *vere nota sit* proindeque omnes obligandi vim habeat. Constat ergo de primae propositionis veritate, quae ita potest efferri: *Facto ipso constare, promulgationem Romae solum factam legum pontificiarum quibus universus Christianus orbis obligetur, nullo pacto contra iustitiae rationem esse, quippe quae plane sufficiens haberi debet.*

Prop. 2. Ostendi potest promulgationem factam *in Curia Romana* legum pontificiarum *historice* agnitam fuisse ita sufficientem, ut leges illae vim omnes obligandi haberent.

Prob. Duo facta profert ipse Van Espen, quamvis mirum quot diverticula quaerat ut eorum vim effugiat. Haec igitur et nos ante alia proferemus:

Primum factum est, celeberrimam Bullam « *In Coena Domini* » nonnisi Romae publicari consuevisse. Atqui tum Pontificum mens tum sensus christiani populi profecto ostendit eam legem omnes omnino fideles obligare.

Dicendum igitur leges pontificias obligationem imponere per solam Romae factam promulgationem.

Aliud factum est, *Regulas Cancellariae Apostolicae*, quas vocant, Romae tantum publice edi, et tamen ad universum christianum orbem pertinere. Unde eadem sequitur conclusio quam superius innuimus. His factis alia addenda quae rem multo magis confirmant.

a) Saltem a sex saeculis hic mos invaluit, ut Sedes Apostolica nonnisi per Romanam promulgationem leges suas manifestet. Porro vel hoc sufficit vel non; si primum, habemus quod volumus; si alterum, dicendum Sedem Apostolicam auctoritate sua, a sex saeculis saltem, omnes in errorem inducere fideles, tum muneri suo plane defuisse medium eligendo quod prorsus impar esset fini assequendo, perperam proinde rexisse fideles et quidem errasse in iis quae pertinent ad generalem Ecclesiae disciplinam. Atqui hoc a catholico sensu plane abhorret.

b) Etiam antiquioribus saeculis continua monumentorum serie ostendi luculenter potest Romanos Pontifices eam tenuisse in suis legibus promulgandis rationem, ut leges promulgatas in uno loco, potissimum vero Romae, haberent tanquam obligatorias pro omnibus ad quorum notitiam devenirent quin alia indigerent promulgatione. Demonstrationem hanc historicam primus proposuit Zaccaria (1) et ex eo recentissime exscripsit cl. Bouix (2) immutato ordine demonstrationis.

c) Generatim dici potest ex universa inspecta Ecclesiae historia, Ecclesiam unice fuisse sollicitam ut *notitia legum* faciliori quoad eius fieri posset modo propagaretur, et hanc ob caussam diversa pro diversis adiunctis *media* ad hoc adhibuisse. At *numquam hoc fecit* ad tribuendum *ipsi legi vim obligandi,* quae habebatur statim ac lex *sufficienter promulgabatur.*

(1) Data opera de his disserit Zaccaria, Dissert. XI. De varia Ecclesiae praesertim latinae in promulgandis sacris Constitutionibus disciplina (inter diss. de rebus ad hist. atque antiquitates eccl. pertinentibus. Fulginiae 1781. T. II. pagg. 188-232). Potissima ex his transtulit in diss. italicam quae inscribitur « *Della forza obbligatoria dell' ecclesiastica disciplina* ». Faenza 1788, absque nomine auctoris §§ XV. sqq. pag. 95 sqq.

(2) De principp. Iuris Canonici, Part. II. sect. 2. cap. 6. § 3. pagg. 214-225.

Hinc sententia quam tuemur ex ipsa Ecclesiae historia praeclare demonstratur. Hoc tamen minime vetat quominus Ecclesia possit, si velit, iubere ut aliqua sua lex non obliget nisi promulgetur in singulis provinciis. Insigne est exemplum Concilii Trid. in Decr. de Reform. Sess. XXIV. Cap. I. *Tametsi, de impedimento clandestinitatis,* ubi omnibus Ordinariis praecipit, ut cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos.

At vero contra Bulla Pii IV confirmatoria ipsius Concilii « *Benedictus Deus* » habet communem clausulam de affixione in acie Campi Florae etc.

Prop. 3. Ostendi potest promulgationem *necessario faciendam* in provinciis singulis, ut lex pontificia quaelibet vim obligandi habeat, illud secum ferre, ut tum *in se* tum *ex eorum mente* qui illam tuentur leges ecclesiasticas plerasque prorsus inutiles reddat.

Si quis enim paullo apud semetipsum reputet quot huic *verae et propriae promulgationi* in singulis provinciis obstare possint sive ex parte civilis potestatis, sive ex parte ipsius quandoque populi etc., facile illud perspiciet, ecclesiasticae leges si serventur, id potius principium aut populorum benevolentiae quam Ecclesiae divinae auctoritati tributum iri. Hinc apparet nullam superfuturam eo in casu Ecclesiae in legibus ferendis libertatem, id enim praescribi solum poterit quod praevidetur haud aegre receptum iri, atque ita ut nisi recipiatur nullam ex sese imponat obligationem. Atque hinc apparet quam sapienter, auspice Deo, civilis fuerit Sanctae Sedis principatus constitutus, ut possit Ecclesia *liberrime* suas leges proponere servandas fidelibus universis.

Quae vero sit eorum auctorum mens (si paucissimos *forte* excipias intellectus errore deceptos) satis apparet ex eo quod tum maxime haec theoria de necessaria in provinciis legum ecclesiasticarum promulgatione defendi coepta est, quo acrius Eccle-

siae eiusque potestati ac libertati bellum illatum. Hinc eam adamant quotquot vel manifesti vel larvati febroniani et regalistae reperiuntur, eique quamvis ad alium scopum gallicani maxime inhaerent. Hinc cum ea sententia, probrosa illa connectuntur commenta *de Regio Placito*, tanquam necessario ut lex promulgari in provinciis possit, ne quid regia potestas ex Ecclesiae usurpationibus capiat detrimentum, et de *appellatione ab abusu*, qua ab Ecclesiae sententia ad laicum tribunal impune fas est appellare. Quae si semel admittantur, Ecclesia mancipium erit civilis potestatis, et quin plena legifera polleat potestate, vinculis quacunque ex parte iniectis in servitutem redigetur. Nemo vero hos inter auctores veteres recenseat canonistas, de his enim in tertia quaestione ostendemus aliud omnino tenendum esse. Hinc *historice* constat, nunquam ab Ecclesia habitam fuisse *tanquam necessariam* legum ecclesiasticarum promulgationem in provinciis.

Si enim *a*) a sex saltem saeculis nonnisi Romae leges pro universa Ecclesia promulgantur: si *b*) antiquioribus etiam saeculis *continua fere monumentorum* serie ostenditur, ut effecimus, plane aliam fuisse ac regalistae vellent, Ecclesiae oeconomiam, consequitur certissime promulgationem in provinciis minime iudicatam fuisse omnino necessariam ut lex obligationem imponeret (1).

Quare abutuntur legitima ratiocinandi forma qui cum Van Espen innituntur principio, deficiente canonica lege, rem esse iuxta civilem iudicandam. Etenim 1) etiamsi id concedatur pro aliqua peculiari controversia, plane est sophisticum, id *ad omnia extendere*, et nominatim ad *formam promulgationis* eamque *necessariam* ne lex frustra sit servanda. Factum enim constans contrarium ostendit.

Ad haec 2) ponamus Ecclesiam *aliquando* ad maiorem facilitatem ea ratione in suis legibus promulgandis semet gessisse, ut civilis potestas, an hoc sufficit ut Ecclesia dicatur eam formam tanquam ad *promulgationem necessariam* iudicasse? Ut hoc falsum ostendatur sufficit mentem convertere ad illas tam multiplices tamque frequentes, si dici velint, *exceptiones* quas

(1) Zaccaria et Bouix, ll. cc.

cum Zaccaria in probatione secundae propositionis memoravimus. Quare plane desipiunt qui corrogatis unde unde paucis exemplis, ad *necessitatem* probandam iis utuntur. Ergo ex historia Ecclesiae illud constat, eam peculiarem promulgationis formam minime necessariam iudicatam fuisse. Hactenus de facti quaestione.

III. *Quaestio critico–hermeneutica seu interpretationis.* Cum regalistae tum *iure* tum *facto,* ut ostendimus, falsitatis manifeste revincantur, dum affirmant necessariam esse legum pontificiarum promulgationem in singulis provinciis ad obligationem inducendam, sibi praesidium quaerunt in auctoritate quam sibi favere iactant, quorumdam insignium veterum canonistarum. Fatendum est etiam, praeclarissimos quosdam apprime catholicos Doctores, affirmare veteres canonistas in regalistarum sententiam iamdiu concessisse. Si Suarez *(De Legibus lib. IV. c. 15, n. 1)* recenset pro ea sententia *Abbatem Panormitanum, Felinum, Decium, Navarrum, Angelum a Clavasio, Medinam.* Pariter Reiffenstuel *(in lib. I. Decr. Tit. II. § V. n. 125)* iis addit *Antonium de Butrio, Cardinalem Zabarella, Ioannem monachum* allegatos a *Farinacio;* et ex recentioribus *Lessium, Layman, Marchant, Sannig, Pirhing, Engel* et concludit, ex hac auctoritate suam non deesse huic sententiae probabilitatem, quod quidem licet minus sit verum, ferri utcumque posset si de mera scholastica disceptatione ageretur, et a nobis qui adversus regalismi perfidiam pontificia iura tuemur minime est tolerandum. Attamen ab Institutionum indole abhorreret, si numeris omnibus absolutam critico–hermeneuticam disquisitionem perficere aggrederemur. Quare eius veluti fructum, nonnullis propositis cum veritate apprime consonis animadversionibus, exhibere curabimus. Igitur:

1) Cum constet de *iure* et de *facto* omnino sententiae regalistarum contrariis (heic qq. 1, 2) etiamsi concederemus totum, difficultas posset *praescribi.* Sequeretur enim eos veteres Doctores hac in re *a veritate* aberrasse.

2) Verum cum admodum difficile sit, ut quo tempore praxis Romanae Curiae erat eiusmodi qualem superius ostendimus, Doctores in schola contrariam decretorio modo docerent sententiam, hinc dubitari iure potest de huius affirmationis veritate, et inspicienda sunt testimonia quae obiiciuntur.

3) Si autem ea testimonia inspiciantur illud in primis eruitur, nonnullos ex iis qui allegantur diserte nostram sententiam tenuisse. Unum proferam Panormitanum qui *(in cap. Noverit 49 de Sent. Excomm.)* (V. 39) ad textum: *intra duos menses post huiusmodi promulgationem sententiae* inquit: « *in Glossa in v.* « – *intra duos menses,* – ibi, *a tempore publicationis.* Ex hoc « dicto Glossae infertur, quod hodie non expectatur lapsus isto- « rum duorum mensium nisi ab olim haec constitutio fuerit « probata: licet quidam dicant, quod isti duo menses excurrunt « a tempore publicationis specialiter fiendae in qualibet provin- « cia: *quia ignorans non est contumax et per consequens non* « *incidit in excommunicationem.* Sed dictum glossae plus placet « Ioanni Andreae, et *hoc credo verius, nam Constitutio Papae* « *non est necessario publicanda in qualibet provincia, quia satis* « *est quod publicetur in Curia romana.......* et maxime hoc « procedit cum haec constitutio sit redacta in corpus iuris, quia « nemo praesumitur haec ignorare ».

Ergo *a*) diserte Abbas tenet sententiam nostram; *b*) ea ratione loquendi ut veluti omnibus notam exhibeat, utitur enim ea ad aliud demonstrandum; *c*) *scopus* non est inquirere quid requiratur ut *lex obliget ex se,* sed quid ut ignorantia excuset etiam *in foro externo,* quae est toto coelo diversa quaestio. *d*) Cum Abbas tam peremptorie loquatur, *dubia loca* si adsint ex hoc loco sunt explicanda et intelligenda.

4) Accedit duplicem eamque aliam ab alia toto coelo diversam iis priscis canonistis *in schola Textum enarrantibus* fuisse controversiam, *ontologicam* propemodum, scilicet, utrum promulgatio solum Romae facta sufficiens sit ex sese ad obligationem ex parte legis inducendam, et *scientificam interpretationis,* quid dicendum esset, *attento solum iure scripto,* cum ex una parte nulla lex canonica de modo promulgationis habeatur, et ex alia sit principium in iure, ubi deficit lex canonica vigere ius romanum: habeatur autem Novella « *Ut factae novae* » de publicatione necessario in singulis provinciis facienda.

Testis huius rei est Navarrus qui allegatur a Reiffenstuel tanquam nobis adversus.

Difficultas prima fronte oriri potest ex iis quae dicit in Manuali cap. 24, n. 44. « *Constitutiones pontificiae vel imperato-*

« *riae non obligant, nisi post tempus in ipsis praefixum si quod* « *praefigatur, alias post duos menses ab ipsarum promulga-* « *tione facta in provincia* (Auth. *Ut factae novae Constitutio-* « *nes*) *iuxta opinionem communem et veram Antonii* (De Butrio), « *quam tenuimus in cap.* 2 *de Constitut.* ». Sed notanda est allegatio qua nos remittit ad ea quae dixerat in cap. 2. de Constit.

Iamvero ibi ita loquitur: « Una opinio quae *pauciorum* est, « tenet legem promulgatam in curia principis, non ligare.... sub- « ditos extra provinciam.... Ioannes Andreas tenet id quod di- « cimus de lege imperatoris, et eadem ratio vel maior videtur « de lege Papae.....

« Altera vero opinio quae *frequentior* est, tenet contrarium, « videlicet quod lex ligat omnes etiam provinciales post duos « menses, a promulgatione legis in *Curia* facta »; et post allatas plures rationes, sic concludit: « Per quae omnia videtur « resolvendum, quod attento *solo iure scripto* prior opinio vi- « detur verior, attento vero *stylo et consuetudine Ecclesiae, Cu-* « *riaeque Romanae* posterior *servari debet,* quoad leges Papae, « nempe quod requiratur quidem promulgatio earum, sufficere « autem quod fiat Romae in locis ad id praestitutis, ut ligent « etiam provinciales post duos menses, *vel aliud tempus expres-* « *sum in eis* ».

Ergo hic Navarrus docet 1) *servandam esse consuetudinem Ecclesiae Romanae,* 2) ideo quia ut monet superius ipse Navarrus « *consuetudo Ecclesiae et stylus Curiae vim legis ha-* « *bent* » quod vero 3) aliam sententiam dicat *veriorem attento iure scripto,* id puto significare; cum ex communi principio veterum canonistarum, *servandum sit ius civile ubi lex ecclesiastica non distinguit* (h. e. non aliter decernit, sed intellige sive per legem scriptam sive *per consuetudinem*) cumque de modo promulgandi leges pontificias nulla determinata forma praescribatur in corpore iuris, hinc intelligitur cur illa sententia nobis contraria dici possit verior *attento iure scripto,* propemodum *in sensu diviso.* Hinc intelligi potest ratio loquendi veterum quorumdam canonistarum qui dum diserte pluries veram sententiam tenent de legibus pontificiis, dum tamen enarrant textum canonicum ad *cap.* 2 *Cognoscentes De const.* ad promulgationis modum provocant in Iure romano statutum.

5) Insuper et illud notandum, eos quandoque solummodo *polemice* impugnare argumenta opposita idque, *in controversia interpretationis iuris scripti.*

6) Doctores illi *directe* loquuntur de ignorantia quae excuset a poena, quo scilicet tempore ea debeat computari, non vero de iis quae requiruntur ad sufficientem legis *promulgationem* quod est plane aliud. Hinc abutuntur eorum testimoniis regalistae.

7) Denique nomine promulgationis quamcumque intelligunt legis notitiam, atqui profecto haec requiritur ad obligationem inducendam, nisi culpae sit ignorantia vertenda.

Haec si prae oculis habeantur, nihil nobis timendum est ex veterum aeque ac paulo recentiorum canonistarum sententia. Ceterum, ut dixi initio, haec difficultas *per se* nulla est (1).

Scholion II.

De legum pontificiarum acceptatione.

Controversiam hic offendimus ortam ex modo loquendi DD. quem minus forte quidam intellexerunt. Supponimus hic satis constare, legem, ad hoc ut obligationem imponat non requirere praeviam populi acceptationem, etiam absque principis consensu, in hoc enim omnes fere consentiunt, et sententia si qua est contraria, manifesto est falsa. Ex iure enim ipso naturali, necessitas praeviae acceptationis est plane absurda, lex enim evaderet *ex sese* praeceptum inane: quin et ridenda; legis enim formula huc rediret: *fiat hoc, qui in legem deliquerit poena mulctetur, si tamen vultis, secus nihil fiat.* Quod vero spectat ad leges pontificias, id non solum aequo iure sed longe potiore affirmandum est: Ecclesia enim non solum est societas perfecta sed divinae etiam positivae institutionis.

De alia igitur nobis agendum est controversia, utrum scilicet id possit affirmari, *ex ipsius legislatoris voluntate,* qui ita le-

(1) Qui plura cupit, adeat egregium opus posthumum Antonii Ballerini e Societate Iesu « *Opus theologicum morale in Busembaum Medullam absolvit et edidit Dominicus Palmieri ex eadem societate* » Prati, Giacchetti 1889, vol. I. pag. 668. sqq.

gem ferat ut *nolit* eam obligare nisi prius acceptetur a populo. Bouix, auctor alioqui praeclarae notae e recentioribus, et pontificiis iuribus impensissime obsequens (1), statuit hanc thesim:

« *Sententia tenens quasdam leges pontificias ad disciplinam* « *spectantes non statim obligare antequam acceptentur, modo* « *hoc tribuatur liberae voluntati Summi Pontificis,* licita est et « *sustinetur* a multis doctoribus catholicis.

« Illam sententiam, subdit, sustinent, Cardenas, Valentia, « Tanner, Lessius, Becanus, Reginaldus, Sa, Filliuccius, Kokier, « Homobonus, Navarrus, Miranda, Diana, Azorius, Bonacina, « quos omnes citat Cardenas (2) ». Tum praeter hos profert Cabassutium, Iuveninum, Card. De Aguirre et Suarez.

Ex hoc modo loquendi patet Bouix non ex suis fontibus sed ex Cardenas allegationes descripsisse. Sed et ipse Cardenas, dicit illos auctores referre et sequi Dianam, quod ultimum ut mox ostendam verum non est. Ergo et Cardenas ex Diana allegationes auctorum in suum opus derivavit quod sane notandum est. Accedit, eo modo loqui ipsum Cardenas qui sane est attendendus. Postquam enim sententiam illam (l. c.) et auctores qui eam tenent ex Diana collectos protulit, subdit (n. 54): « Oppositam « sententiam quae docet leges canonicas obligare ante quamcum- « que acceptationem tenent *Suarez* (qui tamen a Bouix citatur « pro alia) *De Legibus lib. IV. c. 16,* et apud ipsum Corduba, « Victoria, tum Bellarminus et Felinus, Vasquez, Baldellus, Ca- « stropalao. Item Basilius Pontius, Puteanus, Malderus, Lor- « ca etc. ». Patet ergo huic patronos non deesse. Dixi insuper, falsum esse quod dicit Cardenas, nempe Dianam sequi sententiam requirentem acceptationem. En eius verba (3), post allegatos illos auctores: « *Sed his non obstantibus, quoad leges* « *pontificias credo, non esse recedendum a prima sententia,* (pro « qua multos etiam auctores allegaverat) cum Pontifex *iurisdi-* « *ctionem accipiat immediate* a Deo et non a populo, et ideo « eius lex non pendet quoad obligationem a populi acceptatione, « et per hoc peccant illam non acceptando, *quamvis quae per*

(1) *De principiis Iuris canonici,* pagg. 185 sqq. ed. 1852.
(2) *De Legibus,* disp. 29. c. 3. a. 2.
(3) *Resolutt. morall.* P. I. tract. X. resol. 1. pag. 147. ed. Ven. 1646.

« *non usum est abrogata non obliget amplius* ». Quae postrema verba iustam suspicionem ingerunt, ne forte tota haec controversia mera aequivocatione constet quod nempe nomine acceptationis non *ius* debeat intelligi sed *factum*, quatenus forte non absque iniuria et culpa, attamen lex *moribus utentium non firmata, vim suam amittat*. Quod profecto est a Bouixii affirmatione toto coelo diversum.

Quae porro suspicio augescit si plerosque consulas auctores allegatos. Sane

I. *Filliuccius* (Morall. quaest. T. II. tract. 21, cap. 11, q. 11, n. 429). « Dico secundo, legem promulgatam si *usu non recipiatur non obligare:* an Filliuccius potest afferri ? Insuper quaenam est quaestio n. 428 ? » De Consuetudine, quid sit, quomodo obliget, abrogetne aliquando legem: ubi indiscriminatim de *omnibus* legibus disserit.

II. *Valentia* (Comm. theologicorr. T. II. disp. 7, q. 5, punct. 5), post prolata argumenta pro necessitate acceptationis pro *omnibus legibus* concludit: « Verum minime excusandi ii superiores seu « praelati, quorum *negligentia fiat ut a subditis lex non acce-* « *ptetur et in praxim deducatur si nimirum,* prout debent non « curant, *ut leges per supremam auctoritatem latae ad notitiam* « *subditorum perveniant* ». Ex quibus apparet quomodo sit intelligendus Valentia, acceptationis nomine non *ius* sed *factum ex negligentia superiorum* insuper pendens usurpans.

III. *Becanus* (Summ. Theol. p. 2, tract. 3, c. 6, q. 8, n. 2). Primo loquitur de *omnibus,* secundo nititur allegationibus Azorii, tertio sese explicat satis his verbis: « Dices 2° vel subditi pec- « cant non recipiendo legem Pontificis, vel non peccant. Si pec- « cant, ergo tenentur recipere ne peccent; si non peccant, ergo « non tenentur in conscientia obedire Pontifici quod absurdum « est. Respondeo: quando subditi habent *causam rationabilem* « *propter quam non recipiunt legem tum non peccant*..... quia « in tali casu non censetur Pontifex velle eos obligare. *Quando* « *autem non habent causam rationabilem tum peccant quidem* « *non recipiendo legem* (ergo si peccant lex eos obligat) *sed* « *postea non obligantur* (h. e. ex consuetudine tolerata) ad le- « gem servandam ». An Becanus requirit acceptationem ad hoc ut lex habeat vim obligandi ?

IV. *Reginaldus* (Praxis fori poen. T. I. lib. 13, c. 16, n. 161) haec habet: « quod dicitur ad obligationem legis requiri ut re« cepta sit a populo, non esse sic accipiendum quasi superior « sua lege obligare non possit nisi interveniente subditorum con« sensu, sed quod ut obligatio legis perseveret ea firmari de« beat moribus utentium ». Quomodo ergo potest allegari Reginaldus ?

V. *Navarrus* (Manual. c. 23, n. 43) « Verum tamen est con« suetudinem transgrediendi aliquam legem multum incitare ad « contemnendam illam adeoque ab ea cavendum est. Dixi sine « iusta caussa, quia haec semper a mortali excusat ». Navarrus ne quidem loquitur de acceptatione.

VI. *Lessius* (de Iust. et iure lib. II. cap. 22, dub. 13, n. 98) loquitur de Bulla S. Pii V. circa census a. 1596 utrum obliget Germanos « Tertio etiamsi lex sit promulgata si tamen ipso usu « et moribus utentium non recipiatur, nec superiores instent et « curent executioni mandari non obligat ». Quid igitur allegatur Lessius ?

Haec speciminis gratia iam satis superque sunt ut appareat quid nomine acceptationis doctores allegati intelligant.

VII. Neque praesidium illi sententiae afferre potest praeclarissimae sane notae canonista Zallinger, si eius doctrina in tota sua complexione spectetur.

Etenim (ad tit. de Const. n. 125) ea prima fronte habet quae consentiunt cum Bouix. En eius verba: « At, inquies, sunt do« ctores probi et catholici non pauci, qui leges pontificias si « promulgatae speciatim in provinciis et receptae non sint, vim « et obligationem habere negant. Respondeo: negant hoc ex « praesumpto *defectu voluntatis* pontificiae, non item, ut fe« broniani docent, *ex defectu potestatis*....... Hoc igitur de « pontificiis legibus quae ad disciplinam spectant, nec aliarum « antea vigentium merae declarationes seu authenticae interpre« tationes sint, statui potest: *si istiusmodi lex pontificia spe« ciatim in dioecesi non promulgetur, praesumi potest, Ponti« ficem nolle obligare dioecesanos, vel* (attende haec verba) « *ipsum potius Ordinarium de difficultate legis hoc loco pro« mulgandae aut observandae cum Sede Apostolica egisse aut « agere ut propterea eius obligatio interea suspensa maneat* ».

His postremis verbis Zallinger clare explicat mentem suam in superioribus nonnihil implexam, neque enim agitur de necessitate acceptationis, libere in eam consentiente Pontifice, hoc enim est absurdum, sed de *iudicio prudentiae* quo per legitimam epikeiam, episcopus censet, Pontificem eo quod ignoret peculiaria illius regionis adiuncta consensum praebere ut suspendatur obligatio, donec de iis certior effectus statuat quid agendum. Cf. etiam de hac re Benedictum XIV. *(de Syn. lib. IX. c. 8).* At hoc nullo pacto pertinet ad necessitatem illam commentitiam acceptationis, quae neque sibi constat neque ulla gravi DD. auctoritate fulcitur. Notandum tamen licet huc non faciat, alio plane sensu antiquos doctores dicere principem civilem habere potestatem a populo, ac post falsa principia *Declarationis Iurium humanorum* ann. 1789 passim modo affirmatur.

§ II. *De legis exsistentia sive de iuridico legis actuali valore dignoscendo.*

65. Ut lex rite possit tanquam sociale medium *imperative* propositum ad finis assequutionem, effectum suum obtinere, oportet ut constet non solum eam *in se* omnia quae eius essentiam constituunt habere, sed insuper eam actu vigere. Hinc opus est, omnino dignoscere nihil esse quod obsit quominus lex iuridicum suum valorem *actu* possideat. Actu, inquam, saepe enim leges prius vigentes dein vim suam multiplici ratione amittere notum est.

Hoc autem triplici modo fieri potest:

a) *ex toto* vel *ex parte*

b) *perpetuo* vel *temporarie*

c) *positive* vel *interpretative*

seu lex cessare potest per *abrogationem* vel *derogationem,* per *dispensationem,* per *epicheiam.*

Cum de his tum philosophi tum theologi morales in tractatu de Legibus fuse disserant, pauca quae magis pertinent ad nostram disciplinam hic recensebimus.

ARTICULUS I.

De legis abrogatione seu derogatione.

66. *Abrogatio* est « *totalis legis abolitio facta a legislatore vel a caussa aequipollente* ». Si non tota lex, sed eius tantum pars aboletur, tunc legi *derogatur*.

1°. Abrogatio legis fit a legislatore vel

a) *directe* legem ipsam revocando quia tunc actus legislatoris totus exhauritur in legis abolitione vel

b) *indirecte* legem posteriorem sanciendo quae obligationem imponit priori adversam quaeque cum ea simul nequit componi, abolitio enim prioris legis indirecte sequitur ex posterioris legis sanctione.

c) hinc nulla est *ex sese* necessitas ut legis quae indirecte aboletur fiat mentio, et si fiat id totum pendet ex voluntate legislatoris, nihil vero influit in novae legis vim, nisi forte agatur de eo qui plena non fruitur legifera potestate (1).

2°. Abrogatio vero legis fit *per caussam aequipollentem* nullo etiam interveniente actu legislatoris:

a) *per contrariam consuetudinem* de qua agemus titulo IV;

b) *per cessationem ipsius legis*, eo quod finis eiusdem *intrinsecus* et *adaequatus* desinit. Tunc enim deficit lex in eo quod ad eius tamen pertinet essentiam, ut sit *in bonum communitatis*.

Hinc intelligitur abrogationem quam a legislatore factam diximus (heic 1°) *expressam* appellari; quae a caussis *aequipollentibus* (heic 2°) *tacitam* quoque vocari.

Demum iuverit animadvertisse discrimen quod apud antiquos Iurisconsultos has inter voces admittebatur – *Abrogare* – *derogare* – *subrogare* – *obrogare*: scilicet: *abrogatur* legi cum ea prorsus tollitur, *derogatur* cum ei pars detrahitur, *subrogatur* cum aliquid adiicitur, *obrogatur* cum alia lex fertur priori contraria.

(1) *Cap. Licet de Const. in 6.*

67. Abrogationis *leges* hae statuuntur :

I. Generalis regula est: « *abrogatio per se* (h. e. seclusis peculiaribus adiunctis) *est odiosa* » adeoque restringi debet *Cap. Is qui de Filiis presbyt. in 6, et cap. Cum expediat 29 de Electione in 6.* Hinc generale principium « Correctio iurium est odiosa » (Reiff. I. C. Prooem. § XII. n. 202). Cf. Suarez de Legibus lib. VI. c. 27, n. 4, qui in hanc rem tum alios Iuris textus allegat, tum plures doctores. Hinc

II. Magis determinata lex profluit qua statuitur: *legem generalem, licet posterior sit, non abrogare legem priorem specialem, neque particulares consuetudines.* Haec enim omnia tamquam *exceptiones a lege generali* censentur, nisi abrogentur expresse *Cap. 1 de Const. in 6* supra cit.

III. Item correctio anterioris legis, non est extendenda ultra quam verba posterioris requirant, per illationes probabiles non tamen necessarias. Huc pertinet illa regula. *Cap. 28 de RR. I. in 6, et ibi Reiff. (Comm. in RR. Iuris in 6)* « *Quae a Iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* ».

IV. Lex quae ad pristinum ius, correctricem legem reducit, vicissim *odiosa* non est, adeoque est *latioris interpretationis* capax. Hinc Glossa *(Cap. Statutum de Praeb. in 6,* v. *Numerandum): Item per hanc* (legem) *reditur ad Ius commune, extendenda est igitur ut de facili ad suam naturam redeat.*

68. Occurrit hic incidens quaestio, quae tamen ad nostram disciplinam maxime pertinet, utrum nempe excipi debeant a lege superius statuta (66. *c*) decreta Conciliorum oecumenicorum. Profecto de iis sermo est quae ad disciplinam pertinent. Haec controversia movetur de decretis Concilii Tridentini quo ut alias diximus maxima pars *iuris ecclesiastici novissimi* quod modo obtinet continetur. Non autem quaeritur, utrum iis Summus Pontifex possit *pro suae apostolicae potestatis plenitudine abrogare,* hoc enim negare nimis esset absurdum, sed quaeritur, an opus sit ut de iis *expressa mentio* fiat in *contraria iisdem Constitutione.* Apparet autem id omnino negandum. Sane id suadet 1) axioma iuris « *Principem ius ignorare numquam praesumi* » quod effertur etiam eadem sententia *Cap. Licet 1 de Const. in 6.* Ita enim loquitur Pontifex Bonifacius VIII :

« *Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris* « *sui censetur habere), constitutionem condendo posteriorem,* « *priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare* « *noscatur; quia tamen locorum specialium et personarum sin-* « *gularium consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto* « *consistant) potest probabiliter ignorare, ipsis, dum tamen sint* « *rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam (nisi ex-* « *presse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare* ». In hoc testimonio notetur 1) argumentum capitis esse « Nova Constitutio Principis tollit primam contrariam, quamvis id non exprimat »; 2) Bonifacium VIII generatim opponere *leges* et *consuetudines;* leges *habet Pontifex in scrinio pectoris sui* seu censetur eas noscere, consuetudines non item; 3) rationem disparitatis desumi *ex facto* non *ex iure;* 4) comparate ad *ius,* voces adhibitas esse amplissimae significationis. At vero 5) tempore Bonifacii VIII profecto exstabant conciliorum oecumenicorum decreta. Confirmat hanc intelligendi rationem Glossa (ibi v. *noscatur*), quae tota est in designandis *antinomiis* ex aliis textibus, quin ullam de ipso principio moveat controversiam.

Neque minus id suadet 6) quod declaravit s. Pius V *Const.* « *Cum contingat* » *23 Dec. 1570* per haec verba: « Cum contin- « gat plerumque dubitari in causis in Rotae auditorio Nostro « et alibi pendentibus, super provisionibus et commendis, unio- « nibus et aliis dispositionibus ac aliis gratiis apostolicis quae « contraveniunt decretis Concilii tridentini, sitne opus speciali « derogatione eiusdem Concilii, nos quaecumque dubia desuper « mota et movenda submovere volentes, *ac quorumcumque De-* « *cretorum Concilii huiusmodi tenores, praesentibus pro ex-* « *pressis habentes,* ex certa nostra scientia et de apostolicae « potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitu- « tione *declaramus, neque speciali neque generali derogatione* « *eiusdem Concilii opus fuisse et esse* in quibusvis collationi- « bus, provisionibus.... Nostra tamen et Praedecessorum ac Suc- « cessorum manu signatis etc. ». Additur: « *Lectus et publi-* « *catus fuit superscriptus Motus proprius Romae in Cancella-* « *ria Apostolica anno Incarnationis Dominicae 1570 die vero* « *sabbati 23 mensis Decembris Pontificatus SS. D. N. Pii PP. V.* « *anno quinto* ».

Hinc S. C. C. in Abulens. ann. 1593 ad IX dubium: « *An « ad derogationem S. Concilii tridentini sufficiat Papam contra « illud* RESCRIBERE, *absque illius speciali vel generali deroga- « tione, ut Pius V declarasse dicitur* » respondit: « *Si suppli- « catio manu Papae signata fuerit, non requiritur nec gene- « ralis nec specialis derogatio* ». « Et ita etiam fuit declaratum « in Cancellaria Apostolica per Abbreviatores ». Hactenus Garcia (De benef. Par. IV. c. 5, nn. 33–36). Illam vero declarationem S. C. C. refert Garcia *in extenso* (P. V. c. 8, n. 87) addens: « *hanc habeo authenticam nempe subscriptam manu Illustrissimi « Cardinalis Mattei et eius sigillo munitam* ».

69. In *additionibus* vero ad n. 34 haec leguntur: « Accedit « alia declaratio quam adducit Quaranta *Summ. Bull. v. Con- « fessor ad fin.* tenoris sequentis: « Illmi et Revmi Domini: « Xistus Papa Quintus felic. rec. indulsit Patribus Congregatio- « nis Oratorii, ut qui ex eis praevio examine ad audiendas con- « fessiones in ipsa Urbe a Vicario approbati fuerint, extra eam- « dem Urbem, absque alio examine, de licentia tamen Ordina- « riorum locorum, confessiones libere audire valeant. Sed quia « in partibus praecipue Neapolis, ipsis in dubium revocatur pri- « vilegium praedictum, sub praetextu quod non contineat prae- « cisam derogationem, neque mentionem aliquam Concilii tri- « dentini (Sess. 23, c. 15 de Refor.) quo cavetur, ne quis abs- « que propriorum Dioecesanorum examine audeat confessiones « audire; ideo praedicti Presbyteri Congregationis Oratorii sup- « plices desiderant super hoc responsum a Sacra Congregatione, « an fuerit necessaria derogatio Sacri Concilii tridentini. Con- « gregatio Concilii censuit, si huiusmodi privilegium fuerit, ut « proponitur, a Sede Apostolica concessum, utique omnino esse « observandum, quamvis nullam derogationem aut mentionem « Concilii tridentini contineat ». *(Nicolai Garcia additiones ad primum et secundum Tomum de Beneficiis pag. 39 fol. vers.).* V. etiam Fagnanum *in cap. Nulla de Praeb. n. 85.*

70. Notandum tamen haec pertinere ad *rescripta,* unde argumentum nostrum est *a minori ad maius.* Hinc idem Garcia (l. c. n. 47) subdit: « Quando autem Papa disponeret aliquid « contra Concilia, non per viam rescripti, sed legis seu con- « stitutionis, non requiritur, ut existimo, ulla derogatio etiam

« generalis ex *Cap. 1 de Const. in 6,* quod generaliter et in-
« distincte loquitur, ut tenet ibi clare *Glossa v. noscatur,* quam
« sequitur *Ancharan.* et hoc ait verius *Felinus sub v. forte,*
« *in cap. Nonnulli 28 de Rescript. n. 5* ». Tum ibi plures recenset auctores, sive pro *affirmante* sive pro *negante* hac in re sententia. At ex dictis patet negantem sententiam nullo solido argumento fulciri; quod magis clarum fiet, illis recensitis argumentis et breviter refutatis, quae pro ea proferuntur.

71. *Primum* quod est, decreta Concilii *maturius* fieri adeoque absque expressa mentione iis derogatum fuisse haud censeri, nullam vim habet. Iniuriosum siquidem est dignitati legislatoris, supponere, eum dum contrariam edidit constitutionem semet leviter gessisse. At multo etiam deterius ibi latet consectarium, quod ipsam legum validitatem aggreditur, scilicet fas esse, obtentu maioris vel minoris maturitatis a legislatore adhibitae, legem admittere vel evertere.

72. *Alterum* argumentum quod maiorem speciem habet, continetur nonnullis *textibus Iuris* qui nobis opponuntur; sunt autem hi praecipue:

Cap. « Ecclesia vestra » 57 de Elect. quoad ea verba: « *Ne-*
« *que enim credendum est Romanum Pontificem (qui iura tue-*
« *tur), quod alias excogitatum est multis vigiliis et inventum,*
« *uno verbo subvertere voluisse* ».

Cap. « Nonnulli » 28 de Rescript., ex quo verba opponuntur: « *nisi expressam de hac Constitutione fecerint* (Literae Apostolicae) *mentionem* ».

Cap. « Eam te » 4 de aet. et qual. praeficiend. ad ea verba:
« *ne... ad curam animarum etiam litterarum Nostrarum obtentu*
« *institui patiaris, (personam) quae scientia, moribus et aetate,*
« *Concilii non congruat institutis* ».

Cap. « Ex parte » 3 de Capell. Monach. quoad ea verba:
« *Cum autem id obviet lateranensi Concilio* » (singulos scilicet monachos singulis in prioratibus commorari) « *de quo nulla*
« *mentio est in litteris antedictis, Fraternitati tuae breviter re-*
« *spondemus, quod huiusmodi litteras ab Apostolica Sede non*
« *credimus emanasse. Quod si per occupationem forsitan ema-*
« *naverint* NOLUMUS PER HOC DEROGARI CONCILIO SUPRADICTO ».
(Porro haec postrema verba, per se sola sufficerent, ad hunc textum in adversarios retorquendum).

73. At vero, omissa in textus ipsos subtiliori inquisitione, quae ad scholam spectat Decretalium, rite inspectis verbis quae opponuntur, haec animadvertimus:

a) In iis testimoniis agitur plerumque de *Rescriptis* (quae proinde *casus particulares* respiciunt), non vero de *legibus generalibus;* porro inter haec magnum intercedit discrimen.

b) Imo agitur plerumque de iis casibus particularibus, in quibus illud ipsum quod statuitur, de expressae mentionis necessitate, omnibus rite inspectis, est instar exceptionis quae « *firmat regulam in contrarium* » uti in casu de quo *Cap.* « *Nonnulli* » *28 de Rescript.*

c) Vel dubia erat rescripti veritas ut *Cap. 3 de Capell. Monach.* Quamvis, textus possit retorqueri. Eo enim ipso, quod Pontifex ait: *nolumus per hoc* etc. apparet veram rationem *ex eius voluntate* esse *unice* repetendam: vel

d) denique, de iis agitur, in quibus praesumi non potest principem consensisse. Haec autem postrema animadversio significat rationem haud esse desumendam *ex defectu potestatis* sed *voluntatis,* quod est toto caelo diversum (1).

74. Cum *derogatio* nonnisi amplitudine ab abrogatione differat, siquidem non tota lex sed eius tantum pars tollitur, patet ea omnia quae de abrogatione dicta sunt aeque de derogatione dici oportere. Hinc etiam intelligitur quid sibi velint *clausulae derogatoriae* vel *derogatoriarum derogatoriae* de quibus v. *Barbosa Tract. de Clausulis Clausula XLIII.*

75. Denique si quaeratur *quis legi abrogare aut derogare possit,* facile perspicitur, eum id posse, qui vel *successor* est in magistratu vel *superior.* Quare si lex decessoris fuerit a superiore confirmata, successor eidem derogare nequit.

(De abrogatione agunt DD. ad tit. 2, lib. I. Decretal. Conferri possunt Schmalzgrueber in h. t. § VIII. nn. 50–56. Zallinger in eumdem tit. § 186).

(1) Cf. *Card. Petra, ad Constit. XVIII. Innocentii IV.* « *Noverit* » *n. 20 cum allegationibus (Tom. 3 pag. 179 ed. Romanae 1708); Giraldi Exposit. Iuris Pont. Par. I. sect. 540. p. II. sect. 199.* § « *Et hic notandum* » Ben. XIV. De Syn. lib. XIII. c. 24. n. 23 (ed. Rom. 1806 t. 2. pag. 314); *Gonzalez, ad cap. Ex parte 3 de Cappell. Monach.* Contrariam tenent sententiam *Barbosa in Collectaneis ad dict. cap. Ex parte, De Off. et pot. Ep. par. 2. alleg. 33. n. 24,* ubi plures etiam allegat.

ARTICULUS II.

De dispensatione.

76. Ad rite cognoscendum actualem legum valorem haud sufficit nosse legem abrogatam non fuisse; potest siquidem fieri ut sin minus omnes, quaedam determinatae personae saltem *ad tempus* ab eius obligatione eximantur, manente pro reliquis legis valore in sua integritate. Tunc persona seu personae determinatae quae a lege vel aliqua eius parte eximuntur *dispensari* dicuntur. Est igitur dispensatio: « *Exemptio alicuius ab obligatione legis* ». Porro haec exemptio concedi non potest nisi ab eo qui in legem habet potestatem. Ex hoc generali principio peculiares dimanant regulae inferius innuendae.

77. Sedulo distingui debet *facultas dispensandi et actus dispensandi*. Facultas dispensandi est potestas in legem sed in *actu primo*. Actus dispensandi est illius potestatis exercitium, scilicet est potestas *in actu secundo*. Hinc facultas dispensandi, quatenus spectatur in ipso legislatore exhibet veluti decus ac insigne potestatis; quatenus vero spectatur ut communicata alicui personae ab ipso legislatore, rationem habet *beneficii ex mera liberalitate* illius dimanans. At contra *dispensationis actus* cum habeat tanquam effectum, ut aliquem eximat ab obligatione inducta per legem, legem ipsam laedit, ad quam necessario relationem habet. Hoc prae oculis habendum ut rite vis deprehendatur regularum quae pro dispensatione traduntur, quas subiicimus:

I. *Facultas dispensandi* per se est *favorabilis,* adeoque quando est alteri communicata est *latae interpretationis*, nullius enim ius laedit nisi principis id libere concedentis *(Cf. Fagnanum in Cap. Dilectus 15 de Temp. Ordin. n. 20)*.

II. *Facultas dispensandi* quae est *per accidens* in praeiudicium tertii est *odiosa et strictae interpretationis (Cf. Fagnan. cit. in cap. Mandato de Simon. n. 39)*.

III. *Actus dispensandi* quippe qui vulnus est legis, *odiosus est et strictae interpretationis.*

IV. Inferior in lege superioris dispensare non potest, nisi vel a superiore vel ab iure ad id habeat potestatem. Adverte tamen, discrimen in hoc esse quod dispensandi facultas dicitur ab iure quando vel *lege universali* vel *legitima consuetudine* habetur, a superiore (ab homine) quando in casibus determinatis *particulariter* uni vel pluribus conceditur. Ex hac regula sequitur:

a) episcopos *regulariter* dispensare non posse a Constitutionibus Apostolicis, vel a decretis conciliorum generalium vel provincialium, sunt enim his omnibus inferiores. Possunt vero a decretis synodi dioecesanae eo quod in ea *solus episcopus* verus est legislator. Contra vero archiepiscopus seu metropolitanus dispensare non potest a decretis concilii provincialis *auctoritate sua*, quia in eo etiam episcopi suffraganei sunt veri legislatores.

b) Eos tamen posse ob *collatam* vel *praesumptam a iure* facultatem quae habetur:

aa) cum in canone simpliciter dicitur *posse dispensari* quin ulla indicetur determinata persona quae dispensare debeat. Ratio est quia essent ea verba superflua, siquidem evidens est Pontificem posse dispensare a suis legibus, ergo debent ad aliam personam referri scilicet ad episcopos. Accedit quod eo in casu dispensatio est *de iure* hinc episcopi dispensando *exequutores sunt iuris*. (Cf. Reiffenstuel ad Tit. de Constit. nn. 467–470 ubi plures textus Iuris et DD. hanc in rem allegantur). Notat tamen ibi Reiffenstuel (l. c. n. 468) hanc regulam non habere locum « *in casibus illis quando ex contextu verborum, stylo « Curiae, vel consuetudine aliud appareat, prout fit in Con- « cilio Trid. sess. XXIV. c. 5. de Ref. matrim. ut, quamvis « Concilium impersonaliter concedat facultatem dispensandi in « impedimentis matrimonii quando hoc bona fide atque adhibitis « solemnitatibus contractum fuit, nihilominus haec concessio so- « lum Papam non autem inferiores praelatos sive episcopos « concernit. Nam,* subdit, *stylus Curiae Romanae et consue- « tudo generalis, abunde hoc declarat simulque ex anteceden- « tibus et consequentibus verbis satis apparet totum illum con- « textum de Summo Pontifice loqui. (Cf. Sanchez de Matr. « lib. VIII. dis. 6. n. 19)* ».

Tum vero (ib. n. 469) ponit eorum sententiam qui cum

Barbosa *(de Off. et potest. Episc. par. 2, alleg. 33, n. 24)* tenent, in decretis conciliorum generalium neque episcopum neque alium Papa inferiorem, dispensare in iis posse, nisi claris verbis id ipsis committatur. Barbosa tamen (l. c. n. 25) citat etiam Doctores pro sententia quam tuemur, nominatim quod spectat ad decreta concilii tridentini.

bb) Item si urgeat ratio magnae necessitatis, ubi periculum sit in mora, nec Pontifex adiri facile possit. *(Barbosa l. c. n. 26)*. Hinc Fagnanus *(in cap. Canonum de Const. n. 113)* notat, in casu canones ab iudicibus interpretationi subiici, non violari.

cc) Huc etiam revocanda vis consuetudinis legitimae, neque in controversiam adductae, quandoquidem consuetudine etiam iurisdictio acquiritur. *(Reiff. l. c. n. 474, ubi allegat cap. Duo simul De off. Iud. Ord. et ibi Glossa, et cap. Cum contingat De foro comp. iuncta Glossa)*. Porro notat Reiff. *(ibi v. Atque hi)* tres recensitos casus praecipuos esse, « *in quibus episcopi iustis de causis possunt dispensare quoad sacros canones* » dari tamen alios qui ad hos sunt reducibiles, sunt autem sequentes :

In materia levi parvique momenti, vel in casibus frequentioribus ac fere quotidianis, secus enim onus nimium imponeretur tum legislatori tum recurrentibus. Item, si dubium sit an casus dispensatione indigeat. Tunc enim vel potest episcopus declarare dispensationem haud requiri, aut eam ad cautelam concedere. *(Barbosa, op. cit. par. cit. all. 35. n. 18)*.

dd) Denique dispensare possunt episcopi in *casibus papalibus occultis*, ex facultate ipsis concessa a conc. trid. *(cap. Liceat 6. Sess. 24 de Ref.)* per haec verba : « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum non eorum vicariis sit permissum ».

At vero quaeri potest utrum episcopi vi huius facultatis absolvere possint in casibus occultis *post concilium tridentinum*

reservatis a Pontifice. In primis si quaeratur an *id in praesens* possint, dubitationem omnem adimit ut id concedamus, Constitutio Pii IX quae incipit « *Apostolicae Sedis* » 12 Oct. 1869 in qua prope finem haec leguntur: « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a tridentina synodo episcopis concessam *(Sess. XXIV cap. 6 de Ref.) in quibuscumque censuris* Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis quas eidem Apostolicae Sedi *speciali modo* reservatas declaravimus ». Quibus verbis haec facultas cum aliqua limitatione episcopis tribuitur. Quia tamen non videtur *de novo concedi,* sed *veluti iam exsistentem confirmari,* hinc ea verba insuper iis videntur favere qui tenent eam episcopos *prius* habuisse facultatem (1).

78. Unum adhuc animadvertendum occurrit circa dispensationem, ad quaestionem *utrum* et *quatenus* ad dispensationem requiratur *ad eius validitatem,* ut adsit *iusta causa dispensandi.* Patet autem duplici modo id spectari posse, scilicet *in foro interno* et *in foro externo,* at simul ad rationem nostrae disciplinae nonnisi *forum externum* pertinere. Iuverit tamen in primis animadvertisse, *certissime ad iustam caussam dispensandi* non requiri ut aliquis iis in adiunctis sit in quibus *natura sua* eximitur a legis obligatione, siquidem lex talis sit ut non obliget *semper et pro semper* ut dici solet. Tunc enim nullus habetur *actus* ipsius legislatoris, multoque minus aliquod *beneficium* ab eo collatum dispensando, sed deficit *ipsa legis materia.* Attamen negari non potest communiter dici ad dispensationem *iustam causam* requiri. Porro, ut notavimus, quaestio alia est *pro foro interno et conscientia,* alia vero *pro foro externo et valore iuridico* dispensationis. Ut de hac secunda quaestione quae ad nos unice pertinet loquamur; dicimus:

a) si superior dispenset *in lege sua* vel *in lege inferioris;* dispensatio *etiam absque ulla caussa, in foro externo* est valida.

b) si tamen illa dispensatio laboret vitio *obreptionis* vel *subreptionis,* vel habeatur *laesio iuris alterius* tum si vitium probetur iuridice est invalida.

(1) V. Ballerini ad Gury Comp. Th. Mor. Tom. II. n. 124. not. *(b).*

c) Si inferior dispenset in lege superioris potestate *ordinaria* vel *delegata,* dispensatio absque iusta caussa, utpote *contra superioris mentem,* vel ultra terminos delegationis utpote *excedens terminos potestatis communicatae,* est invalida. Iusta tamen caussa iure praesumi potest nisi aliter manifesto appareat.

d) Nomine tamen *iustae caussae* quodcumque intelligitur *rationabile motivum* dispensandi ab aliqua lege. Plures ex his magis receptas caussas numerat Pyrrhus Corradus (De disp. matr. Lib. I. c. 1. n. 12).

79. Haec quidem omnia pertinent ad dispensationem legis generatim inspectam; sunt tamen peculiares quaedam leges pro nonnullis determinatis dispensationibus ex. gr. matrimonialibus de quibus aptius suis locis disseritur.

80. Iuverit etiam animadvertisse:

a) discrimen inter *absolutionem* qua quis eximitur non a lege sed ab *effectibus sequutis ex lege violata,* quaeque respicit *praeteritum,* et *dispensationem,* quae ex dictis eximit a lege et respicit *futurum.* Hinc non coniunguntur necessario potestas dispensandi et absolvendi.

b) distinctionem fieri in *stylo Curiae* inter dispensationem in forma *commissoria* et in forma *gratiosa.* Prima ab ipso dispensatore exsequenda alteri committitur praevia tamen inquisitione in caussas relatas; altera ab ipso dispensatore immediate conceditur. Sed hoc fere recidit in divisione *rescriptorum* ut videbitur.

ARTICULUS III.

De Epicheia.

81. Epicheia (ἐπιείκεια) graece, latine *aequitas* dici potest. Epicheia est: *Iudicium de legis exsistentia ex rite praesumpta mente legislatoris.* Ex hac epicheiae notione apparet:

a) iure nos de epicheia disserere, ubi de actuali legum valore sermo fit; licet enim plerique DD. de ea disserant agentes *de legis interpretatione,* eo quod epicheia *quadantenus* ad *interpretationem restrictivam legis* revocatur, discrimen tamen est

intrinsecum inter utramque: *quaelibet* enim interpretatio de *verbis* legis est sollicita, dum e contrario epicheia *mentem* legislatoris declarat, *verbis* etiam *claris legis* in aliquo peculiari casu contrariam *(Cf. Reiff. ad tit. de Const. n. 379)*;

b) hanc, si qua sit, aequivocationem abesse a nostra definitione qua epicheia dicitur: *Iudicium de legis exsistentia* etc.;

c) cum non pro lubito, sed *inspectis adiunctis omnibus* mens legislatoris praesumi debeat, intelligitur cur addatur *ex rite praesumpta* etc.;

d) regulas omnes quae ad legitimum epicheiae usum pertinent, ad id dirigi ut statuant, quando *rite* mens legislatoris praesumi possit;

e) denique epicheiae *fundamentum* in quadam *convenientia* seu *aequitate* situm esse, ut ex ipsa vi vocis significatur. Epicheiam partem esse iustitiae ostendit S. Thomas (2–2. q. 120, a. 2).

82. Regulae autem ad *usum legitimum* epicheiae spectantes, hae potissimum recensentur.

I. *Epicheia admittitur si alioquin in casu aliquo particulari lex evaderet iniqua et illicitum praeciperet.* Rem explicat S. Thomas (2–2, q. 20, a. 10) « *cum humani actus* de quibus leges dantur in *singularibus contingentibus* consistant, quae *infinitis modis variare possunt,* non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quae in *nullo casu* deficeret. Sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus casibus servare est *contra aequalitatem iustitiae et contra commune bonum* quod lex intendit. Sicut lex instituit quod deposita reddantur, quia hoc, ut in pluribus iustum est. Contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium et eum reposcat dum est in furia... In his ergo et similibus casibus *malum* est sequi legem positam. *Bonum* autem est *praetermissis verbis legis* sequi id quod poscit *iustitiae ratio* et *communis utilitas.* Et ad hoc ordinatur Epiichia quae apud nos dicitur aequitas. Unde patet quod Epiichia est virtus » (Cf. Suarez de Leg. lib. I. c. 2, nn. 9–11).

II. *Item epicheia admittitur si id quod lege praecipitur in peculiari aliquo casu nimis esset arduum et supra humanae legis potestatem (Schmalz. ad tit. de Const. n. 49).* Haec ta-

men *casus asperitas,* ut *in foro externo* vim habeat manifesta sit oportet, ne eius obtentu legum observantia sensim dilabatur.

III. *Epicheia quoque admittitur « si prudenter credi possit quod legislator in hoc vel illo casu lege sua non voluerit obligare »* (Schmalz. l. c.).

IV. *In lege irritante communiter epicheia non admittitur.* Ut vis huius regulae rite percipiatur aliquid necessario dicendum de *lege irritante.* Porro

a) lex *irritans* ea est quae actum aliquem efficit iuridico saltem valore destitutum et nullum. Dicimus *iuridico* saltem valore actum destitui, ut seponamus eas leges irritantes, quibus ratione *materiae* vel *auctoritatis* quae eum irritat, *substantialiter* actus fit invalidus et nullus. Sic testamentum *formis legalibus destitutum* est certo nullum *iuridice,* licet controversia moveatur non levis *utrum* et *quatenus* nullum et invalidum *in se* efficiatur (1). Contra, lex tridentina (cap. *Tametsi* Sess. XXIV de Reform.) irritans matrimonia *clandestina,* ea *substantialiter,* ubi viget, irritat.

b) Lex irritans, est vel *explicita* vel *implicita.* Prima actum irritat *directe,* idque exprimit *clausulis* irritantibus (2) altera vero *indirecte,* quando *certa forma* actui praescribitur (Reiff. l. c. n. 243).

c) Ulterius, *irritatio* potest esse *ipso iure,* vel *per sententiam* iudicis. Prima efficit ut actus *iuridice* non ponatur, altera ut licet positus, *iuridice* post sententiam iudicis habeatur ut nullus.

d) Item irritatio potest esse *adiecta* ut *poena* vel efficere ut ipse actus poni non possit. Quando adiecta est ut poena, regulariter non irritat *ipso iure.* Quando aliquid statuitur ut conditio *sine qua non* ut actus exsistat, irritat ipso iure. Sic lex prohibens aliquam formam contractus et ita contrahentes mulctans irritatione, regulariter est poenalis et efficit contractum *rescindibilem.* Lex ita formam contractui praescribens ut ea non servata, contrahentes inhabiles reddat ad contrahendum, est irritans ipso iure.

His breviter praemissis de lege *irritante,* ad rem nostram

(1) Gury-Ballerini, Comp. Theol. Mor. Tom. I. nn. 817-818.
(2) Barbosa, de Clausul. Claus. XL.

redeuntes, quaerimus utrum vera sit regula ultimo loco posita; epicheiam in lege irritante locum non habere. Communis est haec regula penes DD. et exemplum proferunt in re gravissima, scilicet proferunt legem tridentinam irritantem matrimonia clandestina. Hinc dicunt, etsi ob pestem grassantem, vel mortem alterutrius contrahentis imminentem, praesentia parochi aut testium haberi nequiverit, matrimonium proculdubio esse invalidum. Et rationem addunt cum König (in tit. de Const. n. 27 ap. Schmalz. l. c.) scilicet leges irritantes non attendere ad casus et rationes particulares sed praecise ad *rationem communem et pariformitatem actuum.* Hinc videretur regula statuta omnino tenenda.

83. Attamen liceat animadvertere, non omnem dubitationem illico depelli illa animadversione. Et dubium oritur de ea ipsa re e qua profertur exemplum. Etenim constat, Pium VI litteris datis ad episcopum lucionensem 28 Maii 1793 quae incipiunt « *Perlatae* » (in Bull. Rom. contin. a Barberi tom. IX pag. 314 seqq.) indulsisse, ut fideles *valide* et *licite* contraherent matrimonium *coram testibus absente parocho,* ob miserrimam in Gallia illius temporis conditionem et *schismaticos parochos violenter* catholicis depulsis *intrusos.* Iamvero dum ibi prius summa exhibetur epistolae illius episcopi ad Summum Pontificem, inter alia argumenta ab eo prolata auctoritas profertur S. Cong. Concilii « *Ab ea enim,* inquit Pontifex, *pluries resolutum esse adnotas,* SATISFIERI MENTI TRIDENTINI CONCILII *celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi praesentia haberi nequeat* ». Porro hic manifesta est decreti tridentini epicheia. Nam licet dicatur S. C. C. posse *authentice* declarare decreta concilii, hic non agitur de *sensu verborum* sed *de mente.* Iamvero Pontifex non modo id non improbat, sed in posterum servandum statuit in dioecesi lucionensi, inquiens praeter alia (l. c. pag. 316) « *coniugia contracta coram testibus et sine pa-* « *rochi praesentia, si nihil aliud obstet et valida et licita erunt,* « *ut saepe saepius declaratum fuit a Sacra Congregatione Con-* « *cilii Tridentini interprete* ». Neque officit eas declarationes esse *extensivas* seu *novam legem,* nam S. C. C. ea lege se dixit *interpretari mentem* PP. tridentinorum. Ut probe intelligatur illud quod dicitur, *pluries* S. C. Concilii, in decreto tridentino licet

irritante, epicheiam admisisse, animadvertisse iuverit, Romae anno 1741 typis Hieronymi Mainardi, opus prodiisse quod inscribitur: *De matrimoniis mixtis inter haereticos ac inter haereticos et catholicos initis in Foederatis Belgii provinciis, dissertationes theologicae et canonicae Rmi P. D. Cavalchini Archiepiscopi Philippensis et Sacrae Congregationis Concilii a secretis nec non quatuor insignium theologorum.* Iamvero hos inter unus nempe P. Dominicus Turanus soc. Iesu *(ibi litt. H, pag. 1 seqq.)* diserte tuetur sententiam nostram de epicheia quae locum habere potest etiam in lege irritante, qualis est tridentina de impedimento clandestinitatis, his verbis: *posita igitur hac tanta rerum mutatione, moraliter illis populis insuperabili propter quam redditur iisdem moraliter impossibilis observantia decreti tridentini* locum videtur habere debere secunda quam dixi epicheiae regula etc. Porro Benedictus XIV. in sua Constit. *Singularis* 9 Febr. 1749 has prolatas sententias commemorat § 17 easque prae oculis habuisse testatur in suo Decreto an. 1741 quo eam controversiam diremit.

Hinc est quod in quarta regula proponenda, consulto diximus in lege irritante *communiter* non tamen *semper* epicheiam non admitti.

84. Sunt qui ad epicheiam revocant leges in iure statutas de ignorantia. At forte aptius ad eam legis qualitatem pertinent qua *ordinatio rationis* sit oportet. Porro talis non esset si ii qui legem, saltem in quibusdam adiunctis, ignorant ea tamen obligentur.

Patet autem nos hic ignorantiam spectare prout ad forum externum pertinet, eiusque *iuridicos* effectus attendere. Iamvero

a) ratione *materiae* ignorantia est alia *iuris* sive de *exsistentia* sive de *sensu* legis, alia *facti* vel *proprii* vel *alieni;*

b) ratione *subiecti,* ignorans est vel *legis cognoscendae incapax* vel *capax,* vel insuper eam *ex officio* cognoscere tenetur;

c) ratione *modi* est vel *invincibilis* seu *antecedens* et *iusta,* vel *vincibilis* seu *consequens* et *iniusta.* Invincibilis est vel *absoluta* vel *relativa.* Vincibilis est vel *affectata* vel *crassa* seu *supina* vel generaliter vincibilis. De his tum philosophi tum theologi morales;

d) ratione *effectus,* ignorantia ut refertur *ad forum externum de quo unice* nobis sermo est, spectari potest in ordine *ad validitatem actus — ad captandum lucrum — ad vitandam poenam.*

85. Ad ignorantiam quod attinet, regula generalis habetur *(cap. Ignorantia 13 de RR. I. in 6)* « *Ignorantia facti non iuris excusat* » cum qua conferri debent Regulae quae ibidem habentur *(cap. Cum quis 14 et cap. Praesumitur 47 item de RR. I. in 6)* quae eam magis declarant *(V. Reiff. in Comm. ad Regulas Iuris ad calcem operis ll. cc.).*

Porro regulae peculiares quae ad eam declarandam a DD. traduntur hae potissimum sunt:

I. De ignorantia *facti:*

a) Ignorantia *facti proprii regulariter non admittitur.*

b) Hinc solum quandoque admitti potest ut *exceptio:* « si « forsan, ait Reiff. (l. c. n. 11) facta valde antiqua sint, vel « quis plurimis negotiis implicatus aut in extremis exsistens foret « indeque verisimilis oblivio prudenter praesumi valeret ».

II. De ignorantia *iuris* sive quoad *exsistentiam* sive quoad *sensum* legis:

a) Ignorantia iuris naturae regulariter non admittitur.

b) Ignorantia iuris circa sensum legis regulariter non excusat, quia *vincibilis* adeoque *iniusta* censetur eo quod *per se* vel *per peritiores* quisque potest legem cognoscere.

III. Circa *effectum:*

a) Ignorantia nulla excusat *ad actus validitatem* si agatur de lege proprie dicta irritante, quae praescribit *formam* vel *materiam* actui. Si vero irritatio est adiecta *ad poenam* (82. IV *d.*) recidit in tertium effectum scil. de vitanda poena.

b) *Ad lucrum captandum* excusat solum ignorantia *facti alieni* eaque *invincibilis.* Non vero *facti proprii* vel *iuris.* Haec tamen quandoque in quibusdam personis admittitur, vel in casibus iure expressis (Reiff. l. c. n. 20).

c) *Ad poenam vitandam* valet *ignorantia invincibilis,* imo etiam *crassa* si in lege dicatur: « *si quis scienter praesumpserit* » etc. Hinc excusat a censuris incurrendis.

86. Insuper:

a) Ignorantia non excusat eum qui tenetur rem scire *ex of-*

ficio (cap. Quamvis 10 de RR. I.). « Non potest esse pastoris « excusatio si lupus oves comedat et pastor nescit » (S. Greg. M.).

b) Ignorantia *generaliter vincibilis* regulariter a poena non excusat. Potest tamen quandoque recenseri inter *circumstantias attenuantes* quas vocant.

c) Ignorantia *affectata numquam et neminem* excusat; involvit enim contemptum legis *(Cap. Cum inhibitio 3 de cland. desp. § 1. Si quis).*

d) In casibus particularibus, *qualitas* ignorantiae desumenda est *ex adiunctis.*

e) Denique quod spectat *onus probandi,* ignorantia *facti proprii* aut *facti ex officio cognoscendi etiam alieni* aut *publici* non praesumitur. Aliis in casibus debet probari ab allegante (Reg. 47 de RR. I. in 6). Si deficit alia probatio etiam iuramento probatur (Reiff. in dict. Reg. 47 de RR. I. in 6). Cf. S. Th. 1–2, q. 76; Pichler ad tit. de Const. nn. 40 sqq.

§ III. *De legis interpretatione.*

87. Ad hoc ut quis rite lege uti possit, opus etiam est ut eam valeat siquidem minus clara sit (1) rite *interpretari.* In hoc maxime consistit *Iurisprudentia canonica.*

88. Legis *interpretatio,* vel est *authentica* vel *directiva. Authentica* ita legis sensum determinat *ut ius faciat,* adeoque a legislatore vel eius successore aut superiore, vel a caussa aequipollente h. e. a *consuetudine legitima* fieri debet si agatur de societate universa, vel a legitimo iudice si *ius faciat* solum *inter partes.* Est proinde vel instar *legis* vel instar *sententiae iudicialis. Directiva,* ius per se non facit, sed ad illud *rite* constituendum ordinatur. Haec autem fit vel *moribus populi,* nondum tamen *consuetudinem perfectam* constituentibus, vel maxime *scientia peritorum.* Hinc vel *usualis* vel *doctrinalis* est.

89. Hac partitione *vis ipsa* interpretationis spectatur *utrum* scilicet et *quatenus* ius faciat nec ne. Patet autem eam omnia

(1) Quod ait Reiffenstuel (De Const. n. 352) verborum *declarationem* non esse *interpretationem* quia nihil novi adducit, eo sensu debet intelligi, quod agatur de alia mere grammatica verborum constructione.

membra complecti quae continentur in aliis partitionibus communiter a DD. traditis, innixis textibus Iuris: sic ex. gr. interpretatio modo triplex dicitur *authentica, usualis, doctrinalis,* modo quadruplex, addito his quarto membro, scil.: *iudicialis.* Cohaeret vero cum nostra, partitio quam habet Reiff. (1), qua interpretatio est *necessaria* et *non necessaria.* Necessaria est vel *generalis* vel *particularis.* Generalis, *scripta* vel *non scripta.* Non necessaria est *doctrinalis.*

90. Statuta partitio est ratione *efficientiae* in ordine ad legem. Si vero *modus* attenditur huius efficientiae, ex interpretatione vel lex *declaratur,* vel *corrigitur,* vel *restringitur,* vel *extenditur.* Hinc est interpretatio quadruplex: *declarativa, correctiva, restrictiva, extensiva.* Omittimus *translativam* qua verba legis ab uno in alterum idioma vertuntur, quia facile intelligitur.

Declarativa, est verborum quae forte obscura sint vel orationis congrua expositio.

Correctiva, est verborum legis per benignam acceptionem mitigatio.

Restrictiva, est quae obiectum quod verbis legis videretur inclusum, ab iis, omnibus inspectis adiunctis, subtrahit. Vide tamen quae diximus de epicheiae discrimine ab interpretatione restrictiva.

Extensiva, quae legem ad aliud obiectum extendit.

91. Interpretatio authentica quae ius facit praeter accuratam notionem vix aliqua indiget declaratione: secus vero est de interpretatione quae *doctrinalis* est quaeque ad ius constituendum (88) prout directiva est ordinatur. Ad eam rite faciendam pertinent regulae quae a DD. traduntur; neque enim leves habet difficultates. Praecipuas hic breviter recensebimus tum aliquid de earum *recto usu* disseremus.

(1) De Const. n. 358.

ARTICULUS I.

De Regulis iuris prout ad legis interpretationem referuntur.

92. Ad legum interpretationem rite faciendam, inserviunt maxime eae quae dicuntur *Regulae Iuris,* et reperiuntur in fine tum Digestorum, tum Decretalium Gregorii IX, tum Sexti Decretalium.

Pleraeque enim ex his, normam suppeditant quibus in legibus interpretandis tuto assequamur tum legislatoris mentem tum legis formulam.

Diximus enim (6) initio huius operis, ad rite leges intelligendas tria prae oculis habenda esse, scilicet mentem legislatoris, formulam legis et adiuncta historica quibus lex circumscribitur.

At vero ad duo priora quod spectat, regulae iuris maximi sunt momenti; quare aliquid de iis breviter est dicendum. Si etymologicam vocis *regulae* significationem attendas, regula a *regendo* dicitur, quod translate a regula materiali qua utimur ad lineas dirigendas, ad normam significandam iuxta quam actus intellectus vel voluntatis recti vel pravi iudicantur, etiam adhibetur.

Si denique, quod magis nostrum est, *iuridicam* regulae acceptionem spectamus, in Digestis iuxta a Paulo traditam definitionem, « *regula est quae rem quae est breviter enarrat: non ex regula ius sumatur sed ex iure quod est regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur et, ut ait Sabinus, quasi causae cognitio est, quae simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum* » *(Leg. Regula de div. Regg. iur. ant.).* Ex qua regulae descriptione patet, regulam ideo interpretationi inservire, quod fructum veluti exhibeat accuratae inquisitionis in naturam atque indolem legum ipsarum.

Porro sedulo attendenda quoque sunt principia quae a doctoribus circa regulas iuris statuuntur.

Haec autem sunt:

a) regula colligit unica formula ius exsurgens ex pluribus casibus similibus;

b) regula ex iure, non ius ex regula;

c) regula admittit *fallentias* scilicet sunt casus in quibus adhiberi non potest;

d) regula alia *est intrinseca* alia *extrinseca*.

Est intrinseca, quando examen legis *in se* spectat ex eaque legitimum legis eruit sensum; est vero extrinseca, si legis sensum ex comparatione cum aliis legibus determinat;

e) denique ad regulae usum quod spectat prudentia maxime et ordo curari debent. Insuper

f) regulam distinguunt canonistae in *authenticam* et *brocardicam:* prima est, quae in collectione authentica est consignata; altera vero est doctrinalis et dumtaxat pondus habet suum ex privata auctoritate doctorum (1).

Nam, ut ait Reiffenstuel (2), « regulae iuris non authenticae seu doctrinales et brocardicae, sunt eae quae a iurisconsultis vel aliis doctoribus privata auctoritate ex variis testibus vel etiam philosophorum dictis depromptae inveniuntur citanturque et applicantur quidem, vim iuris tamen uti authenticae non habent, etsi pondus suum et auctoritatem sat magnam in probando habeant ».

Regulae Digestorum biscentum undecim numerantur et continentur libro quinquagesimo titulo decimo septimo.

Ius Romanum hac quoque in re sequutus est Collector Decretalium Gregorii IX undecim iuris regulas statuens in fine libri V. titulo quadragesimo primo.

Item Bonifacius VIII Sextum decretalium concludit recensitis libro V, post titulum duodecimum regulas iuris octo supra octoginta.

Nostrum hic non est singillatim de omnibus disserere; quasdam dumtaxat simul cum aliis textibus enumeramus quae ad rem nostram magis faciunt.

(1) Calvinus, *(Lexic. iurid. v. Brocardicum)* « brocardicum, inquit, vocabulum est barbarum, in nostro elegenti Iure civili; relinquendum igitur barbaris ». Subdit tamen: « Brocardica materia dicitur quae est contrariarum opinionum rationibus involuta ». Patet hinc paullo diverso modo regulam brocardicam appellari.

(2) Tractat. de RR. Iuris (ad calcem operis *Ius canonicum,* etc.) in Prooem. n. 10.

93. Si in primis de *intrinsecis* regulis loquamur quae nempe legem ipsam ex eius textu interpretantur, principii instar habendum est, tum nihil in lege otiosum dici, cum ad obligationem imponendam adhibendi medium aliquod sociale ad finis assecutionem, lex dirigatur, tum in verbis interpretandis eam verborum significationem esse praeferendam quae ad scopum quem legislator sibi praestituit assequendum magis conferat.

Hinc facile intelliguntur regulae quae sequuntur:

I. Verba accipienda sunt cum effectu i. e. nihil frustra in lege dictum esse censendum est *(Cap. Relatum 7 de Cler. non resid.)* (1).

II. *Verba nisi aliud obstet accipienda sunt secundum propriam significationem (Arg. cap. 12 de Decimis).* Hinc

a) verba *generalia* intelligenda sunt extendi, nisi aliud obstet, ad *omnes species* in genere comprehensas, nam *ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus;*

b) si duplex habeatur significatio, *iuridica* (sed technica) et *vulgaris,* iuridica est praeferenda (Cf. Reiff. ad tit. de Const. n. 391).

III. *Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita iudicare vel respondere* (leg. 23 D. de Legib.). Seu quod idem est, legis sensus ex toto eius contextu eruendus est.

IV. *Mens legislatoris et ratio legis inspicienda et tenenda est* (cap. 6 de Verb. Sign.) (2).

94. *Intrinsecis* hisce praecipuis regulis, aliae accedunt *extrinsecae,* quae eruuntur ex aliis legibus quae aliquam connexionem habent cum lege quam interpretamur. Haec autem relatio unius legis ad aliam ex duplici capite oritur plane opposito, h. e. vel a *similitudine* vel a *contrarietate.* Quod ad similia spectat valent hae regulae.

I. *De similibus idem est iudicium (cap. Inter corporalia 2 de Transl. ep. v. Sicut ergo).* Sed similitudo in eo esse debet de quo agitur, et nulla apparere iusta caussa disparitatis.

II. *Ubi eadem ratio ibi eadem iuris dispositio.*

In contrariis:

(1) Huc pertinent etiam clausulae de quibus V. Barbosa, Tract. varii; Tract. De Clausulis, Prooem. de claus. in gen.

(2) Zallinger, ad tit. de Const. § 194.

I. *A casu contrario ad contrariam dispositionem recte arguitur.* Necesse tamen est ut contrarietas sit in iis quae *substantialia* sunt, aut praecipue moventia, neque aliud obstet.

II. *Exceptio a regula firmat regulam in contrarium (l. In iis quae ff. de legib.).* Nisi tamen casus sit exceptus (Reiff. l. c. n. 405). Hae regulae praecipuae sunt. Qui plura cupit adeat DD. ad tit. de Constit. ubi de legis interpretatione disserunt.

ARTICULUS II.

De praedictarum regularum usu.

95. Ut regularum quae hactenus statutae sunt ad legem rite interpretandam usus sit legitimus, duo in primis prae oculis, ut superius (92 *e*) animadvertimus, haberi debent: *prudentia* et *ordo*. *Prudentia* efficit ut *quae* et *quatenus* adhibendae sint dignoscamus, *ordo* ut cum plures praesto sunt quae praeferendae sint deligamus.

Ut prudenter utamur regulis requiritur:

I. Ut vis regulae non ita extendatur, ut exinde aliquid contrarium sequatur absurdum.

II. Ut *materia* cui regula applicanda est probe attendatur, utrum scilicet agatur, de re *favorabili* vel *odiosa* vel *mixta*. Iamvero ut determinetur quaenam materia haberi debeat *favorabilis,* quae *odiosa,* quae *mixta* ex favore et odio, peculiares habentur regulae quae hic referre nimis longum esset (Pichler ad tit. de Const. nn. 59 seqq.). Principium generale quod modum exhibet quo, ratione diversae materiae, statutae regulae debent applicari est illud: « *Odia restringi et favores convenit ampliari* » *(cap. 15 de RR. I. in 6)* ex quo veluti applicationes potissimae, haec dimanant:

I. *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima interpretatio facienda est (cap. Olim de V. S.).*

II. *In poenis benignior facienda est interpretatio (cap. 49 de RR. I. in 6).*

III. *In obscuris, minimum* (h. e. minus grave) *est sequendum (cap. 30 de RR. I. in 6).*

Ut vero debitus *ordo* in usu regularum servetur, sedulo, ut diximus, attendendum est, quaenam praeferri debeant regulae, si quandoque simul confligere videantur. Principium hac in re generale est: *id est servandum quod ad legis substantiam magis pertinet.* Hinc

I. Regulae intrinsecae praeferri debent extrinsecis.

II. Mens legislatoris magis quam verba attendenda est.

III. In re dubia verbis serviendum est.

Hae regulae tum rei natura tum textibus Iuris firmantur *(Schmalzgr. de Const. nn. 44 sqq.).*

Hactenus de legum interpretatione.

§ IV. *De iis quae ad certas legum species pertinent.*

96. Cum de iis quae spectant tum ad actualem legum exsistentiam dignoscendam tum ad rectam earumdem interpretationem iam generatim dictum sit, quaedam ad plenam huius materiae tractationem breviter addenda sunt, quae non ad omnes canonicas leges spectant, uti ea sunt quae hactenus recensuimus, sed *peculiari modo* ad *certas leges ecclesiasticas* referuntur. Hae autem sunt: *Leges particulares, Rescripta, Privilegia.* In singulis vero, non omnia nobis sed quae potissima sunt attingenda veniunt.

ARTICULUS I.

De Legibus particularibus.

97. Vix opus esset de legibus quae *particulares* appellantur data opera disserere. Nihil enim aliud in iis inquirendum est, quam ut accurate definiatur quodnam earum sit subiectum, seu quinam sint qui iis obligantur. Etenim lex particularis ea vocatur quae pro aliqua provincia tantum aut urbe edicitur, et qua talis est, partem dumtaxat societatis alicuius attingit. Regulae ideo hac de re tradendae sunt.

98. Principium generale est, legem nonnisi in subditum ferri posse, et satis patet opus esse ut in territorio degat qui lege obligatur. Unde tanquam regula in iure nostro habetur: « *Ex-*

tra territorium ius dicenti impune non paretur » (*cap. Ut animarum 2 de Const. in 6*).

At, inquit Suarez (1), quatuor modis potest aliqua persona comparari ad territorium seu dioecesim. Primo quia ibi est incola, et ibi etiam actu exsistit et habitat. Secundo, per contrarium extremum quia neutrum habet in tali territorio. Tertio, quia cum sit incola illius territorii et in eo habeat domicilium, in alieno actu versatur. Quarto, quod in territorio habeat praesentiam non tamen domicilium aut originem.

Porro, animadvertit, difficultatem aliquam solum in duobus postremis reperiri, de duobus enim prioribus res clara est.

Sane si de eo in primis quaeritur qui licet subditus actu tamen a territorio cuius est incola abest et in alieno versatur, regula est generalis eum eximi a legis obligatione.

99. At vero fieri potest ut, veluti per aliquam fictionem iuris, licet absens censeatur praesens in territorio ex peculiari legis dispositione. Tunc alia regula obtinet: eum scilicet legis obligatione teneri: cuius rei duo proferri solent exempla: alterum de iis qui in fraudem legis tridentinae de impedimento clandestinitatis, ea loca petunt ubi ex defectu debitae promulgationis impedimentum illud non viget, et matrimonio inito statim revertuntur. Alterum vero est de iis qui pariter in fraudem legis reservationis, ea mente in aliam dioecesim se conferunt ut ibi absolvantur a casibus in sua dioecesi reservatis. Patet enim utrosque licet actu in alieno territorio versentur, fictionem tamen iuris veluti in proprio spectari.

At cum ad utrumque recensitum casum quod attinet, peculiares omnino habeantur pontificiae sanctiones (2), id magis quam regula, veluti exceptio, quae in contrarium firmat regulam, haberi debet.

100. Enimvero si quaestio universim fiat utrum iure suo utatur qui ad legis alicuius obligationem effugiendam eo se confert ubi ea non viget, non videntur decretoria quae ad id negandum proferuntur argumenta. Sepositis enim duabus illis re-

(1) De Legib. lib. 3. c. 32.

(2) Clemens X. Const. *Superna* 22 Maii 1670; Bened. XIV. Constit. *Paucis* 19 Martii 1758.

censitis legibus quae, ut diximus, instar exceptionis, ob gravissimas omnino rationes, ab Ecclesia statutae sunt, nullum malum apparet quod aliquis se, modo alioquin licito, a legis obligatione eximere satagat.

101. Superest ut aliquid breviter innuamus de iis quae ad ultimum ex recensitis modis spectant quo quis ad territorium potest comparari. Huc pertinent ea quae de advenis, peregrinis ac vagis solent a doctoribus disputari, et regula quae eo spectat. Supponimus autem eum qui ibi est neque *quasi domicilium* acquisivisse, quale esset si per notabilem anni partem ibi moraretur. Iamvero quaedam in primis sunt quae ex ipsa naturae lege omnes in territorio utcumque commorantes obligant, scilicet ea quae ad *contractus* et *delicta* referuntur. Contractus enim iuxta leges quae ibi vigent iniri debent, itemque si peregrinus delinquat, iure in eum iuxta statutas leges animadvertitur. At ad alias quod pertinet, nisi forte ratio scandali devitandi habeatur, qui precario dumtaxat modo alicubi moratur, non videtur iis obligari. Insuper fieri etiam posset, ut peculiari omnino modo societas aliqua conditionem veluti poneret iis qui volunt in suo territorio utcumque morari ut talem determinatam legem servarent, tum vero quis libere acceptare eam obligationem censeretur si territorium ingreditur. Sed hoc satis patet ad generalem regulam traduci non posse.

Quare si sermo fit de *vagis* seu de iis qui nuspiam domicilium habent, omnibus inspectis iis adhaerendum censeo, quae habet Schmalzgrueber *(de Constit. n. 43)* qui contra Sanchez aliosque, tenet non aliter de iis ac de peregrinis esse iudicandum; adeoque iis tantummodo exceptis quae diximus, sequitur eos quoque eximi a legibus particularibus locorum in quibus actu versantur.

ARTICULUS II.

De Rescriptis.

102. *Rescriptum,* prout hic accipitur, strictissimae est significationis, et definitur: « *Responsum Principis scripto datum ad alterius instantiam* ». Princeps autem in re nostra, *unus* est Pon-

tifex si velimus propriis verbis uti, adeoque ex uno Pontifice rescripta dimanant (1). Porro:

a) eo quod rescriptum, sit responsum Pontificis *scripto datum,* differt a *vivae vocis oraculo,* sive ad alterius instantiam sive motu proprio a Pontifice dato, quod nisi probari possit, *iuridice* vim non habet, licet tutum reddat in conscientia. Item

b) a quibuslibet constitutionibus pontificiis (56 *a*) quae *generali* et *latissima* acceptione quandoque rescripta appellantur. Insuper

c) rescripta, stricto sensu accepta, in eo a legibus differunt quod leges commune bonum, rescripta privatorum negotia respiciunt.

103. Rescripta dividuntur:

a) *ratione materiae* in rescripta *gratiae* et *iustitiae.* Rescripta *gratiae* sunt ea quibus Pontifex aliquid largitur, *iustitiae* vero quibus aliquid ad controversiam dirimendam praescribit:

b) *ratione effectus* dividi possunt in rescripta *secundum legem* quae ius exsistens in executione promovent, *praeter legem* quae materiam respiciunt quae sub lege non cadit, *contra legem* quae iuri derogant in casu particulari. Ad primam classem revocari possunt delegationes caussarum, ad secundam ex. gr. provisiones in re beneficiaria, ad tertiam ex. gr. dispensationes matrimoniales. Verum haec secunda rescriptorum partitio minus communis est.

104. Statuta rescriptorum partitione, quaeri debet tum de legibus quae ad eorum valorem tum de legibus quae ad eorum interpretationem pertinent quemadmodum iam de legibus generatim effecimus. Porro ad rescripti validitatem requiritur *generatim:*

a) ut persona quae postulat rescriptum, sit *habilis* ad illud impetrandum, et aptitudinis quidem conditio alia est pro *rescriptis gratiae* alia pro *rescriptis iustitiae;*

b) ut in postulatione, admissa non fuerit sive *obreptio,* falsa narrando, sive *subreptio,* verum, quod dici oportebat, reticendo;

c) ut nihil ei desit substantiale in forma sive *interna* sive *externa,* ex quo defectu oritur *suspicio falsi.*

(1) Rescriptum quando sine addito nominatur, intelligitur esse Pontificis et de hoc in Decretalibus leges proponuntur.

105. At haec *generatim* dicta, peculiarem quantum ad singula declarationem exigunt, non quidem ita ut enucleate ea omnia proponantur quae tradunt DD. ad titulum tertium libri I Decretalium « *De Rescriptis* », sed potissimis dumtaxat recensitis.

106. Igitur quod spectat ad *habilitatem* obtinendi quaelibet rescripta, omnino excluduntur haeretici, et *excommunicati excommunicatione maiore* tum *manifesta* tum etiam *occulta,* ideoque ad cautelam in rescriptorum concessione, praemittitur ex stylo Curiae *absolutio* a censuris *ad effectum rescripti dumtaxat consequendum.* Si tamen agatur de iis rescriptis quae ad *causam ipsam excommunicationis pertinent,* ex. gr. ad *recurrendum* vel *appellandum* contra sententiam excommunicationis, tunc possunt excommunicati rescriptum obtinere.

Insuper quantum ad rescripta *gratiae,* notandum est ea posse obtineri pro se aut pro alio tum nomine proprio tum procuratorio, etiamsi mandatum non habeatur. At rescripta *iustitiae,* ut obtineantur per procuratorem, requiritur mandatum, nisi agatur de *personis coniunctis* pro quibus praesumitur. Id expresse sancitur *cap. 28 de Rescr.* § *Sunt et alii,* ne lites ad quaestum suscitentur. Sunt tamen qui contendunt in hodierno stylo curiae hoc paulo aliter fieri (1).

107. Quemadmodum ex *inhabilitate personae,* ita rescriptum invalidum est, si vitium in eo insit *obreptionis* vel *subreptionis.* Qua in re satis erit adnotasse, *si dolo malo* id fiat, totum rescriptum vitiari: nemini enim fraus patrocinetur oportet; si vero ex ignorantia vel quadam simplicitate aut alia qualibet innoxia caussa, rescriptum vitiari vel non, prout *obreptio* vel *subreptio* h. e. *falsum assertum* vel *veri dicendi reticentia* haberi possit ut *caussa determinans* (*motivam* et *principalem* vocant) *rescripti Pontificis:* secus si censeri possit caussa solum *iuvans* (*impulsivam* et *secundariam* vocant) concessionis rescripti. Insuper in rescriptis gratiae, nullo etiam obiiciente, vitium ipsum valorem destruit rescripti, *ius* enim instar *auctoris* est; dum in rescriptis iustitiae debet vitium a parte adversa probari, non solum

(1) De Angelis, Prael. Iuris canon. lib. I. tit. 3. § fin.; Aichner, op. cit. § 10. nota 9.

eo quod nemo praesumitur malus absque probatione, sed etiam quia etsi vitium adesset, censeri posset altera pars iuri suo cedere illudque rescriptum admittere.

Denique si rescriptum plures habeat partes et vitium (non tamen dolo) cadat in unam partem, vitiatur totum siquidem haec pars sit *principalis; accessorium enim naturam principalis sequitur,* (c. 42. de RR. I. in 6): secus valet alia regula *(c. 37. eiusd. tit. in 6): Utile non debet per inutile vitiari.*

108. Ut hoc intelligatur, notandum est *tres* esse rescripti partes, scilicet *narrationem* qua *species facti* cum suis adiunctis et rationibus exponitur, *supplicationem* qua ex facti expositione aliquid postulatur a Pontifice, pro diversa rescripti natura, gratiae vel iustitiae, *conclusionem* qua *responsum Pontificis* continetur, in qua proprie rescriptum consistit. Aliquando *narratio* fit ab ipso rescribente, et est vel summa rationum quae a supplicante narratae fuerant in sua postulatione, vel nova expressio earum quas rescribens commemorat. Dici etiam posset duplici parte constare rescriptum, nempe *expositiva* et *dispositiva.* Iamvero *obiectum* de quo postulatur rescriptum potest esse unum vel multiplex, atque huc pertinet ultima animadversio numero superiore (107) posita.

109. Denique ad rescripti valorem requiri (104 *c*) diximus, ut nihil ei desit substantiale in forma sive *interna* sive *externa.* Forma *interna* est ea quam modo memoravimus triplex videlicet rescripti pars, ita ut in conclusione sint etiam spectandae *clausulae* (1). Forma *externa* constat iis omnibus externis characteribus qui ex stylo Curiae adhiberi consueverunt.

110. Quod vero spectat ad rescriptorum interpretationem suae a DD. traduntur regulae tum generales, tum speciales pro rescriptis gratiae vel iustitiae, sed eas singillatim referre ad ampliorem tractationem revocatur quae ad nos non pertinet.

111. Rescripta executioni demandantur per *executores* sive *meros* sive *mixtos.* Huc spectat munus *executorum litterarum apostolicarum* (2). Executor merus, nudum habet ministerium

(1) De clausulis magis usitatis in Rescriptis V. Barbosa, op. cit. de Clausulis.

(2) Vid. Card. Petra, ad Const. 2am Martini V. « *Quod antidota* » (op. cit. t. IV. pag. 225 seqq.); Pirhing, ad tit. de Rescript. sect. 5.

exequendi apostolicum mandatum. Executor mixtus, ad rescriptum exequendum, iurisdictionem exercere debet. Hoc valet etiam pro rescriptis gratiae, si ex. gr. beneficium, ex Pontificis rescripto, sit conferendum *digno*. Executor enim huius rescripti, mixtus dicendus esset; cum ad eum iudicium spectet, an ille cui beneficium confertur dignus sit necne (1).

112. Denique ad cessationem quod attinet rescriptorum, multiplex est caussa qua rescripti valor cessat, scilicet eiusdem *revocatio, renunciatio* ab eo facta cui conceditur *mors concedentis* quando haec substantialiter influit in rescripti validitatem.

113. Denique huc pertinet *aperitio oris,* quae in materia rescriptorum nihil est aliud, quam *facultas impugnandi aliquod rescriptum,* quae debet impetrari ut quis id efficere valeat.

Cf. DD. ad tit. de Rescriptis (I. 3) nominatim *Schmalzgr.* et *Reiffenst.* Ea quae pertinent ad hanc materiam, brevius sed concinne complectitur *Zallinger ad tit. de Rescript.*

ARTICULUS III.

De Privilegiis.

114. *Privilegium,* si vocis etymon spectes, idem sonat ac *lex privata.* Hinc adhibetur etiam, apud veteres, ad significandam poenam in aliquem peculiari lege statutam. Sic apud Tullium *(Paradox. 4 in fin.)* « *Familiarissimus tuus, de te privilegium tulit, ut si in opertum Deae Bonae accessisses, exsulares* ». At communiter in favorem usurpatur; eaque voce lex significatur, in bonum privatorum cedens. Quare a plerisque definitur: *Concessio permanens alicuius iuris specialis a legitimo superiore facta.* Differt autem privilegium a dispensatione, quatenus est *concessio permanens;* quamvis privilegium esse possit vel *ad tempus,* vel *perpetuum.*

115. Privilegium multiplicem varietatem admittit ex qua eius partitio eruitur. Hinc

(1) Distingui debet etiam *data* et *praesentatio* rescripti. Rescripta enim *gratiae* effectum sortiuntur a *data* seu a die expeditionis in Curia; *iustitiae* a die *praesentationis* factae exequutori.

1°. *ratione concedentis,* est vel *a iure* vel *ab homine.* Haec partitio in eam fere recidit, qua privilegium aliud dicitur *clausum in corpore iuris,* aliud, *datum per rescriptum speciale;*

2°. *ratione materiae,* est vel *contra* vel *praeter ius.* Primum eximit a lege exsistente eique derogat, alterum praeter legis ambitum conceditur;

3°. *ratione subiecti,* est vel *personale* vel *reale.* Personale, intuitu personae conceditur, reale, alicui rei tribuitur. Si de utroque elemento participat, *mixtum* appellatur;

4°. *ratione caussae finalis,* est vel *gratuitum* vel *remuneratorium* vel *onerosum.* Hoc postremum a plerisque *conventionale* vocatur, sed *onerosum* latius patet quam conventionale quod eius est veluti species;

5°. *ratione modi* est vel *concessum motu proprio* vel *concessum ad preces, absolutum* vel *conditionatum, purum* vel *conventionale, scriptum* vel *non scriptum* etc. (Vid. DD. ad tit. 33 lib. V. Decr.).

116. Regulae autem spectantes ad interpretationem privilegiorum sunt:

1°. Quoad interpretationem extensivam, h. e. ob similitudinem casus: *Privilegium non extenditur de casu ad casum, neque de persona ad personam (cap. 9 de Privileg.; cap. 28 et 74 de RR. I. in 6, ibique Glossa).* Privilegium enim *ius speciale* adeoque *extraordinarium* constituit; quod autem extraordinarie fit trahi nequit in exemplum.

2°. Quoad interpretationem comprehensivam, quando scilicet quaeritur, utrum casus sit necne comprehensus, ea stricta est in privilegiis *onerosis, contra ius, quae praeiudicium afferunt tertio;* lata est pro *clausis in corpore iuris, praeter ius,* modo non afferant praeiudicium, *remuneratoriis, motu proprio,* si nihil obstet; hic enim illud valet: *favores sunt ampliandi.*

3°. Denique huc spectant (ut recte monet Zallinger, *ad tit. de priv. et excess. privileg. § 262*) regulae quae datae sunt pro legum interpretatione.

117. Acquiruntur vero privilegia triplici potissimum modo: *Concessione,* ad quam revocatur *confirmatio* et *innovatio; communicatione, praescriptione et legitima consuetudine. Concessio* coincidit cum *rescriptis. Communicatio* satis apte remittitur ut

de ea agatur quando sermo est praesertim de *privilegiis regularium. Praescriptio* et *consuetudo* aequipollent concessioni.

Confirmatio vero est duplex: *in forma communi,* quae scilicet privilegium confirmat *prout in se est,* adeoque si sit invalidum tale relinquit: *in forma speciali,* quae sanat defectus et vim tribuit si non habet. Hoc cognoscitur ex *clausulis* et ex *insertione* ipsius privilegii *quoad substantiam,* quae duo *copulative* requiruntur si agatur *de praeiudicio tertii.* In dubio praesumitur forma communis.

118. Cessant denique privilegia pluribus omnino modis. Nam 1) cessant vel omnino (cessatio) vel ad tempus (suspensio), pariter 2) morte concedentis, si sint ad vitam eius qui concessit, 3) revocatione quae est vel *expressa* vel *tacita,* 4) interitu privilegiati si privilegium sit personale, 5) renuntiatione, 6) necessitate publica vel abusu.

119. Haec brevissime de privilegiis attigisse in prolegomenis satis superque est, si quae tamen ad peculiaria privilegia declaranda opus insuper sint, suis aptius locis traduntur.

De privilegiis disserunt DD. ad tit. XXXIII. lib. V. Decr. « *De privilegiis et excessibus privilegiatorum* ».

TITULUS IV.

De lege non scripta sive de consuetudine.

120. Nostrum non est de consuetudine ita disserere, ut quaestiones omnes expendamus, quas circa illam iuris tractatores instituunt ad titulum quartum libri I Decretalium: multoque minus evolutionem historicam *iuris consuetudinarii* sive *generalis* sive *particularis* in Ecclesia, prosequi (1). Ad *Institutiones* enim pertinet, *certas* quasdam ac *perspicuas notiones* exhibere quibus iuris studiosi uti deinde valeant ad uberiorem ac profundiorem rerum notitiam hauriendam. Quare consuetudinis in primis accurate conceptus statuendus est.

121. Iamvero si 1) vocis etymon spectes, sunt qui consuetudinem ita a *consuesco* seu *consuefacio* deducunt, ut *consuefa-*

(1) Bouix, De principp. I. C. P. I. sect. III; p. II. sect. VI.

cio idem sit ac *cum* seu *simul* idest *frequenter facio*. Hinc illud quod frequenter fit *consuetum* dicimus. Sed relicta nominis acceptione, si 2) de reali definitione sermo sit, nobis haec aptissima simul ac brevissima videtur: « *Consuetudo est lex, quae moribus populi continetur* ». Hinc post tractationem de legibus proprie dictis, apte de consuetudine disseritur.

In tradita definitione, *lex* est genus proximum, et per verba: « *quae moribus populi continetur* » differentia ultima exprimitur. Si haec definitio vera est, evolutis eiusdem terminis ea elementa haberi debent quae iuridicum consuetudinis conceptum constituunt.

Igitur *a*) cum consuetudo *lex* sit debet prout *talis est, legis essentialia elementa habere,* hinc esse debet, *iuxta rationem ordinata* seu *rationabilis, tum ad bonum communitatis dirigi, non vero ad eius perniciem,* item *ad legislatoris voluntatem aliquo pacto referri,* denique *rite promulgari*. At vero, *b*) cum lex sit hoc *sibi proprio charactere* insignita *quod moribus populi contineatur,* ea legis essentialia nuper recensita elementa, suo etiam modo habere debet.

122. Est igitur proculdubio *primus* consuetudinis legitimae character ut sit *rationabilis*. At vero *mos ille populi* potest esse *cohaerens* cum lege iam exsistente *per expressam legislatoris voluntatem,* vel *praeter* ullam legem exsistentem, vel eidem *oppositus*. Hinc triplex consuetudinis species: *secundum legem* quae legem *firmat* (1); *praeter legem* quae legem prius non exsistentem inducit; *contra legem* quae legem prius exsistentem abrogat. Illud autem evidens est, eo pacto *rationabilem* esse quamlibet consuetudinem, ut eius *materia* sit *per se et intrinsece* honesta: adeoque ut *irrationabilis* habeatur consuetudo, quae aliquam repugnantiam includit cum *iure divino* sive *positivo* sive *naturali*. At quaeri potest quomodo *rationabilis* sit unquam consuetudo *contra legem;* idque duplici ex capite: 1) quod lex ipsa sit *ordinatio rationis* adeoque quod eidem contrarium est rationi adversum videatur; 2) quia *actus quibus* in-

(1) *Cap. 8. h. t.* Consuetudo dicitur « *optima legum interpres* », et *Can. 3. dist. 4:* « Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur ».

ducitur consuetudo *contra legem* sunt legis violationes et esse possunt et plerumque sunt *cum mala fide* adeoque mali. At ad primum facile respondetur sicuti lex lege contraria abrogatur quin inde alterutra (si iusta adsit abrogationis caussa) evadat irrationabilis, ita cum abrogatur ex consuetudine contraria. Ad alterum vero, actus illos si sint *formales* legis violationes, malos et irrationabiles esse et manere, at consuetudo quae iis etiam inducitur, *alterius esse naturae* ac plane rationabilem si tamen *intrinsece sit honesta,* ut dictum est. Hoc autem pendet ex relatione ad legislatoris voluntatem ut dicemus.

123. *Alter* consuetudinis character eo quod lex sit, est *ut ad bonum communitatis ordinetur,* hinc est quod ut dicitur *cap. Consuetudinem 1. h. t. in 6. « Consuetudinem... (cum sacris sit inimica canonibus et de ambitionis radice procedat) corruptelam merito reputantes »* etc. Et *cap. Cum inter de Cons. « Nos igitur cognito quod ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae, ipsam... ducimus irritandam »* (Innoc. III).

124. *Tertius* consuetudinis character eo quod lex sit, in eo est, *ut ad legislatoris voluntatem aliquo pacto referatur;* neque enim lex sine legislatore concipitur. Et 1) illud sequitur nullam consuetudinem valere aut induci si legislator *positive* dissentiat (1), itemque 2) quamlibet consuetudinem per novam legem posse aboleri, pariter 3) nullam consuetudinem valere si legislator non libere sed *coacte* consentiat. Coactus enim consensus, positivo dissensui aequipollet. Hinc sequitur 4) oportere ut consuetudini princeps consentiat. At si princeps *expresse* consentiat iam non ex consuetudine sed ex nova principis voluntate legis obligatio inducitur. Reliquum est ut ad *tacitum* confugiamus principis consensum. Hoc autem dupliciter intelligi potest vel ita ut princeps consuetudinem non ignoret; vel ita ut eam penitus ignoret.

125. Porro illud *certum* est *non requiri* ad hoc ut consuetudo legitima etiam legi contraria inducatur, ut princeps noverit consuetudinis exsistentiam, quemadmodum nonnulli arbi-

(1) *Huc pertinent clausulae irritantes consuetudines.* V. tamen Pichler, in h. t. § 11. n. 17. et inferius n. 133. *e*).

trantur. Id enim falsum ostenditur *a*) *argumento ducto ex c. 1. de Const. in 6; b*) ex discrimine inter *consuetudinem ex conniventia*, et *consuetudinem praescriptivam* (Pichler, ad h. t. nn. 11, 12). Prima est *tacita* potius abrogatio sed a legislatore facta, alia est vera *consuetudo contra legem; c*) ex controversia quam movent DD. qui cum Schmalzgrueber aliisque ab ipso allegatis (in h. t. § III. n. 11) tenent sufficere decennium ad consuetudinem praescriptivam legis, utrum requiratur vicennium *si princeps sit absens* adeoque consuetudinem inductam penitus ignoret.

126. Cum igitur neque *tacitus consensus* principis (si necessario requirat ut ipse sciat consuetudinem induci), satis sit ad intimam consuetudinis naturam intelligendam, opus fuit ad alium modum recurrere, ad consensum illum scilicet qui dicitur *legalis,* quatenus *in lege fundator* et *praesumitur in principe, eum scilicet velle ut consuetudines legitimae suam vim obtineant* licet etiam eas *determinato modo* ignoret (Schmalzgr., Pichler, Barbosa, in collectan. DD. ad h. t. etc.). Huiusmodi *legalis consensus* omnino necessarius est et sufficit ad modum intelligendum quo in consuetudine relatio habetur ad legislatoris voluntatem prout ab ipsa legis essentia requiritur. Cf. Zallinger, in h. t. § 230, cum nota.

127. *Postremus* consuetudinis character *qua lex est* in eo consistit ut et ipsa *suo modo promulgetur,* id autem fit ex ipsa consuetudinis *specifica differentia* qua lex ita est ut *moribus populi* contineatur. Hinc 1) explicandum venit quid *moris,* 2) quid *populi* appellatione veniat. Iamvero ad *primum* quod attinet, consuetudo esse debet *mos* idest *habitus quidam agendi* adeoque exigitur ut huiusmodi actus positi fuerint qui *habitum* induxerint, idest *non rari, non difformes, non contrarii,* sed *notorii, frequentes, uniformes, constantes.* Hinc non videtur admittenda sententia qua *unicus actus* licet continuetur sufficiens dicitur, vel duo vel tres, saltem si sint iudiciales; quot autem requirantur, omnibus rite perpensis adiunctis dignoscitur et plerumque arbitrio prudentis iudicis est relinquendum (1). Ad alterum vero quod scilicet sit mos populi, illud spectat

(1) Pichler, I. C. in h. t. n. 9.

veluti legitimum consectarium, ibi *nullam haberi posse consuetudinem ubi populus nullus est;* at vero *populi* nomine intelligitur non solum *societas perfecta* sed etiam *collegium cui permissum sit proprias leges sibi condere* ex. gr. capitulum canonicorum. Insuper cum *mos populi* esse debeat consuetudo, *diuturna* sit oportet, scilicet ad hoc ut legis vim acquirat, a longo iam tempore instituta esse debet. Licet autem tempus ipsum non sit a lege definitum, nihilominus magis requiri videtur ad consuetudinem *contra legem,* quam *secundum* vel *praeter* legem inducendam. Sedulo tamen attendendum an ita firmiter inhaeserit ut absque societatis perturbatione nequeat aboleri. Hinc plura DD. plerique hac in re arbitrio iudicis permittunt.

128. Illud etiam notandum, ideo *consuetudinem legem esse* quia ut *lex* suscipitur, adeoque requiri in populo *voluntatem sese obligandi.* Hinc *mos ex errore inductus,* legem scilicet esse quae revera non est, consuetudinem non inducit. *Voluntas* porro *sese obligandi* tum aliis indiciis, tum hoc maxime manifestatur si consuetudinis transgressores *qua tales* reprehensione digni censeantur.

129. Apparet igitur illud quod initio diximus, ex rite evolutis statutae definitionis terminis totam de consuetudine iuridicam doctrinam profluere. Si enim ea quae analytice exposuimus ad synthesim reducantur, ex hactenus disputatis intelliguntur 1) consuetudinis *natura* et *fundamentum,* 2) eiusdem *partitio,* 3) eiusdem *requisita.* Neque minus apparet, *ad rem* quod attinet, brevem a nobis datam consuetudinis definitionem: « *Lex quae moribus populi continetur* » cum aliis consentire quae traduntur definitionibus ex. gr. *Can. 5. dist. 1.* « *Ius moribus institutum quod pro lege suscipitur* » vel *Mos populi per se non irrationabilis idemque diuturnus ab eodem pro lege susceptus, legisque auctoritate, nisi princeps dissentiat aut coacte consentiat, dispositione iuris communis etiam contra leges donatus.* Sed haec potius synopsis tractationis de consuetudine quam eius definitio dici debet.

130. Denique ex hactenus propositis discrimen elucet quod inter *consuetudinem* et *praescriptionem* intercedit. Nam *a*) praescriptio non continetur moribus populi sed *possessione* vel *quasi*

possessione etiam privatae personae, imo etiam communitas in praescriptione spectatur tamquam *persona particularis*. Item *b*) praescriptio non constituit legem, sed defert dominium vel quasi dominium. Praecipue vero *c*) ad praescriptionem requiruntur peculiares conditiones in iure determinatae ex. gr. *titulus coloratus et bona fides*, quae in consuetudine praesertim *contra legem*, quae tamen omnium potissima est, nullatenus habentur. Quod vero consuetudo *praescriptiva* quandoque dicatur, hoc ita intelligi debet ut haec praescriptio sit *legalis (cap. ult. h. t.)* scilicet *nullius ius laedat* nisi principis quatenus legislator est. Patet tamen analogiam exinde aliquam enasci, unde fit ut ad computandum tempus ad consuetudinem *secundum, praeter, contra* legem inducendam sufficiens, DD. utantur tempore requisito ad praescriptionem *longi* vel *longissimi temporis*.

131. Liceat etiam animadvertere, eo nobis aptiorem definitionem consuetudinis quam dedimus apparere quod *Ius populi*, quod maxime in Ecclesia nullum est, penitus etiam verbis excludat. *Fundamentum* enim consuetudinis est in *iure*, mores vero populi sunt veluti *materia*.

132. Denique licet consuetudo sit et vocetur *ius non scriptum* (v. de fontibus I. C. in fine) non inde sequitur eam postea scripto consignari quin et *corpori iuris* inseri haud posse. Hoc, ut notat Pichler (in h. t. n. 1), factum esse constat quoad *ius feudale* quod mere *consuetudinarium* est et in *corpore iuris civilis* relatum fuit.

133. Quamvis ex hactenus propositis satis eluceat quo pacto consuetudo licet legitima *cessare* possit, si tamen de hac re data opera quaeratur, haec sufficiunt quae subiicimus:

a) consuetudo cessat *lege contraria principis*, ut superius dictum est;

b) *desuetudine*, desuetudo enim est nova consuetudo quae saltem *negative* priori est contraria;

c) consuetudine *positive* contraria; sicut enim per novam legem contrariam prior abrogatur, ita et per novam consuetudinem contrariam prior tollitur;

d) id tamen intelligendum de consuetudine universali, nam lex universalis *per se* non tollit consuetudines *particulares* quas legislator potest ignorare *(textu express. cap. 1. de Const. in 6)*;

e) quantum vero ad *clausulam irritantem* consuetudines quae induci possint in posterum *contra legem,* dicendum, ex ea ostendi voluntatem legislatoris ut lex observetur, si tamen id quavis de caussa non fiat, hoc non impedit quominus consuetudo *legitime* induci possit (Reiffenst. in h. t. nn. 185–188). Hinc non omnino vera sunt quae de *decreto irritante consuetudinem* habet Barbosa, De Clausulis (Clausul. X. n. 35).

(De consuetudine agunt DD. ad tit. IV. lib. I. Decretalium qui de Consuetudine inscribitur, sive textum ipsum declarantes, sive proponentes doctrinam. Ex recentioribus Bouix, De princ. I. C. Part. II. sect. VI; Phillips, I. E. § CLVI, seqq. etc.).

TITULUS V.

De iuris ecclesiastici obiectiva partitione.

134. Superest ad has praenotiones rite absolvendas ut iuxta statutam methodum pauca subiiciamus de obiectiva legum ecclesiasticarum partitione.

Quemadmodum in qualibet societate perfecta, uti alias adnotavimus (44) est legum systema quo definitur eiusdem constitutio, ita et habetur systema legum quo societatis potestas ad actum reducitur, pro triplici functione *legifera, iudiciaria* et *coactiva.* Hinc leges quae ad hoc systema referuntur, iam non generali modo sed speciatim pro obiectis quae respiciunt considerantur. Neque obstat omnem legem a potestate legifera dimanare: quaelibet enim lex dimanat quidem a potestate legifera ut *termino a quo,* at non quaelibet lex ad potestatem legiferam reducitur, tanquam *ad terminum ad quem*; ita ut eius obiectum sit illud *formale* obiectum potestatis legiferae, quo ea ab iudiciaria et coactiva discriminatur.

135. Iamvero ad potestatem *legiferam* pertinet media determinare, *obligatorio modo,* quae ad finem conducunt, ad *iudiciariam,* efficere ut media applicentur, iuxta eum modum quo proposita sunt a potestate legifera, ad *coactivam* denique, renuentes ea media applicare, vi adhibita cogere, impedientes coercere. Systema igitur legum quibus ius ecclesiae continetur,

triplicem hanc potestatem ad actum reducat oportet. Erunt igitur leges quae ad mediorum determinationem pertinent, sive haec media quibus Ecclesia ad sanctificationem fidelium utitur sint *res* vel *personae;* erunt leges quibus Ecclesia curat ut ea media rite adhibeantur, adeoque ad *iudicia* pertinebunt; erunt denique leges, quibus Ecclesia coactivam potestatem exercet, adeoque, ad *delicta iisque respondentes poenas,* spectabunt.

136. At vero haec divisio, quam ex ipsis principiis eruimus, illa eadem est, quae communiter traditur in Institutionibus, quae agunt : *De personis, De rebus, De iudiciis.* Poenae autem ad tractationem de iudiciis revocari possunt. Ad personas, res, iudicia et poenas reducuntur etiam ea quae libris Decretalium continentur, proindeque etiam reducuntur ad exercitium triplicis potestatis Ecclesiae, legiferae, iudiciariae, coactivae.

137. Hinc habemus tum divisionem nostram esse veram tum eam esse aptissimam, eo quod cum ipso corpore Iuris et methodo qua doctores illud illustrant omnino consentiat; quod in divisionibus statuendis maxime attendendum est. Neque minus illud apparet, communem partitionem de *personis, rebus, iudiciis,* logico etiam spectato idearum nexu, praeclarissimam esse, a qua nullatenus nobis recedendum sit ut systematicas recentiorum quorumdam partitiones amplectamur (1).

(1) Denique et illud animadvertimus, ad ea quae in Prolegomenis dedimus uberius evolvenda, praeter auctores identidem allegatos, consulendum esse egregium opus : « *Praenotionum Canonicarum libri quinque Ioannis Doujat Doctoris Parisiensis* » pluries typis vulgatum.



INSTITUTIONUM IURIS ECCLESIASTICI

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS

TITULUS I.

De iure personarum.

138. Quamvis ea omnia, quae in hoc libro de *Personis* dicuntur, *Ius personarum* constituant; praemittitur tamen hic titulus veluti *prodromus,* quo *personarum* genera quae ad ius ecclesiasticum spectant, universim considerantur. Circa autem hanc amplissimam personarum divisionem, duo apte quaeri possunt: 1) de ipsa divisione *in se;* 2) de membris eidem subiectis sed *generali modo* consideratis.

139. Verum ut rite progrediamur, aliquis *personae* conceptus *iuridicus* praestituendus est. Porro seposita huius vocis sive etymologica sive philosophica acceptione, *persona,* iuridice est, penes veteres, duplici modo: 1) quatenus aliquis iure gaudet *civilis libertatis* iuribusque cum ea connexis, quo sensu, *servis* ius romanum *personae* dignitatem ac nomen per summum nefas denegabat, adeo ut nulla eis essent iura; 2) quatenus simpliciter *homo est,* quo sensu summa *personarum* divisio est in iure romano in *liberos* et *servos* (1). Haec secunda acceptio ut patet et vera simul et philosophica est; cum suppositum rationalis naturae, *persona* dicatur; licet sit absurda divisio in *liberos* et *servos* de qua paulo post.

(1) Inst. tit. 3. § *Summa.*

140. Statuto *personae* iuridico conceptu, si quaeramus quaenam personae ad ius ecclesiasticum pertineant, illud in primis animadvertendum est, personas quas ius canonicum respicit, eas esse quae Ecclesiam ingressae sunt, eiusque subiiciuntur potestati. Hi autem, ut alibi innuimus (44), solum sunt *christiani;* qui scilicet per *baptismi characterem* ad Ecclesiam pertinent, secus ac infideles qui ad eam non pertinent (ibid.). Per baptismum enim efficimur *cives* urbis illius caelestis Hierusalem, hic *in stadio probationis,* modo inchoato, *in stadio* vero *consummationis,* seu *in patria,* modo perfecto.

141. Hinc arbitramur minus recte dici, iuxta sacros canones personas dividi in *fideles* et *infideles* (1) si de *iure personarum ecclesiastico* sermo sit. Iure autem, quamvis neutiquam *facto,* Ecclesiae subiiciuntur haeretici, schismatici aliique etiam apostatae, qui per susceptum baptismum membra Ecclesiae evaserunt. Patet igitur quid *persona* sit, sensu si ita loqui possumus, *christiano-iuridico.*

142. Iamvero *christianorum* ea amplissima omnium divisio est qua alii sunt *clerici,* alii vero *laici* appellantur. Character autem quo clerici a laicis distinguuntur is est, ut clerici ii sint qui in Ecclesia *praesunt,* laici vero qui *subsunt:* quamvis multiplex sit potestatis ecclesiasticae *gradus* et *modus.*

143. Character huiusmodi vel nomine ipso innuitur: laici enim a λᾶος *populus,* quae vox *commune* aliquid indicat, clerici a κλῆρος *sors* seu *haereditas* dicuntur, quae vox aliquid *peculiare* ac *non communi conditione distributum* ceu *privilegium* significat.

144. Character hic clericos a laicis distinguens, ita uberius explicatur in iuris ecclesiastici sanctionibus, ut clericus ille sit « *qui Christi servit Ecclesiae* » et propterea clericus vocetur « *vel quia de sorte Domini est, vel quia Dominus sors idest pars clericorum est* ». Ita enim s. Hieronymus ad Nepotian.: « *Clericus qui Christi servit Ecclesiae, interpretetur primum vocabulum suum; et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim cleros graece, latine sors appellatur, propterea clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt* » etc. Textus est

(1) Ferrari, Summa Inst. can. lib. I. tit. 7. n. 61.

genuinus, (v. Berardi, Op. cit. p. III. c. 13) et refertur a Gratiano, *Can. Clericus 5, cau. 12, q. 1.*

145. Diserte vero de hac generali divisione personarum quae ad Ecclesiam pertinent, sermo est *Can. Duo sunt 7, cau. 12, q. 1.* « *Duo sunt genera christianorum. Est autem unum genus quod mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi. Cleros enim graece, latine sors. Inde huiusmodi homines vocantur clerici, idest sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt reges idest se et alios in virtutibus regentes et ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent, ab institutione Romanae Ecclesiae, in signum regni quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis, est temporalium omnium depositio. Illi enim victu et vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Aliud vero genus est christianorum, ut sunt laici, laos enim graece, est populus latine. His licet temporalia possidere, sed nonnisi ad usum; nihil enim miserius est, quam propter nummum Deum contemnere. His concessum est, uxorem ducere, terram colere, inter virum et virum iudicare, caussas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere: et ita salvari poterunt, si vitia tamen benefaciendo evitaverint* ».

146. Circa hoc testimonium, quod integrum dare maluimus, animadvertimus: 1) nos eo uti *directe,* quatenus eo diserte effertur, amplissima illa personarum divisio in *clericos* et *laicos;* non vero 2) quatenus ea omnia probari debeant, quae in eo continentur. Utimur autem hoc testimonio quia refertur a Gratiano, et est insertum corpori iuris, licet Gratianus illud falso inscribat: « *S. Hieronymus ex epistola ad quemdam Levitam* (1) ». Ceterum 3) apparet, quod *de vita communi clericorum* dicitur, tum ut notat Glossa *(init. h. t. cau. 12, v. Clericos)* de iis qui sponte suis renuntiaverint, ut sunt *regulares,* tum *historice* de primaeva Ecclesia (Act. II. 44) esse accipiendum: uti et illud quod de laicis dicitur, « *nonnisi ad usum eis licere temporalia*

(1) V. Berardi, (op. cit. Par. III, ed. Ven. 1783. tom. III. pag. 157) qui illud incerto cuidam auctori undecimi aut duodecimi saeculi adscribit.

possidere » manifeste ita intelligendum est, ut divitiis cor non adhaereat iuxta illud Apostoli I. Cor. VII. 30–31 : « *et qui emunt tamquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur* ». Sed cum insuper testimonium sit apocryphum, in eo ulterius immorari non vacat.

147. Iamvero haec generalis in ecclesia clericorum et laicorum divisio, si spectetur *historice*, cum ipsis nexa ostenditur Ecclesiae primordiis; si *theologice*, ex ipsa dimanat Christi lege Ecclesiaeque constitutione; si *iuridice*, fundamentum est ac veluti substratum, quo ecclesiastici iuris sanctiones nituntur; si demum propemodum *philosophice*, ex ipsa rerum natura ac generis humani consensione et *historia religiosa* comprobatur.

148. Dixi hanc divisionem theologice spectatam ex ipsa dimanare Christi lege Ecclesiaeque constitutione. Huc pertinet controversia de eius origine ac fundamento; utrum nempe *iuris divini* sit aut *humani* seu *civilis*.

149. At vero distinctionem hanc clericorum a laicis, ex *iure divino* esse repetendam, non vero *humano* aut *civili*, dogma est ad fidem catholicam pertinens ac pluries ecclesiasticis sanctionibus definitum, ac nominatim in concilio tridentino *(sess. XXIII. can. 6, de Sacr. ord.)*: « *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit* ». Iamvero quotquot in clerum cooptati sunt ad unam, ex tribus recensitis in canone classibus, pertinent. Confirmatur ex eo, quod si *hierarchia ordinis* attenditur, ea ad sacrificium refertur novae Legis et sacramentorum administrationem, quae profecto omnia divinae sunt institutionis, si *hierarchia iurisdictionis*, potestas Ecclesiae, tum ex eius natura tum ex Christi institutione, (46–49) talis est, quae Deum unice auctorem habeat. Quae igitur membra sunt utriusque hierarchiae, ea divinae institutionis pariter haberi debent. Id autem disertis divinarum Litterarum testimoniis confirmatur (Act. XIII. 2; XX. 28 etc.) atque universa Ecclesiae historia testatur.

150. Quod vero I. Petr. II. 9 de omnibus christianis « *regale sacerdotium* » praedicetur, aliaque huiusmodi reperiantur apposita, omnibus fidelibus communia; nonnisi imperitis facessere potest negotium; atque ex plenissima Scripturarum analogia,

a patribus et doctoribus declaratur ita, ut de latiori quadam significatione sanctificationis quae omnibus fidelibus inest, intelligenda sit illa Scripturarum appellatio (1).

151. Ecclesia igitur clericis et laicis ex ipsa divina institutione coalescit; ex iis qui sanctificant, docent, regunt et ex iis qui sanctificantur, docentur, reguntur; atque ita ut ordo sacer quo sacri ministri initiantur, verum imprimat ac perpetuo animae inhaerentem characterem supernaturalem, si *ordinis* potestas attenditur, exercitium vero multiplex *ecclesiasticae iurisdictionis,* originem habeat ab iis clavibus regni caelorum (Matth. XVI. 19) quas Christus dedit Petro cum ceteris rite communicandas.

At vero exinde apparet; si spectetur *ius,* Ecclesiae iura violari, si quando in societate humana haec distinctio contemnitur; si spectetur *factum,* societates christiano nomine tamen gloriantes, pessime cavillari, cum obtentu cuiusdam commentitiae aequalitatis, omnia iura ac privilegia clericorum abolere satagunt, vel de iisdem abolitis sibi gratulantur.

152. Generali hactenus statutae personarum divisioni, innectitur incidens quaestio, de *monachis* seu generatim regularibus; de quibus quaeri potest, utrum ad clericos vel laicos pertineant. Et ratio quidem dubitandi habetur, quod hinc quidem plura quae clericorum sunt, ut privilegia, regularibus quoque Ecclesiae lege tribuantur, inde vero plures ex iis vel ad ordines sacros non destinantur ut sunt *laici* seu *conversi;* vel etiam ad illos incapax subiectum omnino sunt, ut moniales; quae tamen privilegiis clericorum gaudent et quandoque sub *clericorum* nomine veniunt.

153. Porro notandum est, nomen *clerici* triplicem significationem in iure admittere. *Prima* est *latissima* qua clericus opponitur *populo* (*Can. 5 et 7, cau. 12, q. 1,* superius allegatis). *Secunda latior,* qua clericus opponitur *populo* et *monachis* (*Can. 1, dist. 20. Arg. tit. 50, lib. III. Decr. « Ne Clerici vel Monachi.... »). Tertia strictior,* quae eos tantum complectitur, qui nulla insigniti dignitate ecclesiastica aut canonicatu aut *ordine sacro* proprie dicto, sola tonsura aut ordinibus minoribus initiati sunt *(Arg. can. 38, cau. 11, q. 1; Reiffenst. I. C. ad tit. 2.*

(1) Lege theologos in tract. de Sacr. Ord. Cf. Phillips, I. E. § 33.

lib. I. Decr. num. 436; Ferraris, Bibl. v. Clericus, nn. 5. sqq., cap. Sedes 15 de Rescr., cap. Statutum 22 de Elect. in 6).

154. Ut apparet, hic *ius regularium* spectamus, sub hoc solum respectu, ad quamnam personarum classem regulares pertineant. De iis enim data opera suo loco agendum erit. Iamvero de hoc, rectissime dicitur spectari eos posse *quatenus regulares sunt,* et hoc pacto spectatos, eos laicis esse annumerandos, et spectari posse, *quatenus vel insuper clerici sunt, vel quamvis laici* clericorum privilegiis, *ex iuris dispositione,* fruuntur et hoc pacto eos inter clericos cooptandos esse. Scilicet, ut paullo accuratius loquamur, distingui debent hac in re: 1) *ratio formalis,* 2) *conditio historica,* 3) *conditio iuridica* regularium. Quoad primum, regulares *qua tales* laici sunt. Quoad secundum, in praesenti disciplina, regulares, maxima omnino parte, sunt vero sensu clerici. Quamvis enim prioribus saeculis, regulares sacerdotio raro initiarentur, at modo contrarium obtinet et antiquus ille mos instar exceptionis est, pro quibusdam numero paucis ordinibus. Ad tertium vero quod attinet, constat regulares quoscumque, sive pertineant ad *Ordines proprie dictos regulares,* sive ad *Congregationes regulares votorum simplicium a S. Sede approbatas* clericis *iuridice* annumerari, eorumque frui privilegiis. Id etiam valet pro iis qui *eremiticam* vitam ducunt, modo *formam aliquam religionis* praeseferant. Secus vero dicendum, si ex privata devotione eremiticam sed exlegem vitam agant (1).

155. Statuta igitur divisio est *summa,* quia nulla ea est amplior, *adaequata,* quia omnia Ecclesiae membra complectitur, *perfecta,* quia membris constat, prout distinguuntur, oppositis. Cum igitur satis de divisione hac prout *in se est* dictum sit, pauca secundo loco, de membris eidem subiectis *generatim inspectis,* dicenda remanent. Exordiamur a laicis.

156. Si in primis, generalis laicorum habitus ad Ecclesiam quaeratur, is est, ut hi in iis quae ad Ecclesiae finem *immediate* vel *mediate, directe* vel *indirecte* pertinent, eidem subsint, sive principes sint sive subditi (46). Sed de commentitiis *iuri-*

(1) *Cf. Card. Petra ad Const. Alex. II. « Nulli » sect. I. II,* (T. I. pagg. 289-301).

bus maiestaticis in Ecclesiam in iure publico sermo est, uti etiam *quo pacto et queis conditionibus,* quandoque principes dicantur *custodes et vindices canonum,* scilicet prout *officium adimplent,* non prout *imperium exercent.*

157. His igitur omissis, illud ad laicos quod attinet, tenendum in primis est, cum ii Ecclesiam discentem sanctificandam regendamque constituant, ius quoque habeant oportet,

a) ut ii quibus hoc munus competit, per potestatem sive ordinis sive iurisdictionis qua pollent, actus illius potestatis *in eorum bonum* exerceant, sive pro fidei ac morum disciplina sive pro sacramentorum administratione;

b) ut illorum omnium iurium ac bonorum participes efficiantur *quae ex actuali Ecclesiae communione* dimanant ex. gr. iuris ecclesiasticae sepulturae etc. sunt enim cives, civilibusque iuribus gaudent.

158. Ea quae ad laicos pertinent ita presse collegit Phillips: « laici *orationibus suis* participes fiunt sacrificii, possunt etiam pro sua conditione concurrere ad docendas aeternas veritates, quin et ipsae mulieres, quamvis iuxta Apostoli praescriptum tacere debeant in ecclesia (I. Cor. XIV. 34) catholicam fidem suos debent filios docere, sicut etiam in Ecclesiae primordiis, *catechumenae* aliis mulieribus, prius instruendae tradebantur. Denique quin ullum ius habeant ut in regimen Ecclesiae sese immisceant, quandoque tamen aliquod eiusmodi munus laici, iuxta normas canonum, obire possunt: tum per christianum coniugium ius habent familias constituendi » etc. (I. E. § XXXIII).

159. Quae porro generatim dicta, ita enucleatius proponi possunt:

a) *quoad potestatem ordinis aliaque eidem adnexa* haec de laicis tenenda sunt:

aa) potestatis efficiendi sacramenta, nulla humana auctoritate laici capaces fieri possunt, cum facultas supernaturalis ad id necessaria sit, quam Christus alligavit Ordinis sacramento; excepto sacramento matrimonii cuius ministri, iuxta veram ac modo communem sententiam, sunt ipsi contrahentes (1) itemque excepto baptismo privatim collato *in casu necessitatis* (2);

(1) *Arg. ep. Pii IX. ad Reg. Sard. 19 Sept. 1852.*
(2) *Can. 21. d. 4 de Consecr.*

bb) quoad reliquos *actus sacros*, singulae species sunt expendendae, utrum scilicet *potestatem ordinis* ita necessario exigant, aut iuri divino ita utcumque contrarium appareat eos a laicis exerceri, ut, ne auctoritate quidem Romani Pontificis, id valeant peragere.

b) *Quoad potestatem iurisdictionis:*

aa) ne Romanus quidem Pontifex iurisdictionem *ordinariam* in caussas *natura sua* ecclesiasticas potest laicis conferre scilicet ut illam *iure suo* exerceant. Id enim divinae Ecclesiae constitutioni manifeste adversatur.

bb) Hinc sequitur, nulla ratione ius esse civili potestati in caussas matrimoniales, quae non meros *civiles effectus*, sed *vinculum* ipsum respiciunt: neque enim separari potest in christiano coniugio ratio contractus a ratione sacramenti. Idem dicatur de aliis caussis *natura sua* ecclesiasticis.

cc) Potest tamen laicis conferri, Romani Pontificis auctoritate, *iurisdictio delegata,* quae nimirum et Pontificis auctoritate exerceatur et ab eius auctoritate, quoad modum et etiam tempus eam exercendi, dependeat. Requiritur tamen, ut certa omnino sit, exhibito pontificio authentico diplomate, talis concessio, neque ulla etiam immemorabili consuetudine praesumi possit (1).

dd) Episcopi nullam possunt laicis *delegare* iurisdictionem, sive in caussis natura sua ecclesiasticis, sive in caussis criminalibus clericorum; possunt tamen in caussis civilibus, non tamen concessione aliqua universali laicis facta, sed in singulis casibus *(Glossa, in can. Bene quidem, d. 96, § Praeter, et in can. Pervenit, dist. 95).*

ee) Item laici neque *arbitri* in caussis ecclesiasticis esse possunt *(cap. 8 de Arbitr.)*. Sunt autem arbitri, *iudices consensu litigantium partium electi.* Possunt tamen id munus, *una cum aliquo clerico* exsequi, si accedat superioris auctoritas *(cap. 9 de Arbitr., et ibi DD.).*

ff) Licet tamen laico in caussis ecclesiasticis, *arbitratorem* seu conciliatorem esse, absque ulla iudicis specie. Item, assessor potest esse laicus iudicis ecclesiastici, vel cancellarius, actuarius, tabellio etc.

(1) *Pii IX. Const. « Suprema » 25 Ian. 1867.*

c) Denique *quoad honores laicis personis deferendos haec statui debent:*

aa) non licet laicis intra presbyterium cum clericis consistere;

bb) neque eos peculiares honores a clericis exigere, qui praesertim aliquam iurisdictionis speciem habent, e. g. ut peristromata cum pulvinaribus sibi deferantur, nisi de regalibus personis agatur. At vero

cc) in his omnibus consuetudines etiam attendi debent, praesertim si pacifice sint admissae et vetustae, modo tamen nihil irrationabile praeseferant (1). Quin et consuetudine potissimum innituntur honores, qui in ecclesia laicis exhibentur. Haec de primo divisionis membro, nempe de laicis, quibus deinceps dimissis, de alio nobiliori, nempe de clericis, agendum erit.

160. Spectantur hic clerici *generalissima quadam ratione,* quatenus personarum classem constituunt: hinc, solum recensendi sunt varii clericorum ordines. Controversiae vero theologicae circa huiusmodi ordines, ad nos non pertinent.

161. Quaedam etiam quae huc spectant, disputantur in iure ecclesiastico publico, ubi vera idea constitutionis Ecclesiae ex catholicis principiis proponitur (2). Haec tamen breviter hic adiicere operae pretium est:

a) clerici in Ecclesia, non sunt omnes aequalis gradus, ac potestatis, sed ex ipsa Christi lege atque inde manante Ecclesiae constitutione alios aliis sunt maiores, eo pacto, ut inde exsistat proprii nominis *Hierarchia;*

b) haec ecclesiastica hierarchia, pro ipso Ecclesiae fine atque ex eo determinata Ecclesiae duplici potestate, *aa*) in media sanctificationis per gratiam sacramentalem quae dicitur *potestas ordinis, bb*) in liberam hominis cooperationem, per verum imperium, quae dicitur *potestas iurisdictionis,* ita duplici hac *functione* distinguitur, ut dici possit ac debeat, duplicem hierarchiam exsistere, aliam *ordinis* aliam *iurisdictionis;*

c) ad hoc ut ad clericorum ordinem quis accenseri dicatur, initiari eidem aliquo pacto debet. Fit autem, per ritum illum qui dicitur *prima tonsura,* de qua suo loco dicendum erit, cuius

(1) *Clem. VIII. Const. « Romanum decet » 31 Maii 1604.*

(2) Cf. *Tarquini I. E. P. lib. II. c. 1.*

iuris sit, quae eius sint natura, requisita, consectaria etc. Si igitur hoc *tonsurae primae* ritu, initiatio clericalis continetur, patet eam saltem requiri ut quis *clericus* iure dicatur;

d) in hierarchia ordinis, distinguuntur ordines *maiores* et *minores*. Ad maiores pertinent *episcopatus, presbyteratus, diaconatus*. (Subdiaconatus per se ad *minores* pertinet ordines, licet potissimum ob adnexam legem caelibatus serius fuerit maioribus ordinibus adnumeratus). Alii minores ordines, in praesenti Ecclesiae disciplina, sunt *acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus*. Cum de his, suis locis distinctius dicendum sit, supersedendum arbitramur, qualicumque eorum descriptioni (1);

e) in hierarchia *iurisdictionis*, sicut *iuxta sententiam pro nobis certam* non solum eius centrum, sed eius *fons* est in Romano Pontifice Christi vicario, ita ab eodem *multipliciter diversaque lege*, ut suo loco dicetur, communicatur.

Haec de clericis *generatim* consideratis.

Scholion

Agentes de summa personarum divisione, iam superius animadvertimus (139) *in Institutionibus Iustiniani imp.* eam ita exhiberi: « *quod omnes homines aut liberi sunt aut servi* ». Servitus autem, ut ibidem dicitur, est « *Constitutio iuris gentium, qua quis alieno dominio contra naturam subiicitur* » (2). Hanc profecto divisionem, naturae aeque ac christianae dignitati repugnantem, Christi Ecclesia *in se* omnino respuit (3). *Neque enim acceptio est personarum apud Deum, neque distinctio inter graecum aut barbarum, inter liberum et servum.*

(1) Quaedam antiquae clericorum classes, quibus recensebantur *psalmistae, notarii* etc., non *gradum hierarchicum* sed *officium* designabant. Vide tamen Phillips, (op. cit. § 35. n. 1).

(2) Ut apparet, vel in ipso Iure romano, servitus ceu naturae adversa exhibetur et ex iure gentium eius origo derivatur.

(3) Vix opus est animadvertere, nos in hoc scholio de ea servitute loqui qua homo nativa sua dignitate ita destituitur, ut habeatur ceu *res* non vero ut *persona*. Hinc saltem *directe*, non loquimur de ea servitutis specie, qua quis, *salvis iuribus naturalibus*, alieno dominio addicitur.

At vero concedendum est, Ecclesiam non modo, longo tempore, servitutem in societate civili tolerasse, etiam in Europa (1), sed imo etiam in nonnullis suis legibus, saltem aliquo tempore, ad eam respexisse. Sic *defectus libertatis,* irregularem constituit aliquem, ad susceptionem ordinum. Hinc in Decretalibus (I. 18) est titulus: « *De servis non ordinandis* » et in Decreto Gratiani (dist. LIV) plures habentur hac de re canones (2).

Ut recte de hac Ecclesiae oeconomia, iudicium ferri possit, haec sedulo invicem distinguenda sunt: 1) *doctrina;* 2) *consectaria immediata et simpliciter necessaria ipsius doctrinae;* 3) *consectaria mediata et quadantenus, saltem quoad tempus applicationis, non necessaria;* 4) *relatio Ecclesiae ad societatem civilem, quod spectat ad haec consectaria mediata;* 5) *scopus finalis Ecclesiae;* 6) *media apta ad eum obtinendum.*

I. Doctrina igitur Ecclesiae, hac de re, continetur tum asserta *naturali aequalitate* omnium hominum, tum eorumdem *identica conditione,* in ordine *supernaturali elevationis* et *redemptionis* per Christum. Haec doctrina est in Ecclesia semper *eadem, immutabilis, decretoria,* et sicuti continetur iugi ecclesiastica praedicatione, ita et verbo Dei scripto, cuius ecclesiastica praedicatio est luculentissimum commentarium (3).

II. Ex hac doctrina haec consectaria *immediate* et *necessario* dimanant:

a) in *ordine naturali,* improbandum esse, quidquid *in statu servitutis utcumque tolerato* intrinsece malum est.

b) in *ordine supernaturali,* ius omnibus aequale esse ad ea omnia quibus ex Christi institutione, membra Ecclesiae uti debent ad finem supernaturalem consequendum. Ergo

c) Ecclesia *improbare semper debuit* arbitrariam illam cru-

(1) Eo quod de servitute, prout in ethnica societate erat, nobis sit sermo, hinc eam in Europa potissimum spectamus.

(2) Cf. Schmalzgrueber, ad tit. XVIII. lib. I. tum ad titt. IX. X. libri IV. Decret. Porro notat Vecchiotti, (op. cit. lib. 2. § 1) praeter *Decretum* et *Decretales* Gregorii IX, alias *Corporis Iuris* partes nihil de servis habere. Unde putatum est inter Gregorium IX et Bonifacium VIII servitutem in Occidente penitus extinctam fuisse. Ad servitutem referuntur leges ecclesiasticae circa impedimentum dirimens *conditionis.*

(3) Gal. III. 28; Coloss. III. 11. etc.

delitatem, quam Ius Romanum dominis in servos exercendam concedebat (1), itemque

d) *media omnia supernaturalia aeternae salutis assequendae* liberis aeque ac servis exhibere.

Et re quidem vera, ad primum quod spectat, leges habentur ecclesiasticae, anathemate etiam punientes abusum potestatis erga servos (2). Alterum vero nimis est evidens ex iugi Ecclesiae disciplina ac historia universa, ut alia demonstratione non egeat. Satis sit ea referre quae habentur hac de re *cap. Dignum est 1 de coniug. servor.* (IV. 9) « *Sane iuxta verbum Apostoli, sicut in Christo Iesu, neque liber neque servus est a sacramentis Ecclesiae removendus ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi; et si contradicentibus dominis et invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen et consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi* ». In quo testimonio haec praeclare eminent: *a*) principium generale de sacramentis omnibus concedendis; *b*) applicatio generalis principii ad sacramentum matrimonii; *c*) *consectarium practicum* de validitate matrimonii a servis initi *etiam invitis dominis; d*) denique *accommodatio temporaria* quoad servitutis exsistentiam in societate christiana. Quae porro ea quae dicimus mirifice illustrant.

III. Ab his consectariis quae diximus *immediata* et *simpliciter* necessaria, omnino secerni debent quae *mediata* et *quadantenus non necessaria* appellavimus: mediata quidem quia remotiora a statutis principiis naturalibus et revelatis, quadantenus non necessaria, quia concipi potest societas christiana *saltem aliquo tempore et in statu rudiori* illis consectariis mediatis destituta. Sane

a) evidens est cum duplici illo principio de *aequalitate naturali* et *supernaturali (in ordine historico)* omnium hominum apprime cohaerere et eius esse legitimum consectarium, ut *omnes in societate civili constituti, aequalibus iuribus civilibus saltem*

(1) Balmes, in egregio opere « *Protestantismus cum Catholicismo comparatus* », Tom. I. cap. 16.

(2) Balmes, *l. c. nota 15.* in qua praecipuae hac de re Ecclesiae leges recensentur.

essentialibus aut praecipuis fruantur. Id autem *ad minimum* requirit ut omnes *civiliter liberi* sint. Dixi saltem essentialibus aut praecipuis, ad seponendam controversiam de exemptionibus seu privilegiis quae forte in civili societate alicui personarum classi competant. Neminem puto futurum, qui *hanc aequalitatem civilem* maxime christianos quin et homines rationis compotes decere, inficiari velit. At simul

b) aeque evidens est, concipi posse talem rerum publicarum statum, in quo haec civilis omnium libertas, saltem immediate post acquisitam ab Ecclesia tranquillitatem ab insectationibus ethnicorum, *ad actum plene ac perfecte reduci* haud potuerit. Atqui

c) inde apparet fieri potuisse ut in societate quoque civili christiana, *servitutem proprii nominis,* Ecclesia aliquo tempore tolerare (iis exclusis quae superius diximus II. *c*) potuerit quin et suis legibus moderari. Abolitio enim servitutis non erat consectarium *immediatum,* vel *simpliciter* necessarium.

IV. Id autem eo vel maxime contingere opus fuit, quod circa haec consectaria *secundi generis,* necessario esset attendenda *habitudo societatis civilis ad Ecclesiam.* Porro haec nobis triplex exhibet stadium nempe: *primo,* societatis civilis magna adhuc parte ethnicae; *secundo,* societatis civilis *christianae in stadio formationis; tertio,* societatis civilis *christianae iam constitutae.* Iamvero

a) in *primo stadio,* Ecclesia nihil ultra efficere poterat, quam *intrinsecam rei pravitatem* improbare, et servitutem saltem mitigare; legibus enim civilibus servitus ultro fulciebatur;

b) in *secundo stadio,* quamvis iam potuerit abolitionem ipsam *praeparare, efficacia usque maiore,* id tamen *prudenti oeconomia,* mediis primum *indirectis,* sed *magis magisque multiplicatis et potentioribus,* exsequi Ecclesia debuit. Licet enim iam *civiliter* in suis iuribus agnosceretur, obstabat adhuc nativa barbararum gentium ferocia, legum crudelitas, status socialis imperfectio, bellorum frequentia atque alia huiusmodi;

c) denique *in tertio stadio,* saltem *universim loquendo,* potuit ac debuit in societatibus christianis servitutem abolere. Dixi universim loquendo, ut peculiares quaedam quae forte exstiterunt exceptiones seponantur.

V. Atqui si consideretur tum historia Ecclesiae tum ecclesiasticarum legum, ad *servos* quod attinet, *indoles* atque *evolutio,* id luculenter apparet, ut clarum fiet ex iis quae ultimo loco de mediis ab Ecclesia ad abolendam servitutem adhibitis breviter dicturi sumus.

Si igitur sermo sit *de fine* quem *ultimum* Ecclesia sibi praestituit, is profecto fuit *abolitio omnimoda* servitutis, sed ad eum obtinendum ut media apta eligeret opus fuit. Atqui *immediata abrogatio* nedum inepta sed neque futura fuisset possibilis. Id patet ex superius animadversis (IV. *a, b*).

VI. Hinc Ecclesia, ut *tuto* et *efficaciter* ad plenam servitutis abolitionem deveniret, *sapientissima* usa est mediorum oeconomia quae tum in eius gestis apparet, tum potissimum in eius legibus continetur. De hac egregie prae omnibus disseruit cl. Balmes (1) quaeque ab eo fuse et eloquenter disputantur ad haec capita revocantur:

a) statuitur *vera* doctrina de omnium hominum aequali conditione naturali, reiectis non modo vulgi sed et ethnicae sapientiae absurdis commentis;

b) doctrina haec applicatur, primum corrigendo, quoad fieri poterat, abusus qui a legibus ethnicis sanciebantur;

c) dein adhibentur ab Ecclesia media *indirecta* sed *efficacissima* tum ad reddendam faciliorem ac multiplicandam servorum *manumissionem* tum ad impediendam liberorum servitutem;

d) ex his omnibus, *sensim veluti subtracta materia,* servitus abolita fuit, saltem in Europa, quamvis etiam ubi adhuc viget (2), licet magis magisque ad abolitionem vergat, longe alia sit ac quae in ethnica societate viguit quaeque nonnisi a christiana religione destrui poterat.

Porro si quis hanc oeconomiam ab Ecclesia adhibitam, paullo apud se reputet eiusque fructum, is fateatur oportet, et eam sapientissimam fuisse, quin et unice aptam ad scopum quem sibi Ecclesia praestituit obtinendum.

(1) Op. cit. cc. 15-19. et nota (15).

(2) Cf. Balmes, l. c. nota 15. § ult. Sed de hac servitute loqui in praesenti, supersedendum arbitramur.

TITULUS II.

De clericorum communibus iuribus ac privilegiis.

162. Clericos a laicis discriminari, ita ut peculiarem coetum illumque nobiliorem in Ecclesia constituant, hactenus effecimus. Supponimus autem, ut paulo ante animadvertimus (161, *c*), ritum aliquem esse clericalis initiationis, quo quis in clerum cooptatur, eiusque iurium ac privilegiorum particeps efficitur. Iura autem quin et privilegia clericis propria haberi, mirum accidet nemini, qui et peculiaria officia clericis imposita de quibus titulo sequente agendum erit, attendat et recolat quae de clericorum dignitate ex divina institutione dimanante titulo superiore diximus. Cum autem haec iura et privilegia de quibus nunc loquimur *omnibus* clericis aeque conveniant ideo ea *communia* appellamus.

163. Iura et privilegia communia clericorum apte duas in classes dividit Barbosa *(I. E. U. lib. I. c. 39, n. 13 seqq.),* quarum *prima* complectitur *praerogativas* quae clericis supra laicos conceduntur, *secunda* ea complectitur quibus prae ceteris debent clerici esse *immunes*. Hinc brevius dicere possumus, *praerogativas* et *immunitates,* privilegia clericorum constituere.

164. Ad primam vero pertinent classem:

a) divina officia peragere, sacra contingere, altari ministrare;

b) assequi et exercere iurisdictionem ecclesiasticam;

c) item consequi et possidere ecclesiastica beneficia;

d) stare in ecclesia *ceu* proprio loco intra cancellos altaris;

e) coïre posse in collegium clericale, suis proinde legibus ac iuribus instructum;

f) iurare *in iudiciali actione* in conscientia *tacto pectore* et non tactis scripturis.

Haec praecipua sunt ad quae huius generis reliqua facile revocantur, et primam classem privilegiorum constituunt quae clericis omnibus communia sunt.

At longiorem tractationem postulat altera classis, quae clericorum immunitates complectitur. Liquet in primis, duplicem

esse immunitatem, *personalem* scilicet et *realem.* Illa ad personas, haec ad res pertinet, adeoque et de ea loquendi est locus in altero libro ubi de rebus agitur. Quare hic ad *immunitates* quae personas clericorum attingunt nosmet expendendas convertimus.

165. Iamvero iure a Barbosa l. c. privilegia clericorum, quae dicuntur *canonis, fori, exemptionis, competentiae,* de quibus distincte mox agendum nobis erit, ad immunitatis conceptum revocantur, quin et aptissime ad *immunitatem personalem* rem paulo aliter explicando reduci possunt (vide inferius 182, *b*). Id autem ut rite intelligatur, necesse est prius de singulis disserere. Quod statim aggredimur, praemissis quibusdam animadversionibus de immunitatibus universim.

166. Itaque principii loco illud statuendum est: *ecclesiasticas immunitates non esse solum ex iure civili aut politica quadam conditione repetendas sed ex ipso iure divino derivari.* Doctrina haec est catholicae Ecclesiae tum alias pluries tum recentissime *saltem in sua parte negativa,* sanctione Apostolicae Sedis munita, siquidem inter propositiones in Syllabo damnatas, § V. n. 30 haec legitur: « *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit* » ad quam referendum est Breve Pii IX « *Multiplices inter* » 10 Iunii 1851 contra assertiones erroneas Francisci Vigil peruani presbyteri, quae in eo damnantur. Hinc falso regalistae contendunt posse ecclesiasticas immunitates, quippe quae unice ex civilibus legibus ortum habent, a saeculari potestate pro lubito revocari. Potest quidem Ecclesia pro diversis rerum adiunctis, ductu Spiritus Sancti, quandoque moderari earum immunitatum exercitium, potest quandoque earum iniquam violationem etiam tolerare, at principium ipsum destruere et veritatem prodere nequit.

Sane Bonifacius VIII *cap. Quamquam de censib. in 6* (III. 20) « *Cum,* inquit, *ecclesiae ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum non solum iure humano sed et divino a saecularium personarum exactionibus sint immunes* etc. ».

Item oecumenicum concilium lateranense V. sess. IX. in Const. Leonis X quae incipit « *Supernae dispositionis arbitrio* » dicit: « *et cum a iure tam divino quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit* etc. simulque Pon-

tifex *innovat Constitutiones omnes et singulas hac in re Praedecessorum suorum* ».

Denique concilium tridentinum, (sess. XXV. c. 20 de Ref.) *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam* affirmat.

167. Immunitates igitur ecclesiasticas generatim spectatas, ex *iure divino* seu *immediate* seu *mediate* (quatenus Ecclesiae auctoritati determinatio modi est divino nutu relicta) dimanare, doctrina est catholicae Ecclesiae, proindeque sicuti Ecclesiae doctrinae adversantur qui *principium ipsum* seu *ius* negant, ita Ecclesiam laedunt iniquissime, qui contra omne fas *exercitium iuris,* Ecclesia invita, minuunt aut destruunt. Obiectiones vero quae fieri solent contra ecclesiasticas immunitates, aut falsis principiis innituntur praeposterae aequalitatis, aut ex nonnullis particularibus, ut dici solet, abusibus seu incommodis, ad rei ipsius pravitatem, manifesto ratiocinationis vitio, absurde concludunt. Haec de immunitatibus universim: iam de singulis.

§ I. *De personali clericorum inviolabilitate seu de privilegio « Canonis » nuncupato.*

168. Privilegium « *canonis* » ita appellatur ex canone XV concilii oecumenici lateranensis II an. MCXXXIX sub Innocentio II (1) quo continetur; et in eo est, *ut personas ecclesiasticas* contra *reales* iniurias, ecclesiastica poena gravissima delinquentibus intentata, *inviolabiles* reddat. Canon ita effertur: « *Si quis suadente diabolo, huius sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur et eius mandatum suscipiat* ». Canon insertus est corpori iuris in decreto Gratiani *Can. Si quis 29, Cau. XVII. q. 4* (2). Idem prius statutum fuerat ab eodem Innocentio II in synodo claromontana an. MCXXX (3) contra

(1) Coll. Labb. et Mansi, T. X. coll. 999.
(2) Caute hic legendus Berardi, (P. 2. pag. 393. edit. Ven. 1783).
(3) Labb. et Mansi, T. XII. coll. 1447. n. X.

catharorum, henricianorum, aliorumque haereticorum perfidiam qui acerrime clericos insectabantur, itemque in synodo rhemensi (1) an. MCXXXI, tum sanctionem illam firmavit Eugenius III in alia synodo rhemensi anno MCXLVIII (2) et Martinus V Constit. « *Ad evitanda* » (3) percussorem *notorium* clerici *vitandum* edixit. Quae quidem omnia ostendunt quam grave hoc fuerit ab Ecclesia existimatum; idque illustratur si conferantur *adiuncta historica* (4) illius temporis quo solemniter fuit ab Innocentio II editus canon.

169. Seponentes interim controversiam, utrum per recentem constitutionem « *Apostolicae Sedis* » 12 Oct. 1869 qua Pius IX censuras *a iure latas* limitavit, ius per Decretales exsistens aliqua parte idem mutaverit circa hoc privilegium canonis, ad eius naturam et amplitudinem investigandam accedimus. Constat enim generalem illam formulam « *iniicere violentas manus in clericum vel monachum suadente diabolo* » multiplicem habuisse in iure subsequenti explicationem authenticam seu extensionem ampliorem. Plura enim de eo habentur in Decretalibus in titulo XXXIX. lib. V. *De sententia excommunicationis,* tum in Sexto, tum in Clementinis uti et in allegata constitutione Martini V, aliisque ecclesiasticis sanctionibus. Ut aliquo ordine simulque breviter progrediamur haec animadvertimus:

I. Ut *violenta manuum iniectio* habetur

a) occisio, vulneratio, vinculorum iniectio, simplex detentio in custodia publica vel privata, quin et quaecunque actio externa iniuriosa et violenta in materia gravi;

b) huiusmodi actionem facere censetur etiam is qui mandat nisi retractaverit ante factam iniuriam mandatum, consulit, auxilium praebet, actionem suo nomine factam et a se ignoratam, ratam habet postquam novit;

(1) Ibid. col. 1465. n. XIII.

(2) Ibid. col. 1665; Gonzales ex errore ponit syn. Romanam, item Phillips aliiq.

(3) Coll. Conc. Hard. Tom. VIII. col. 892.

(4) Phillips, I. E. § 70. n. 7; Civiltà Cattolica, 1. serie vol. 4. pag. 35. seqq.; Berardi, Comm. in Ius Eccl. univ. in V. libr. Decret. diss. 3. c. 1; Cantù, Storia Univ. Vol. XI. pagg. 451. 461; XIII. 397. et *Gli Eretici d' Italia* I. 61. segg.

c) imo et qui ex officio tenetur impedire talem actionem et id negligit (1).

II. Ut *clericus vel monachus* habetur

a) si sermo sit de clerico, etiam qui solum tonsuram clericalem receperit, etiamsi censura aliqua sit irretitus, aut irregularis, aut aliis clericorum privilegiis sit destitutus (saltem ex iure Decretalium et tridentino) aut coniugatus modo non bigamus, simulque tonsuram et habitum clericalem deferat, iis solum qui a iure excipiuntur exclusis;

b) si sermo sit de monacho, talis censetur quilibet utriusque sexus religiosus, etiam *novitius, laicus seu conversus, tertiarius vel eremita sub regula et in communitate vivens,* uti et *religiosus ordinum militarium;* uno verbo utraque vox *extra casus exceptos* est *latissimae significationis.*

At vero

c) a iure excipiuntur: clerici *realiter de gradu deiecti,* itemque haeretici, tum clerici coniugati non deferentes habitum et tonsuram, vel qui habitu dimisso enormia patrant scelera (2); item qui habitu clericali dimisso militarem gestant vel in saeculari luxu vivunt aut histrionicam agunt, praevia tamen trina monitione. Item clericus aggressor *iniustus* excipitur, modò qui se ab eo tuetur, moderamine inculpatae tutelae id faciat et in ipso actu aggressionis, item clericus attentans mulieris pudicitiam, vel turpiter inventus cum matre, filia, uxore, sorore. Denique privilegio canonis privatur clericus homicidium omnino deliberatum committens *(Clemens XII Const. In supremo).*

III. Percussio talis esse debet ut gravem seu lethalem culpam includat. Hinc

a) non censentur excommunicationem incurrere clerici pueri sese mutuo percutientes, saltem plerumque;

b) item excusatur qui clericum capit ex mandato praelati nisi modum graviter excedat;

c) neque minus a censura immunis habetur qui clericum excommunicatum et egredi nolentem eiiciat ab ecclesia;

(1) Vide Barbosa, I. E. U. lib. I. c. 39. § 1.

(2) Unum tamen aut alterum non sufficiunt, nisi agatur de homicidio deliberato.

d) pariter si percussio ex motu procedat indeliberato aut fere, seu ut dicitur *primo,* tum si absque culpa ignoretur percussum esse clericum, aut licet quis velit clericum aliquem percutere, alium sed *fortuito* ac *praeter omnem intentionem* impetat; denique si *ad correctionem* a praelato clericus vel monachus percutiatur, nisi sit excessus in modo. Haec et alia plura his fere similia quae excogitari possunt aut a DD. singillatim proponuntur, eodem fundamento innituntur, actionem vel *per se* vel *in iis adiunctis* non esse graviter malam, quod requiritur ex formula canonis « *suadente diabolo* ».

IV. Ut autem determinetur quinam incurrant in censuram canone contentam sufficit animadvertere, *nullam personam excludi formula « si quis » modo capax sit graviter delinquendi,* adeo ut sexus, dignitas, aetas nullatenus excusent. Quin, ut dictum est (I. *b*), paullo ante, non solum qui actionem ponit sed (saltem ex iure Decretalium) qui quomodolibet efficaciter ad eam concurrit, aut ratam habet, censura irretitur.

V. Poena autem est procul dubio gravissima ex dictis, quippe censura reservatur Sedi Apostolicae. Verum multae sive communes sive alicui personae propriae adsunt caussae, ob quas *ipso iure* permittitur, ut absolutio impetretur ab inferiori potestate, episcopo scilicet vel praelato regulari quoad suos subditos. Quin eas singillatim enumeremus, sufficit generaliter animadvertere *impotentiam* sive *physicam* sive *moralem* id efficere, et impotentiam moralem seu gravissimam difficultatem multiplici ex capite oriri posse. Tum ad id revocantur ii casus in quibus levitas ipsa offensae id suadere videtur (1).

(1) Huc pertinet distinctio inter percussionem *levem, mediocrem* et *enormem*. Sensus huius distinctionis in primis est *materialis* hoc est refertur *ad malum quod infertur*. Sic *alapa* per se est levis, *avulsio dentis* censetur mediocris, *vulneratio ex qua magna copia sanguis diffluat,* aut *mutilatio* est *enormis*. At patet etiam *relative* rem esse spectandam, quia *locus, tempus,* maxime vero *persona* cui fit iniuria, eam licet per se levem gravissimam possunt efficere. Illud etiam sedulo notandum, in *qualibet percussione* semper supponi culpam lethalem ab inferente fuisse admissam, secus enim nulla censura incurritur. Quare ea distinctio pertinet ad facultatem absolvendi quae diversa est pro diversa percussionis qualitate. Fuse omnino haec uti et alia quae ad privilegium canonis pertinent, proponuntur in Ephemeride « *Acta Sanctae Sedis* » in Com. ad Const. « *Apostolicae* » Append. XVII.

170. Haec autem sufficerent ad intelligendam naturam privilegii *canonis* eiusque amplitudinem nisi haud praetermittenda quaestio hic exsurgeret: utrum ex recenti constitutione « *Apostolicae Sedis* » alias allegata qua censurae latae a iure limitantur, aliquid fuerit hac in re immutatum. Ratio dubitandi est in hoc quod inter censuras Summo Pontifici *specialiter* reservatas sub num. V. haec legitur: « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis eiicientes, *necnon ea mandantes vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium vel favorem* ».

Inter excommunicationes vero simpliciter reservatas Summo Pontifici, legitur haec sub num. II.

« Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, *exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus iure vel privilegio permittitur ut episcopus vel alius absolvat* ». Porro quaeritur utrum hic mandantes, consulentes, ratum habentes includantur, an vero solum actionem ipsam *per se* ponentes. Qui affirmant, arguunt

a) *ex scopo finali legis quae est in bonum ordinis clericalis;*

b) *ex formula legis,* nam est eadem ac canon « *Si quis* » qui tamen in iure Decretalium explicatur ut comprehendens mandantes etc.;

c) ex hoc commentario authentico Decretalium;

d) ex ipsa mente Pii IX. in Constitutione « *Apostolicae* » quae eruitur ex his verbis quae leguntur in prooemio: « decernimus ut ex quibuscumque censuris..... *nonnisi illae quas in hac ipsa Constitutione inserimus, robur exinde habeant, simul declarantes, easdem non modo veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione* etc. ». Atqui *veterum canonum auctoritas,* comprehendit nomine iniicientium violentas manus etiam mandantes, consulentes, ratum habentes. Ergo.

Qui negant hos comprehendi, arguunt et ipsi:

a) *ex scopo* Constitutionis qui est *limitatio censurarum;*

b) *ex formula* tum *in se* quae de mandantibus etc. non loquitur, tum *comparate* ad formulam censurae *specialiter reser-*

vatae, ubi mandantes consulentes etc. distincte enumerantur, unde

c) ex principio « *quando legislator voluit dicere, scivit* » concludunt: *ideo non dixit quia noluit;*

d) ex illis verbis prooemii allegatis quia ex *a*) non convenit antiqua interpretatio cum *scopo* novae constitutionis pianae.

Ex his plane diversis sententiis, haec licet concludere:

a) *ex principiis directis,* utraque sententia non caret sua probabilitate;

b) ergo lex non est *certa.*

c) Hinc *ex principio* saltem *reflexo,* dici debet immutatum esse ius Decretalium hac in re per Constitutionem « *Apostolicae Sedis* ».

§ II. *De privilegio fori.*

171. Quemadmodum ex privilegio *canonis* clericus *inviolabilis* efficitur in sua persona *physica,* ita per privilegium *fori* inviolabilis efficitur in sua persona *morali* seu *iuridica.* Privilegium enim hoc *universim* inspectum, in eo est quod caussae quaelibet clericorum a quocumque alio tribunali eximantur quod ecclesiasticum non sit. Duplici autem ratione potest de eo disseri, scilicet:

a) de privilegio generali ratione sive comparate ad *ius* sive comparate ad *factum* considerato;

b) de determinatis iuris *communis* dispositionibus circa huius privilegii exercitium, seu *de foro competenti* in caussis clericorum singillatim inspectis. Primum ad praesentem tractationem pertinet, alterum ad librum de Iudiciis remitti debet, ubi exceptiones a iure statutae recensentur.

172. Cum igitur privilegium *fori* in eo sit, ut clerici neque in civilibus neque in criminalibus caussis apud iudicem laicum possint conveniri, apparet, *iuris fundamentum* illud idem esse quo superius *immunitates clericorum* inniti ostendimus, *mediatam* saltem *divinam ordinationem.* Huc etiam faciunt textus iuris qui habentur *cap. Nullus 2 de Foro comp.; cap. Ecclesia Sanctae Mariae 10 de Const.; cap. Si iudex 12 de Sent. excomm. in 6.* ubi plures casus expenduntur. Item privilegium hoc a con-

cilio tridentino cum aliis clericorum immunitatibus generatim asseritur *Sess. XXV. cap. 20 de Ref.* Sed speciatim *Sess. XXIII. cap. 6 de Ref.* conditiones statuit concilium, ut quis fori privilegio gaudere valeat si sit dumtaxat *minoribus ordinibus initiatus*. Hinc etiam in Syllabo propos. XXXI damnatur abolitio fori ecclesiastici facta inconsulta etiam et reclamante Sede Apostolica. Denique in allegata iam Constitutione « *Apostolicae Sedis* » inter excommunicationes *specialiter* reservatas sub numeris VI–VIII inclusive, eae continentur quae puniunt huius privilegii laesionem variis modis patratam. Constat ergo *ius* huiusmodi non modo sibi Ecclesiam asserere sed quo potest efficacius tueri.

173. Si autem *factum* attenditur, hoc triplici modo potest exsistere, vel

a) ita ut civilis potestas iuxta canonicas sanctiones iura Ecclesiae intacta relinquat, et hoc hisce temporibus nullibi reperitur ; vel

b) ita ut ius commune, Ecclesia concedente, fuerit per concordata, saltem aliqua ex parte immutatum, et hoc factum fuisse pluries constat ex textu concordatorum ; vel

c) ita ut, scelere iniquissimo, prorsus fuerit externum ecclesiasticum forum violenter de medio sublatum. Ecclesia eatenus tolerante, quatenus id impedire non valet. Et hic status vix non ubique est ordinis ecclesiastici, iuribus Ecclesiae plane adversus. Porro in huiusmodi statu quaenam rerum adiuncta possint non statum ipsum honestare, sed aliquatenus excusare, diiudicari debet eodem modo ac generale principium quo innititur, *systema* videlicet *separationis,* quod in se malum, debet quandoque ut *minus malum,* sed *necessarium* tolerari. Reliqua vero spectant ad fori competentiam, atque alterius sunt loci.

§ III. *De privilegio exemptionis.*

174. Quod modo (173) de privilegio fori diximus, illud nempe si factum attendimus, in praesenti rerum conditione nullum esse, potiori ratione de privilegio *exemptionis* quod tamen aeque clericis competit, dicendum est. At hominum violentia et nequitia ius destruere nequit. De hoc igitur privilegio aliquid innuamus oportet.

175. Iamvero privilegium *exemptionis* in eo situm est, quod clerici *ratione sui ordinis et status* eximuntur tum a publicis tributis atque oneribus, sive *realia* sint sive *personalia,* tum etiam ab iis muneribus atque officiis quae a dignitate vel sanctitate clericalis status censentur aliena, atque de his in titulo insequenti, ubi de clericorum officiis agitur, distinctius dicendum erit. Ad privilegium exemptionis, commode revocatur aliud clericorum privilegium quod *competentiae* appellatur, atque in eo est quod clericus aere alieno gravatus, neque libertate privari neque iis quae ad honestam sustentationem necessaria sunt destitui possit, quamvis profecto debitum solvere teneatur, si ad meliorem fortunam deveniat. Est enim *exemptio,* licet circumscripta tum *ratione personae* tum *ratione modi.*

176. Ad privilegium *exemptionis* asserendum et explicandum pertinent ex textibus iuris, *cap. Non minus 4 de Immun. Eccles., cap. Quia nonnulli 1 eiusd. tit. in 6, cap. Clericis 3 h. t. in 6, cap. Quamquam 4 de censibus in 6* et ibi DD. Ad privilegium *competentiae* spectat notum *cap. Odoardus 3 de Solutionibus* et ibi DD.

177. Utrumque privilegium, *spectato iure,* generali nititur principio, quod fundamentum esse diximus ecclesiasticae immunitatis, divinam scilicet, mediatam saltem, ordinationem; *determinatam tamen formam* recipit ab ecclesiasticis sanctionibus. Si autem *de facto* loquimur cum nonnisi civili potestate legibus Ecclesiae obsequente, consistere possit, liquet in praesenti rerum ordine desiderari.

178. Bonum tamen est, ad Ecclesiae iura tuenda, animadvertere, in ipsis textibus iuris, quibus clericis privilegium exemptionis asseritur, rationem haberi solvendi obiectionem quae unice aliquam speciem habet, ductam ex detrimento quod ob exemptiones clericorum, societas civilis capiat necesse est. Ibi enim dicitur, clericos, quamvis a publicis tributis solvendis *iure sui status* immunes, ex aequitate teneri si id opus sit ad opem societati ferendam bonis suis *si ad id laicorum non suppetunt facultates (cap. Non minus 4 de Immunit. eccles.).* Quare difficultas illa plene solvitur, tum

a) eo quod *legitima* privilegia nihil in se habeant quod societati recte constitutae adversetur, tum

b) eo quod *facto* ipso constat Ecclesiam non denegando sed ultro largiendo bona sua, hanc sinceram erga civilem societatem voluntatem semper manifestasse. Verum

c) si intimius rem considerare quis velit, videbit propositam difficultatem, non modo plene solvi sed optime posse in obiicientes retorqueri. Bona enim ecclesiastica, sunt *vere* ac maxime proprio sensu *bona pauperum*, adeo ut iis detractis quae ad *decentem statum pro dignitatis gradu* requiruntur aut *ad officia quaedam iure ipso naturae fundata adimplenda*, erga parentes etc., reliqua sint in pios usus *ac in primis in pauperes eroganda*. Hinc privilegium exemptionis dum Ecclesiae bona conservat et auget, magis societatis ipsius, qua parte egentior est, utilitatem ac emolumentum procurat quam clericorum. Quod si legum ecclesiasticarum obliti clerici aliter faciant, praeterquamquod gravi se culpa obstringunt, haud raro Deus iuste permittit ut sacrilegis direptionibus violatae legis poenas exsolvant.

§ IV. *De amissione privilegiorum clericalium.*

179. Ad absolvendam tractationem de clericorum communibus privilegiis, unum superest, ut de illorum amissione breviter disseratur. Quamvis enim agentes de privilegio canonis, quae exceptiones in iis qui eo gaudent habeantur ediximus, opus tamen est ecclesiasticas leges quae amissionem aliorum etiam clericalium privilegiorum attingunt hic summatim colligere. Accedit recentes adesse Sedis Apostolicae decisiones, quae siquidem *universales* forent, antiquum ius hac in re non leviter immutarent: at quid de his, nostra sententia, sit existimandum planum fiet.

180. Ut ab iis ordiamur quae magis definita sunt, constat in primis concilium tridentinum cit. cap. 6 sess. XXIII. de Ref. accurate recensuisse conditiones respicientes clericos *qui tonsuram aut minores ordines habent,* quibus non servatis, *privilegium* fori ab iis amittitur. Eae autem sunt :

a) habere beneficium ecclesiasticum, *vel*

b) cum habitu et tonsura alicui ecclesiae *ex mandato* episcopi inservire ; *vel*

c) degere in seminario aut in aliqua schola vel universitate *de licentia episcopi*, quasi *in via ad maiores ordines suscipiendos*. Haec tria non *copulative* sed *distributive* requiruntur.

d) Si vero clerici sint coniugati, *copulative* requiritur ut *uni* et *virgini* nupserint, ut incedant in habitu et tonsura, ut ecclesiae alicuius servitio sint *ab episcopo* deputati, et in ea ministrent. Mandatum tamen episcopi non videtur *substantiam rei* afficere, sed satis est si alicui ecclesiae *actu* inserviant;

e) quin imo si dimittant habitum, crimen tum admittant eoque patrato habitum resumant, retinent privilegium fori.

Haec tamen respiciunt dumtaxat clericos qui non sunt *in sacris* constituti; hi enim nonnisi post *degradationem* (nisi aliquid peculiare in concordatis concessum fuerit) *saeculari brachio* traduntur.

De caussis vero amittendi privilegium canonis superius (169. II. *c*) dictum est.

181. Quod attinet ad privilegium exemptionis, eo non gaudent clerici coniugati etiam non bigami, uti et privilegio competentiae destituuntur, ac solis fruuntur privilegiis canonis et fori. Insuper privilegio competentiae non fruuntur qui non sunt vel beneficiati vel in sacris ordinibus constituti. Et hi quoque eo privantur si vel debitum mendaces negaverint, vel dolo malo ad eum statum inopiae devenerint.

182. Haec generatim de privilegiorum clericalium amissione ex iure Decretalium et tridentino. Ex quibus infertur:

a) ea privilegia non ita esse invicem nexa ut uno amisso cetera simul amittantur;

b) omnia recensita privilegia iure a nobis fuisse ad *immunitatem* revocata. Clericus enim *per privilegium canonis* a qualibet iniuria eius personae illata immunis constituitur, habet scilicet *inviolabilitatem physicam personalem*. Item per *privilegium fori inviolabilitatem* habet *iuridicam*. Denique per *privilegium exemptionis et competentiae*, clerico asseritur *inviolabilitas* propemodum *oeconomica*. Haec autem omnia clericis *intuitu personae* competunt adeoque iure ad *personalia* privilegia revocantur.

183. At vero, *saltem quoad clericos qui non sunt in sacris ordinibus constituti*, pleraque quae diximus prorsus aliter se

haberent, siquidem ea quae S. Congregatio Immunitatis die 20 Sept. 1860 iussu Summi Pontificis Pii IX statuit, haberi debeant tamquam *lex pro Ecclesia universa*. Iis enim litteris, *italica lingua conscriptis ad Ordinarios ditionis pontificiae edictum est: clericos in minoribus constitutos sive coniugati sive coelibes sint, semel ac conditiones non servant a concilio tridentino cap. 6 sess. XXIII. de Ref. statutas pro privilegio fori, ipso facto absque ulla praevia monitione omnia privilegia clericorum amittere* (1). At omnibus perspectis, haud ostendi potest hanc legem universalem esse et antiquum ius immutasse. Ceterum ius antiquum maneret pro clericis *in sacris* constitutis. Verum diximus *excepta ditione pontificia* eam legem universam Ecclesiam non respicere; neque enim concipi potest in hac hypothesi, ad Ordinarios illius regionis dumtaxat missam fuisse.

184. Denique et illud notandum omnino est; privilegia clericalia cum sint *in bonum status clericalis,* arbitraria renunciatione abiudicari non posse. Quamvis enim quandoque amittantur sive *ex delicto* vel *ex iuris dispositione* vel *iudicis sententia,* sive *ex defectu* ob non servatas conditiones, numquam tamen amitti possunt ex clerici ipsiusmet abdicatione.

TITULUS III.

De communibus clericorum officiis.

185. Pronum est hunc titulum cum superiore eo nexu coniungi quo cum iuribus officia copulantur. Cum enim ex hactenus dictis peculiaria prorsus sint clericis omnibus *iura ac privilegia,* queis laicis praestant, mirum non est maiora eis quoque officia adimplenda praescribi.

186. At ad modum disserendi notandum est, de officiis status clericalis, licet ad alium scopum scilicet *ad moralem obligationem* quod spectat, agi in morali theologia in tractatu « *De statibus particularibus* » tum in ipsa ascesi sacerdotali prout regulas tradit ut quo magis fieri potest perfecte adimpleantur. Uterque scopus alius plane est ab eo qui nobis proponitur in

(1) Acta S. Sedis Vol. III. pag. 433.

iure ecclesiastico, quod, ut alias diximus (45. 5), *leges ecclesiasticas respicit prout sunt media socialia obligatorio modo proposita et sua sanctione munita.* Hoc modo igitur de clericorum officiis *communibus* loquimur, proindeque nihil hic de iis quae ad peculiares classes clericorum pertinent, dicendum est.

187. Ad perspicuitatem simul ac brevitatem, maxime confert apta rerum dicendarum partitio. Officia igitur clericorum, *pro ea ratione qua a nobis spectantur,* in duas *generalissimas classes* dividimus. *Prima* ea complectitur, quae spectant ad *externum corporis cultum. Altera* ea complectitur, quae spectant ad *externam vitae rationem.* Sed in singulis sua quoque membra distinguenda erunt.

188. Generale principium, quo veluti fundamento tota haec innititur tractatio, exhibetur his verbis concilii tridentini *Sess. XXII, c. 1 de Ref.* « *Nihil est quod alios magis ad pietatem et Dei* « *cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui* « *se divino ministerio dedicarunt* ». Generali hoc principio statuto, concilium, *a*) potissima clericorum officia legesque de iis in ecclesiastico iure iam exsistentes recenset easque non modo innovat, sed iis *maius adhuc robur* adiungit; tum *b*) consuetudines quascumque iis legibus adversas penitus reprobat ac nullas edicit; quibus indoles tridentini decreti et eius nexus cum antiquo iure, quod intactum, *ad rei substantiam quod spectat,* vigere supponit, luculentissime dignoscuntur.

189. Iam ad *primam* officiorum classem devenientes, quae *externum corporis cultum* pertingunt, ad ea spectant sive *lex tonsurae* sive lex *deferendi vestem clericalem.*

Nihil de clericali tonsura in praesens data opera dicimus cum alterius sit loci, sed satis ad rem nostram est, eam spectare ut *signum clericalis initiationis ab Ecclesiae lege determinatum,* quodque in ea corona consistit capillis nudata, quam in summo capitis vertice quotquot clerici sunt deferre consueverunt. Quid vero nomine veniat *vestium clericalium* satis patet.

190. Iam si in primis *leges* spectentur, quas hac de re Ecclesia statuit, eae ad haec potissima capita commode revocantur:

I. Si de antiquis loquamur Ecclesiae praescriptionibus (1)

(1) *Clem.* « *Quoniam* » 2. *de vita et hon. Cleric. coll. conc. Trid. Sess. XIV. cap. 6 de Ref.*

quas a concilio tridentino innovatas quin et maiori robore munitas fuisse constat, eae non tam *ex vi verborum* quam *ex principiis* quae inculcant intelligendae sunt. Duplex autem est principium :

a) ut habitu sibi proprio clerici a laicis discriminentur ;

b) ut etiam in eo quo uti debent, illud devitent quod graviter status sui decorem offendat.

II. Ex quibus principiis iure infertur :

a) *seclusa necessitate* quae *multiplici ex capite oriri potest,* haud licere clericis laicorum habitu omnino uti ;

b) quod vero pertinet ad quasdam partes, ex. gr. pileum, calceamenta etc., id ex varia locorum consuetudine, et maxime ex legibus synodalibus vigentibus, esse iudicandum, ita tamen ut quo magis clericorum habitus a laicorum habitu distat eo sacris canonibus sit congruentior, tum etiam ut in eo ratio clericalis decoris habeatur ;

c) ea quae de clericali veste dicuntur a concilio tridentino, ut monet Giraldi, generalia esse, nec proprie ad *talarem vestem* esse referenda, quin imo et hac in re, rigorem sixtinae Constitutionis « *Cum Sacrosanctum* » *9 Ian. 1588* haud vim retinuisse (1) :

d) nihil tamen vetat, ut addit idem Giraldi, quominus episcopi etiam usum *talaris vestis* praecipere possint, licet pro diversa adiunctorum ratione, magis vel minus, et saltem in eucharistici Sacrificii aliorumque divinorum officiorum celebratione (2).

e) Item a clericis *tonsura clericalis* est iuxta sacrorum canonum praescriptum deferenda.

191. Cum de tonsura loquamur, sin minus ratione materiae saltem rerum connexarum occasione, iuvat hic breviter colligere quod de usu *comae fictae* pro clericis in lege ecclesiastica cautum est. Itaque

a) delatio eius *extra missam* generatim est prohibita , nec sine episcopi licentia et iusta caussa permittitur;

b) ut autem quis eam *etiam in missae celebratione* deferre

(1) *Op. cit. P. II. sect. 48. nota I. § Rursum.*

(2) *Ib. nota II.* Hic maxime attendendae sunt leges synodales.

possit, omnino necesse est ut a Summo Pontifice facultatem impetret, qui *unus* et solummodo ex urgenti caussa eam concedit (1).

192. Comam autem nutrire clerici vetantur (2) et *in praesenti latinae Ecclesiae disciplina* barbam etiam gestare, quod item novis sanctionibus Sedes Apostolica confirmavit (3). Generatim is externus corporis cultus clericis commendatur, praeter leges superius recensitas, qui eorum statui apprime respondeat (4).

193. Si vero *sanctiones* quibus hae leges communiuntur attendimus, eae tum in corpore iuris, tum in concilio tridentino, tum in pluribus subsequentium Pontificum constitutionibus reperiuntur. Etenim

I. Clemens V in concilio viennensi *(Clem. Quoniam de vit. et hon. cler.)* statuit

a) ut beneficiati ipso facto suspensionem per sex menses a perceptione fructuum suorum beneficiorum incurrant;

b) non beneficiati sed in sacris constituti citra sacerdotium, per idem spatium inhabiles ad obtinenda beneficia reddantur;

c) habentes dignitatem, personatum aut beneficium curatum in suspensionem a perceptione fructuum per annum incidant;

d) religiosi vero et sacerdotes item *per annum* inhabiles ad beneficia obtinenda reddantur.

II. Concilium tridentinum *(Sess. XXIV. c. 6 de Ref.) innovavit et ampliavit* praedictam Clementis V constitutionem, quatenus insuper praecepit ut *omnes* sive in *sacris* constituti sive obtinentes personatus, officia aut beneficia qualiacumque, si post monitum etiam per edictum publicum non pareant, suspensionem incurrant ab ordine, officio, beneficio et fructibus ac redditibus ipsorum, si vero semel correpti denuo deliquerint etiam per privationem coerceri *possint et debeant*. Quae verba ostendunt, poenam esse *ferendae sententiae*.

(1) *S. R. C. 31 Ianuarii et 14 Aprilis 1626; Benedictus XIV. Institutione nonagesima sexta.*

(2) Cap. *Clericus 5 de Vit. et honest. cler., et ibi Giraldi, op. cit. Par. 1. sect. 314.*

(3) Ex litteris Nuntii Apostolici in Regno Bavariae 4 Maii 1863 ad Archiepiscopum Monachiensem *(Aichner, op. cit.* § *71. not. 3).*

(4) *Conc. Trid. Sect. XIV. cap. 6 de Ref.;* cf. Barbosa, *Iur. Eccl. univ. lib. I. c. 40. nn. 2-38 inclus.*

III. Xistus vero V duplici constitutione (1) altera quae incipit « *Cum Sacrosanctum* » 9 Ian. 1588, altera « *Apostolicae* » 31 eiusdem mensis et anni, de hac re leges acriores tulit; statuens, ut clerici non incedentes in veste talari et tonsura, privationem ipso facto incurrerent beneficiorum quae obtinerent. Verum in secunda ex citatis constitutionibus, quosdam excepit ab huiusmodi lege. Huc etiam pertinet constitutio Benedicti XIII quae incipit « *Apostolicae Ecclesiae regimini* » 2 Maii 1725. Sed ex communi sententia, ad has poenas incurrendas, requiritur saltem *sententia declaratoria criminis.* Quid vero statuerit Summus Pontifex Pius IX circa privationem privilegiorum clericalium, superius (183) dictum est. Denique, habentur hac de re, pro diversa locorum ratione, leges synodales quae debent in singulis dioecesibus accurate servari (2).

194. Dimissa hac prima officiorum classe, iam deveniendum est ad secundam eamque potissimam proponendam, quae *externam vitae rationem,* quam clerici praeseferre debent, ut diximus, respicit. In more est, haec secundae classis officia dividere in *positiva* et *negativa;* quatenus vel aliquid faciendum, vel aliquid omittendum praecipiunt. Verum, pro ea ratione qua in iure canonico spectari debent, *prout scilicet sunt sua sanctione munita* (45. 5), vix aliquid de positivis dici potest, nisi hac generali formula: *virtutes esse sectandas convenientes statui clericorum;* adeoque de negativis dumtaxat nobis loquendum superest. Haec autem, ad maiorem tractationis perspicuitatem, tripliciter hic dividi possunt: 1) quae morum honestatem, seu directe, seu secundario respiciunt; 2) quae ad decorem status clericalis pertinent; 3) quae ad occupationes a statu clericali alienas referuntur.

195. Primum igitur, quod clericis praecipitur, ad vitae honestatem servandam, est ut devitent cohabitationem et consuetudinem cum personis alterius sexus, nisi sint exceptae a iure, vel legitima consuetudine. In qua lege, quae positivam castitatis virtutem supponit, delinqui potest:

(1) *Guerra, Epitome Const. Pont. T. III. pag. 45. col. 1. n. 13; pag. 46. n. 17.*

(2) Vide *Acta S. Sedis Vol. 4. pagg. 394. seqq.; Lucidi, De Visit. SS. Lim. ed. tert. Rom. 1883. Tom. I. pag. 492.*

a) per verum initum coniugium;

b) per proprii nominis concubinatum;

c) per morum notoriam corruptionem;

d) per gravem eiusdem suspicionem;

e) per simplicem violationem legum quas Ecclesia hac de re statuit.

Porro sicut non eadem est in his delinquendi ratio, ita neque eadem est, qua mulctatur, poena. Omittimus coniugium proprie dictum, a quo quotquot maioribus ordinibus initiantur, lege ecclesiastici caelibatus arcentur. De hac enim inferius dicendum est.

196. Ad clericos cuiusvis gradus *concubinarios*, pertinent quae habet tridentina Synodus *Sessione XXV. cap. 14 de Ref.* Quae vero leguntur *Sessione XXI. cap. 6 de Ref.* nominatim pertinent ad parochos seu beneficiatos animarum curam habentes. Utraqua tamen tridentina sanctio ita concubinatum proprii nominis plectit, ut notoriam etiam morum corruptionem attingat. Legis autem tridentinae summa haec est, ut clerici vel concubinarii, vel notorie moribus corrupti, si post ibi statutas monitiones non resipiscant, tum suspensionem ab officiis et beneficiis maiorem vel minorem, tum etiam eorumdem privationem incurrant, aliisque etiam poenis episcoporum arbitrio puniri debeant. Si autem agatur solum de gravi suspicione quoad mores, tunc ad eam avertendam potest episcopus *alicui clerico* consortium etiam inhibere earum mulierum, quae in iure a prohibito consortio sunt exceptae. Quod si id renuat clericus exsequi, iam locus dabitur poenis a sacris canonibus statutis irrogandis. Denique, si habeatur solum violatio legis ecclesiasticae, quin ulla exsistat mali suspicio, episcopo competit, prout par est, providere, poenis eius arbitrio relictis, et quoad hoc leges synodales maxime servandae sunt. At simul illud attendendum, saepe contingere, ut *illud quod non est licitum in lege, necessitas faciat licitum (Cap. 4 de RR. I.).*

197. Diximus autem, non omnem cohabitationem mulierum clericis vetitam esse, sed quasdam esse personas *a iure* vel *consuetudine* exceptas. Hae autem sunt:

a) *ratione proximae cognationis,* mulieres cum clerico consanguineae, in linea recta ascendente vel descendente sine limite;

in linea vero transversali, usque ad secundum gradum inclusive; idemque tenetur quoad affines;

b) *ratione necessitatis,* mulieres, famulatus causa, in domibus clericorum manentes; quae tamen omni suspicione vacare debent. Hinc et provectioris aetatis esse eas oportet, et episcopo ius semper est, si velit, de iis inquirere, priusquam admittantur;

c) item ex universali consuetudine concessum est, clericos qui extra paternam domum vivunt, sive studiorum, sive alia honesta caussa, posse apud extraneam familiam, quae tamen honesta sit, sedem habere; salvo semper praedicto iure episcopi;

d) *ratione connexorum,* permittuntur etiam cohabitare clericis mulieres pedissequae consanguinearum, vel affinium in gradibus permissis, itemque uxores famulorum. At semper illud retinendum, si quae ex his legitime suspectae sint, nullum ex titulis recensitis amplius vim habere. Episcopos autem magis decet nullam habere secum mulierem; si tamen eas quae ceteroquin permittuntur secum velint retinere, maiori adhuc cautione id agere eis opus est (1).

198. Ad facilius vitae continentiam, prout clericalem statum decet, sectandam, clericis praescribitur, ut a crapula, ebrietate, comessationibus abstineant (2). Ad vitandum autem ebrietatis periculum, aliosque abusus auferendos, lege ecclesiastica statuitur, ut clerici tabernas, nisi forte ex necessitate itineris caussa, non ingrediantur (3). Quae porro leges, tum in conciliis provincialibus, tum in synodis dioecesanis, ad haec usque tempora, passim inculcatae reperiuntur.

199. Huc etiam faciunt leges ecclesiasticae quibus convivia, quae nimios requirant sumptus, et comessationes in domibus

(1) *Can. Interdixit 16. d. 32.* (Conc. Nic. I.) *coll. Gonzales in cap. 1 de Cohab. n. 14; Berardi, op. cit. in can. 16. d. 32; cap. Inhibendum 1 de Cohabit. cler. et cap. A nobis eod. tit. Cf. Giraldi, Exp. Iuris Pont. Part. I. sect. 328; Ben. XIV. de Syn. lib. XI. c. 4. §§ 4-8. et Institt. 82. et 83. Item DD. ad tit. II. lib. III Decret.*

(2) *Concilium Tridentinum Sessione XXIV. cap. 1 de Ref.; Sess. XXIII. cap. 1 de Ref.; cap. A crapula 14. de Vit. et hon. cleric.*

(3) *Can. Ap. 53; Hefele Conciliengesch. I. p. 791; II. pag. 54; Can. 2. dist. 44; cap. Clerici 15. de Vit. et hon. cleric.; Concilium Tridentinum Sessione XXIV. cap. 12 de Ref.*

privatis, clericis generatim prohibentur (1). Plura tamen quoad haec, pendent ex varia locorum consuetudine, et legibus particularibus ab episcopis statutis.

200. Ad eamdem etiam morum honestatem, quamvis indirecte tuendam, leges recenseri possunt, quibus clericis alearum et taxillorum lusus prohibetur; quo nomine, iuxta doctores, omnes illi lusus comprehenduntur, qui potius fortuna, quam arte innituntur (2). Item prohibentur clerici venationem exercere, nisi forte secluso scandalo, et servato modo qui clericos decet (3); quamvis spectata indole ecclesiasticae legis hoc potius cuidam indulgentiae tribuendum sit, et venatio omnino clericis prohiberi possit (4).

201. Profana etiam oblectamenta, generatim clericis prohibentur uti interesse spectaculis (in publicis theatris) vel choreis, aut licentiis bacchanalium, multo vero magis partem aliquam in iisdem habere (5).

202. Alia vero sunt quae clericis interdicuntur habita ratione illius decoris qui statui clericali omnino convenit. Hinc leges ecclesiasticae clericis vetant viliores quasdam artes exercere ex. gr. cauponis, lanionis etc. quae statum clericalem maxime dedecent *(Clem. Dioecesanis 1 de vit. et hon. cleric.)*. Quod vero animadvertit Vecchiotti (6) comprehendi quoque artem *aromatariam*

(1) *Can. Comessationes 1. dist. 44; Can. Convivia 6. dist. eadem.*

(2) *Cap. Clerici de Vit. et hon. cler.;* Giraldi, *Exp. Iur. Pont. P. I. sect. 324;* Ben. XIV. *De Syn. lib. X. c. 2. n. 2;* Thesaurus *De Poenis, v.* Ludus *etc.*

(3) Huc spectat vulgata distinctio inter venationem *clamorosam* et *quietam. Glossa in cap. 1. de Cler. ven.; Can. 1. d. 34; Can. 11. d. 86, Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de Ref.*

(4) Ita censuit etiam *S. C. C. in Casertana 16 Dec. 1854.* (ap. Vecchiotti, op. cit. lib. II. c. 11. § 109). Item *Conc. Mediolan. I.* (Acta Eccl. Mediol. P. I. pag. 19); *Conc. Prov. Avenion. in Gallia ann. 1849;* Cf. Ben. XIV. *De Syn. lib. XI. c. 10. n. 10;* Barbosa, *l. c. nn. 39 seqq.;* Ferraris, *Bibl. v. Clericus, artt. 1. 4. 5.*

(5) *Conc. Trid. Sess. XXII. c. 1. de Ref.;* Ben. XIV., *De Syn. lib. XI. c. 10. nn. 11. seqq.;* Ferraris, *Bibl. v. Clericus, a. 4. nn. 16. seqq. coll. supplem. nn. 22. sqq. in edit. Ven. 1782. pagg. 326. sqq.;* Reiffenst., *in tit. de Vita et hon. n. 141;* Ben. XIV. *Const. Inter cetera 1 Ian. 1748.*

(6) *Op. cit. lib. 2. c. 11. § 109. 6o. Cf. Clem. XII. Const. Alias 20 Iu-*

et *apothecariam* non ita debet intelligi, ac si ars huiusmodi sordida et vilis censenda esset, hoc enim nimis falsum est; sed ex positiva lege illicitum est, regularibus nominatim, eam exercere nisi speciali habita facultate. Verum hoc potius pertinet ad negotiationem.

203. Quae vero in legibus ecclesiasticis continentur de medicina et chirurgia, potissimum ubi adustio vel incisio membrorum adhibetur, huc quoque revocari debent (1). Item prohibentur clerici ne famulatum suscipiant laicorum ubi obsequiis abiectisque servitiis sese addicere coguntur, licet quandoque honestiore titulo huiusmodi servitii genus obtegatur (2).

204. Neque minus clericis prohibetur armorum delatio nisi iusta caussa excusentur. Haec porro lex uti et ea quae venationem respicit, eodem nititur fundamento, decentia scilicet status clericalis. Inter autem iustas caussas in primis casus necessitatis continetur (3). Quemadmodum et armorum delatio, ita clericis non licet in acie dimicare nisi bellum sit defensivum, et laici pares non sint hosti repellendo (4).

205. Denique ad vitam et honestatem clericorum magis tuendam leges pertinent latae ab Ecclesia, quibus quaedam actiones clericis interdicuntur, eo quod nimis sint alienae ab ea vivendi ratione quae ipsorum est propria. Huc pertinent leges 1) de officiis politicis; 2) de officiis civilibus; 3) de negotiatione. De singulis potissima saltem hic innuenda sunt.

lii 1733; Bened. XIV., *Const. « Essendo Noi » 14 Nov. 1740;* Schmalzgr., *ad tit. Ne Clerici n. 21;* Theophilus Raynaudus, *Relig. negot.* § *8.*

(1) Vide Ben. XIV, *de Syn. Dioeces. lib. XIII. cap. 10. n. 2; cap. Tua nos 19 De homic. coll. Barbosa in Collectan. et Gonzalez Tellez Comm. in h. l.;* Passerini, *De statibus Hominum, quaest. 187. a. 2. n. 260 seqq.*

(2) *Clem. XIII. Const. Cum primum 17 Sept. 1759. S. C. EE. et RR. apud* Ferraris, *v. Clericus a. 3. n. 63.*

(3) *Cap. Clerici 1. de Vit. et hon. cler.,* ibiq. Gonzalez in Comment.; *Clem. 1. eod.;* Fagnanus, *in cap. Ecclesia de Const. n. 24 seqq.;* Barbosa, I. E. U. lib. 1. c. 40. n. 137. a quo plures alii allegantur AA.; Thesaurus, *De poenis etc. v. Arma, c. 9 fin., cf. Giraldi, Expos. Iur. Pont. Par. I. sect. 311;* a quo Constitutiones allegantur hac de re, Pii IV, S. Pii V, Alex. VIII, Clem. XI, Clem. XII, Ben. XIV.

(4) *Cap. 24. de Homic., ibiq. Gonzalez, cap. 9 de Voto,* § *De Clericis, Cann. 6. et seqq. cau. 23. q. 8. cf. S. Thom. 2-2. q. 40. a. 2. ad 2; Arg. Clem. Si furiosus de Homic., Ben. XIV. De Syn. lib. II. c. 10.*

a) Officia politica ea dicuntur quae ad *reipublicae regimen spectant.* Ea autem suscipere clericis nefas est ex sacris canonibus *(Cap. 4 et 5. Iubemus, Ne clerici vel monachi).* Excipiuntur tamen dignitates senatoris vel consiliarii principis. Ratio est, quia consilium dare ad rempublicam recte sancteque administrandam, officio clericali congruit potius, quam repugnat. Tum etiam quia Ecclesiae bono id confert (Clem. VIII Const. *Securitati* 9 Aug. 1603, et Urbani VIII Const. *S. Synodus* 12 Dec. 1634 § X). Quae tamen ea sub lege intelligenda sunt ut a ferendo consilio in iudiciis sanguinis clerici abstineant. Haec data proportione applicantur iis e clero qui in nonnullis Europae regionibus publicis legislativis comitiis intersunt.

b) Officia civilia ea dicuntur quae ad laicale forum, et ad saecularem administrationem pertinent, et publice deferuntur, ac publico modo exercentur. Regula generalis porro est ea clericis esse vetita, ex generali principio (II. Timoth. II. 4) quod nimium iis clerici a sui status officiis avocentur. Sunt tamen quaedam hac in re clericis a iure permissa de quibus singillatim agunt DD. (1). Ad huiusmodi officia civilia munus revocatur: ***procuratoris*** seu ***advocati*** (in foro scilicet laicali), ***tabellionis, tutoris*** seu ***curatoris,*** de quibus sive quod pertinet ad ea quae permittuntur, sive quod spectat ad poenas in iure statutas contra delinquentes videantur DD. (2).

206. Officiis politicis ac civilibus succedunt quaedam studia, quae cum saeculares curas nimium ingerant, clericis plus minusve interdicuntur (3).

207. Paullo distinctius ultimo loco agendum est de ea ecclesiastica lege qua negotiatio clericis interdicitur. Supponimus

(1) Cf. nominatim *Schmalzgr. ad tit. Ne clerici* (III. 50) § 2; Ferraris, *Bibl. v. Clericus art. III. n. 59. seqq.;* Zallinger *ad tit. Ne clerici,* qui breviter et dilucide hanc materiam complectitur.

(2) *Cap. 2. et 8. Ne clerici;* Gonzalez, *ad capp. 1. et 3. de Postulando n. 8;* Fagnan., *in dict. cap. n. 3. seqq.;* Giraldi, *op. cit. par. II. sect. 73. in append.; Can. Generaliter cau. 16. q. 1.* (Leo Aug. Leg. 52. Cod. de Episcopis et Clericis); Antonelli, *De Iur. et oner. lib. I. p. 2. c. 25.* et generatim DD., *ad tit. 50. lib. III. Decret.*

(3) De medicina et chirurgia etiam absque incisione et adustione iam diximus (203). Studium vero Iuris civilis ex consuetudine modo clericis permitti notat Maschat (ad lib. III. tit. 50. n. 7) etiam in publicis scholis.

autem negotiationis originem esse a necessitate plura sibi comparandi ad vitam quae singulis omnia praesto non sunt: hinc primam negotiationis rationem fuisse in ipsa *rerum permutatione;* dein rebus substitutam *fuisse pecuniam* ut *repraesentantem earum valorem.* Iam

1. Ut intelligatur quaenam sit clericis interdicta negotiatio, variae eiusdem species distinguendae sunt. Porro alia est *negotiatio oeconomica* quae consistit in iis emendis quae necessaria sunt, aut quae superflua sunt vendendis, atque insuper in suis praediis ac gregibus curandis, aut locandis. In hac non intenditur tamquam finis ipsum lucrum, sed rei familiaris, ad propriae vitae commodam sustentationem, recta administratio. Est vero alia negotiationis species quae dicitur *lucrativa,* quatenus ideo suscipitur ut exinde lucrum percipiatur, ita ut lucrum sit *finis* negotiationis. Haec negotiatio lucrativa iterum distinguitur in *artificialem* et *quaestuosam.* Artificialis, alicuius artis exercitio circa rem ipsam adhibito, eamdem rem immutat aliquo modo; quaestuosa *rerum aliunde coemptarum commercio, nullo circa eas intercedente artificio, quo immutentur, ad lucrum captandum exercetur* (1). Ad hanc tamen negotiationis speciem, scilicet quaestuosam, ea iure revocatur, qua res quidem quae venditur immutatur per aliquod artificium, *sed non propria opera, verum aliena,* uti etiam si negotiatio circa ipsam pecuniam exerceatur.

2. Hisce positis duae primum praemittendae sunt communes et generales regulae, nimirum:

I. Quae negotiatio clericis ex se illicita est, ea quidem neque per alios a clericis potest exerceri (*Ben. XIV Const. « Apostolicae servitutis »* de qua inferius).

II. Legibus quae negotiationem clericis interdicunt, generatim omnes clerici obstringuntur, potissimum *si principia quibus lex innititur* considerentur, licet facilius ratio excusans admitti possit, pro iis qui beneficio aucti non sunt ecclesiastico et in

(1) Haec si velimus accuratissime loqui, *vera negotiatio* unice est. Eam S. Alphonsus de Ligorio (lib. III. n. 831) in sua Morali Theologia definit: «*actum quo quis rem sibi comparat eo animo ut integram et non mutatam carius vendendo vel permutando lucretur*».

minoribus ordinibus sunt constituti. Ita putamus apte componi legis indolem cum sententiis Doctorum.

3. Iam devenientes ad singulas recensitas negotiationis species, generatim dici potest, negotiationem oeconomicam clericis esse permissam. Quod satis ex eo patet, quod ut diximus negotiatio oeconomica ad rectam rei familiaris administrationem pertinet. Item de negotiatione artificiali, generalis regula tenenda est, eam pariter licere clericis ad subveniendum vitae necessitatibus (hoc dicitur ad excludendam turpis lucri cupiditatem), dummodo nihil in se habeat quod a clericali officio et dignitate abhorreat. Constat enim et ipsos Apostolos labore manuum suarum vitam sustentasse. Si quod igitur in utraque hac negotiationis specie malum reperitur, hoc erit non ex actionis ipsius natura, sed ex hominum vitio repetendum.

4. Negotiatio vero quaestuosa, quippe quae lucrum omnino intendit, clericis prorsus interdicitur, cum nimium aliena sit a status clericalis ratione ac dignitate. Nec refert utrum eam clericus per se vel per alios exerceat. Id declaravit ut mox dicemus Benedictus XIV.

5. Iuverit autem ad recte intelligendam indolem ecclesiasticae disciplinae quoad hanc materiam, tum praecipuas recensere leges hac de re latas, tum earum pro diversis casibus factas authenticas declarationes innuere. Porro

6. Plures hac de re textus canonici reperiuntur tum in Decretalibus, tum in ipso Gratiani decreto, qui passim a doctoribus allegantur (1) quique negotiationes clericis prohibent sub excommunicationis poena. Unde inferunt, cum ad eam incurrendam mortale crimen requiratur et contumacia, eam non incurri si aut parvitas materiae, aut ratio necessitatis clericum excuset.

7. Concilium vero tridentinum *(Sess. XXII. cap. 1 de Ref.)* inter alias quae clericis illicita dicit, id quoque complectitur quod ad *saecularia negotia* pertinet, antiquos canones hac in re iisdem poenis vel maioribus arbitrio Ordinarii imponendis innovans.

8. Quae vero Romani Pontifices in suis Constitutionibus circa negotiationem clericis prohibitam sancita voluerunt, complexi

(1) *Can. Consequens 2. distinct. 88; Can. Negotiatorem 9. dist. eadem; Can. Fornicari 10. eod.; Cap. fin. de Vit. et honest. cleric.*

sunt ea simul confirmando tum Benedictus XIV *Const. Apostolicae servitutis* 25 Feb. 1741, tum Clemens XIII *Const. Cum primum* 17 Sept. 1759. Quarum constitutionum brevem summam exhibet Lucidi *(De visit. Sacr. liminum vol. 1, pag. 520, ed. 1883).*

9. Itaque Benedictus XIV confirmatis omnibus a Summis Pontificibus statutis poenis contra clericos negotiatores, easdem poenas extendit etiam ad clericos qui negotiationem sub alieno nomine exerceant, perinde ac si per se et proprio eorum nomine exercerent. Ubi notandum est, hac constitutione Benedictum XIV finem imposuisse controversiae quae prius erat inter doctores circa hanc materiam, ut patet ex iis quae habet Schmalzgrueber, *in tit. Ne clerici etc. § 1, nn. 23–26.* Praeterea decernit ut omnia et singula bona quae alieno nomine, ut modo dictum est, ab iisdem acquisita fuerint, *spolio* subiiciantur. Denique ut negotia per laicos prius inchoata, et ad ipsos clericos legitima ex caussa delata, continuari nequeant, sub iisdem poenis, nisi urgente necessitate, et habita facultate a S. C. Concilii, aut extra Italiam ab Ordinario, eaque ad tempus; ita tamen ut per interpositam personam agantur. Clemens vero XIII praeter haec definit *cambium activum* esse actum verae ac propriae negotiationis, ideoque clericis sive suo, sive alieno nomine prohibitum. Statuit insuper formam et conditiones quibus dispensationes temporariae ut dictum est concedi debeant, ita ut, cessante caussa, *ipso iure* cessent. Denique statuit et illud, si aliquod occurrat dubium circa quemlibet actum negotiationis, recurrendum esse pro resolutione ad Apostolicam Sedem.

10. Huc quoque referri possunt quae determinata ratione prius statuerant tum Urbanus VIII *Brevi* 22 Feb. 1633, tum Clemens IX *Const. Sollicitudo pastoralis officii* 17 Ianuar. 1669, quoad omnes et singulas personas ecclesiasticas tam saeculares quam regulares in Africa et America degentes sive missionibus occupatas, sive non, ne scilicet quovis praetextu et caussa et occasione vel per se, vel per alios, negotiationibus immisceantur; quas Constitutiones adhuc vigere recentissime declaratum est litteris circularibus Sac. Cong. de Propaganda Fide 4 Decem. 1872. Porro ibi poena statuta est censura latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservata.

Huiusmodi leges pluries occasione data pro variis rerum adiunctis interpretata est S. Congregatio Concilii, cuius resolutiones praecipue referuntur tum a Ferraris *(Bibl. v. Clericus Art. III)* tum recentius a Lucidi *(Op. cit. ed. tert. Rom. 1883. Tom. I. pag. 521 sqq.)*. Principia earum resolutionum semper in eo consistunt, utrum in illis adiunctis locum habeant nec ne quae de negotiatione clericis interdicta in sacris canonibus continentur. V. penes eosdem.

Scholion

Ad hactenus dicta de negotiatione, pertinet controversia quae tota nostrorum temporum est; quippe peculiarem modum spectat qui nunc penes omnes gentes obtinet negotiandi, sive *societatibus* initis, sive *mensis nummariis* institutis vel a privatis vel ab ipsis statibus politicis (*Società–Banche–Credito fondiario–mobiliare–fondi pubblici* etc.). De hac aliquid breviter innuendum est.

Quaeritur igitur utrum cum legibus ecclesiasticis, quae clericis negotiationem inhibent, cohaereat, eosdem sive *actiones*, ut vocant, sive *obligationes* acquirere quae, ut constat, a societatibus illis emittuntur, aut *caedulas* habere *debiti publici* sic nuncupati. Cardo controversiae in eo est, ut *inspecta ipsa re* definiatur, utrum dici possit clericus, qui haec faciat, *negotiari modo a lege vetito,* vel per se vel saltem per alium, quod, ut diximus, post Const. Ben. XIV, idem prorsus est.

Ad quaestionem resolvendam quaedam praemittendae sunt notiones. Igitur

a) Societas est *contractus quo duae vel plures personae simul conveniunt ut aliquid in commune ponant, et beneficium quod inde habebitur ex aequo inter se dividant.* Ita notio societatis exhibetur in codice gallico ex. gr. cui plus minus alii cohaerent.

b) Si media quae ad id obtinendum adhibentur, sint *actus negotiationis,* societas est *negotiatoria* secus *civilis*. Quinam autem sint actus negotiatorii exhibetur in iisdem codicibus. Si vero *aliqua industria seu artificium ad id adhibetur, societas est industrialis.*

c) Societates negotiatoriae vel industriales fiunt per *actiones* et *obligationes*. Quae sedulo distingui invicem debent. Nam per actiones *actionarius* est *membrum* societatis, dum per obligationes qui eas habet est societatis *creditor*.

d) Societates sunt vel *commanditariae* vel *anonymae*. Societas commanditaria duplicis generis habet socios, *responsabiles* simulque *solidarios*, et solum *contribuentes* seu qui suppeditant pecunias et dicuntur *commanditarii;* habet insuper nomen *sociale (la ditta sociale)*, quo praefert nomen unius vel plurium sociorum qui *solidarii sunt*.

Anonyma non habet nomen sociale, sed distinguitur solum a suo scopo seu obiecto ex. gr. *fodinae, opificii, viae ferreae* etc.; administratur a *mandatariis* ad tempus constitutis, qui ad nutum possunt revocari, neque necessario ad societatem pertinent, et vel gratuito, vel accepta retributione operam suam impendunt.

e) *Gerentes* modo dicti, certis temporibus, sociis rationem reddunt, in *conventum generalem* coactis. Non omnes socii ad hunc vocantur, sed ii solum vocandi sunt qui maiorem *actionum* partem possident; hi tamen *non tenentur* adesse.

In generali conventu nominantur qui societatis negotiis advigilent. Potestas etiam civilis aeque suum deputat commissarium pro qualibet societate anonyma.

f) Mensa nummaria publica status *(Banca del Regno o dello Stato)* aequipollet societati commanditariae. *Creditum fundiarium, mobiliare, societates ad vias ferreas, currus publicos* atque alia huiusmodi administranda, sunt societates anonymae.

g) Denique *actiones* acquiri possunt vel 1) ad ipsam societatem *constituendam*, vel 2) societate iam *constituta*.

His positis quaestio prius proposita apte videtur ad hasce quinque subnexas quaestiones reducenda:

I. Utrum liceat clericis *actiones* acquirere ad *constituendam societatem*.

II. Utrum id saltem liceat *societate iam constituta*.

III. Utrum iisdem liceat *obligationes* acquirere.

IV. Utrum liceat *negotiari* circa ipsas actiones vel obligationes.

V. Denique utrum ad vetitam negotiationem revocari debeant societates quae aliquod artificium adhibent circa *materias primas*, ut vocant, scilicet *industriales*.

Porro in his quaestionibus expendendis duo prae oculis haberi debent, scilicet principia superius statuta ex iure communi de negotiatione clericis seu permissa seu interdicta, tum Sedis Apostolicae determinatae hac de re sanctiones, siquidem habeantur.

Seponimus interim primam quaestionem, quia eius resolutio ex aliis rite resolutis maxima ex parte, nostra quidem sententia, dependet. Iamvero ad secundam quod spectat, si considerentur principia superius statuta apparet:

a) Ad negotiationem proprie dictam seu simpliciter *quaestuosam* pertinere *mensam nummariam, creditum sive fundiarium sive mobiliare* etc., ad negotiationem vero industrialem seu *artificialem* pertinere societates ad fodinas exhauriendas, ad vias ferreas extruendas, ac generatim ad quaelibet opificia.

b) Cum certum sit post Constitutionem Benedicti XIV, ut diximus, negotiationem clericis vetitam intelligendam esse sive exerceatur per se, sive per alium, liquet cardinem controversiae in eo esse ut definiatur, an qui societate iam constituta *actiones* acquirit ab ea emissas, per alium negotiari dicendus sit.

c) At vero si non *abstracte* sed *in facto* res spectetur non videtur id dici posse, saltem *necessario.* Etenim, ut notat Bouix, Benedictus XIV prohibuisse dumtaxat *negotiationes collectivas* dicendus est, in quibus qui per alium negotiatur influit tamen aliquo pacto efficaciter in *ipsam negotiationem.* Id autem non contingit generatim in *actionari's.* Nam ex dictis nisi maiorem partem actionum possideant, et etiam in hoc casu *nisi ipsi velint,* nullam prorsus habent partem in negotiis societatis, sed solum ius habent, pro rata pecuniae solutae, ad divisionem lucri percepti. At profecto hoc dici nequit negotiari per alium. Accedit nullum hic amplius locum habere rationes quae a sacris canonibus commemorantur dum negotiationem clericis inhibent, ne scilicet nimium avocentur a sui status officiis vel aliquid admittant quod statum clericalem minus deceat. Nihil enim horum profecto exsistit, cum clericus *titulum* ut dicitur illum acquirat et exinde statis temporibus lucrum aliquod percipiat. Hoc adeo verum est, ut si aliquis *actionarius* qui ad eos non pertineat, qui illud ius habent, velit sese ingerere in societatis negotia, iure repellatur. Atqui certe absurdum est dicere hunc negotiari

per illos qui eius immixtionem omnino repellunt. Cum igitur clericus neque ratione negotiationis per alium exercitae, neque ratione nimiae distractionis aut indecentiae peccare hac in re possit, non videtur ei vetitum *actiones* huiusmodi acquirere, et ex iis lucrum percipere *societate* iam *constituta.* Quod vero dicitur ab iis qui contrariam tenent sententiam scilicet I. clericum hoc pacto negotiari per alium contra constitutionem Benedicti XIV *quia particeps fit vicissitudinum* societatis, non magnum pondus habet, nam etiam ille qui habet non actiones sed obligationes, quod tamen mox omnino licitum esse ostendemus, easdem vicissitudines societatis subeat oportet. Quod vero dicunt II. id vetitum esse *ob turpis lucri cupiditatem,* iam non in rei naturam, sed in hominum vitium est refundendum, utque absit sufficit ut fiat ad honestam ac decentem vitae sustentationem. Hinc concludimus, spectatis principiis vetitum non videri quominus clerici *societate iam constituta* actiones ab ea emissas acquirant.

d) Si vero non de *actionibus* sed de *obligationibus* sermo sit, cum ex dictis clericus nonnisi societatis creditor inde exsistat, nulla in hoc vel minima negotiationis species habetur adeoque de hac re nemo sanus dubitare potest. Turpis vero lucri cupiditas eodem modo ac superius dictum est amovetur.

e) Quarta item quaestio non magnam praesefert difficultatem, et resolvenda videtur, duplici modo distincto quo quis potest circa actiones seu obligationes negotiari. Si enim eas *ad hunc finem* acquirat ut cariori pretio divendat, indeque lucrum percipiat, id omnino recidit in negotiationem *quaestuosam* eamque absolute prohibitam, adeoque id illicitum dici debet. Si vero actiones alio fine acquisitas vendat cariori pretio, vel superfluas cariori etiam pretio distrahat, id aequiparari potest negotiationi oeconomicae, quae ut dictum est clericis permittitur.

f) Denique si determinato modo quaeratur, utrum licitum sit saltem clerico actus supradictos exercere quando agitur de societatibus *industrialibus,* etiamsi daretur illicitum esse partem habere in societatibus negotiatoriis eo modo quo exposuimus, non arbitramur discrimen hac in re admitti posse inter societates negotiatorias ac industriales.

Discrimen enim in eo esset quod ageretur de *negotiatione*

artificiali. Verum ut superius animadvertimus (207, 2, 9), quando aliquis non *propria*, sed *aliena* opera utitur ad illud artificium obtinendum, casus recidit in negotiationem proprie quaestuosam quae est vetita. Ergo necessario, quaestio resolvenda est sive agatur de societate industriali sive non, ex principio illo, clericum revera per alium non negotiari.

g) Iam apparet, quid dicendum sit ad primam quam omisimus quaestionem. Quando enim non de societate constituta, sed de societate constituenda agitur, potest quidem supponi maior facilitas ut quis vere influat in ipsa societatis negotia, at *vera necessitas nulla est*. Sufficitur igitur ut etiam in ea hypothesi, clericus maiorem actionum partem non acquirat, ut idem dicendum sit ac superius dictum est; quia tamen maior oriri potest suspicio turpis lucri cupiditatis, aut nimiae distractionis periculum, generatim permittendum non videretur.

h) Hactenus quaestiones resolvimus ex principiis; si vero sermo sit de Sedis Apostolicae sanctionibus, fatendum est eas quae proferuntur, non videri quaestionem *in se* attingere sed dumtaxat peculiaria adiuncta considerare.

Etenim

aa) Affertur responsio Sacrae Congregationis EE. et RR. 30 Ian. 1846, ubi dicitur clericis in sacris ordinibus constitutis vel beneficia ecclesiastica obtinentibus, non licere *actiones* cuiusdam societatis, vulgo *banca o società di accommandita*, acquirere. *(Vide Giornale di Roma 15 Aprile 1857, et Analecta iuris pontificii Mart. 1857, fasc. 60, pag. 477, et fasc. 68, pag. 1426).* At ibi agebatur non de societate *constituta* sed de societate *constituenda*. Porro ex peculiaribus causis prout diximus supra, consultius est ut ecclesiastici viri ab huiusmodi societatibus constituendis abstineant, sin minus ratione negotiationis illicitae, saltem suspicionis eiusdem. Ergo haec resolutio Sacrae Congregationis tum quaestionem in se non attingit, tum peculiaria adiuncta omnino respicit; agebatur enim de aliqua determinata societate.

bb) Adducitur etiam responsum Congregationis S. Officii 1 April. 1857 ad dubium « *utrum sit licitum ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere, lucrumque ex ipsis proveniens accipere* »; quod fuit « *Sanctitas Sua concedit facul-*

tates RR. PP. DD. Episcopis communicandas per organum S. C. EE. et RR. permittendi ecclesiasticis, ut accipiant actiones delle strade ferrate *de propria pecunia tantum* ». At hic etiam nihil de generali quaestione dicitur et solum de aliqua determinata ratione huiusmodi titulos acquirendi aliquid statuitur. Hinc nil mirum quod etiam post huiusmodi responsiones Sacrarum Congregationum, in diversa plane abeant auctores vel recentissimi. Sic ex. gr. Bouix *(Révue de Sciences ecclésiastiques vol. 2, pag. 444–471, et vol. 13, pag. 460–483)* omnino tamquam veram sententiam tuetur, licitum prorsus esse clericis *actiones* seu *titulos* acquirere. Contra vero Craisson (1) atque alii aliter sentiunt de actionibus quae sint societatis *negotiatoriae,* dum id concedunt si agatur de societatibus *industrialibus*. Verum hanc ultimam distinctionem solido fundamento destitui superius ostendimus (Heic *f*).

cc) Hinc cum nondum habeatur determinata Sedis Apostolicae responsio quae generalem quaestionem decretorio modo resolvat, unum superest ut *certis* insistentes principiis iure communi statutis, quaestiones propositas quemadmodum superius effecimus resolvamus.

Ea quae pertinet ad clericorum officia, habentur potissimum in titulo de Vit. et honest. cleric. (III. tit. 1), tum in titulo de Cohabitatione clericorum et mulierum (III. 2), maxime vero in titulo « Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant » (III. 50) in Decretalibus Gregorii IX cum quibus coniungi debent quae habentur tum in Sexto, tum in Clementinis, et ibi, ad ea quae diximus uberius evolvenda, conferendi sunt doctores, nominatim Schmalzgrueber et Zallinger. Quae vero pertinent ad scholion, potissimum illustrantur a Bouix loco citato. Cf. etiam Lucidi (Op. cit. edit. tert. Rom. 1883. t. I. pag. 526).

(1) *Manuale I. C.* n. 2068. *Vid. etiam* n. 2067–71.

TITULUS IV.

De iis qui promoveri non possunt.

208. Quae hactenus dicta sunt, ad clericos pertinent universim consideratos. Iam pro duplicis hierarchiae ratione superius recensitae *ordinis* et *iurisdictionis,* statui ea debent quae ad clericorum personas in utraque referuntur. Incipimus a hierarchia ordinis. Porro hierarchia ordinis sicuti et hierarchia iurisdictionis, ut liquet ex ipso nomine, varios admittit gradus alios aliis altiores. At vero sicut Ecclesia suas leges habet de modo quo ii sunt obtinendi, ita suis sanctionibus multiplici ex caussa quosdam ab iisdem arcet. Hi autem *irregulares* dicuntur quia a regula sunt alieni, et impedimentum quo laborant *irregularitas* appellatur, quae ideo est « *canonicum impedimentum quod vetat ne quis ordinetur aut si iam ordinatus sit in susceptis ordinibus ministret* ». Porro huiusmodi canonicum impedimentum duplici ex capite oriri potest, scilicet 1° *ex aliquo delicto;* 2° *ex aliquo defectu.* Hinc duplex exsistit *irregularitatum* species prout scilicet sunt *irregularitates ex delicto,* vel *irregularitates ex defectu.*

209. Verum notandum est:

a) In irregularitatibus ex delicto, cum eae *ex culpa* oriantur, culpam necessario, eamque gravem adesse debere.

b) Pariter notandum est, datam irregularitatis definitionem ad *ordines* per se pertinere, adeoque eos respicere qui in hierarchia ordinis promoveri non possunt. Haec significatio directa est ac primaria, licet irregularitas etiam *quoad beneficia* quandoque consideretur. Sed haec est potius significatio *analogica,* et rectius diceretur *inhabilitas;* de qua agi debet in titulo de beneficiis. Sunt tamen nonnulli qui irregularitatem bifariam dividunt, scilicet in *totalem* et *partialem.* Totalem vocant quae inhabilem reddit tum ad ordines tum ad beneficia, partialem quae unum dumtaxat ex his duobus attingit. Vel etiam totalem dicunt quae a susceptione omnium ordinum et eorum exercitio excludit, et consequenter etiam ab officio et beneficio; partialem

quae dumtaxat a susceptione excludit quorumdam ordinum eorumque exercitio.

c) Irregularitas sive totalis sive partialis ex iuris dispositione fertur, hinc nullo modo contrahitur, nisi fuerit *in iure expressa* (1).

d) In genere, irregularitas ex delicto vel quae praecedit ordinis susceptionem, est totalis, quae vero ex defectu et post ordinis susceptionem contrahitur, est partialis.

e) Denique notandum maxime illud est, irregularitatem non ad *validitatem* actus, sed ad *liceitatem* eiusdem spectare.

210. Ex hac recensita irregularitatis partitione sponte sua exurgit tituli quoque huius divisio in duas partes, quarum prima agit de irregularitatibus ex delicto, altera de irregularitatibus ex defectu.

§ I. *De irregularitatibus ex delicto.*

211. Delicta ex quibus oritur canonicum impedimentum irregularitatis, debent ex superius dictis (209. *c*) esse *expressa in iure (textu expresso cap. Is qui de Sent. excom. in 6)*. Porro delicta huiusmodi sunt I. homicidium, II. iteratio baptismi, III. violatio censurarum, IV. indigna ordinis usurpatio, V. haeresis vel apostasia a fide, VI. denique ea delicta quae infamiam irrogant, seu *iuris* seu *facti*. Sed notandum est, delicta quae irregularitatem pariunt ex adnexa infamia, si sint occulta huiusmodi effectum non habere, dum contra alia recensita irregula-

(1) Hinc admittenda non videtur sententia, irregularitatem induci posse *ex consuetudine universali*, utpote quae et ipsa vim legis habeat. Boenninghausen, *(Tract. Iurid. can. De Irreg. Monasterii* 1863, in praefatione *pag. IV)* dicit se recessisse a sententia negante (quam et nos tuemur) licet eam ipse propugnaverit in ipso opere *(pag. 20. c. et not. 8)*, et pollicetur se alio loco fuse allaturum rationes quarum praesidio fretus in affirmantem concessit. Id tamen hactenus non fecit. Putamus autem textum ipsum *cap. Is qui de sent. exc. in 6.* vix posse conciliari cum sententia quae consuetudini universali vim tribuit inducendi irregularitatem. Aliud plane est ut notat ibidem Boenninghausen, si consuetudo quae optima est legum interpres adhibeatur (uti et consensus DD.) tamquam norma hac etiam in re ad interpretandum textum aliquem iuris. *Cf. Barbosa, in Collect. DD. ad cap. Ex litterarum De ap. et iter. bapt.*

ritatem pariunt sive sint *occulta* sive sint *manifesta.* Patebit autem ex dicendis, de singulis *textu expresso in iure* adfirmari ex iis irregularitatem contrahi.

212. Sane primo irregularitas contrahitur ex *homicidio voluntario.* Quod ut intelligatur, notandum est quadruplex a doctoribus homicidium distingui, scilicet, *casuale* seu *fortuitum, voluntarium, mixtum* et *necessarium. Casuale* illud dicitur, quod praeter patrantis intentionem *omnino* est, adeoque nec praevideri potuit nec debuit. *Voluntarium* (criminosum) quod ex deliberata voluntate ita procedit, ut simul sit imputabile tamquam culpa. *Mixtum* quod de utroque participat, scilicet licet *in actu* sit praeter intentionem, at saltem *in caussa,* quae praevideri potuit et debuit, aliquo pacto voluntarium est. *Necessarium* denique illud est quod ad legitimam sui defensionem, servato ut dicitur *moderamine inculpatae tutelae,* committitur. Patet autem huiusmodi homicidium vere esse voluntarium, quatenus cum rei cognitione fit et deliberata voluntate, licet non intendatur occisio tamquam finis. Ex quo sequitur nomen homicidii *voluntarii,* scilicet *criminosi,* non tam ex vi vocis quam ex re voci subiecta, esse intelligendum.

213. Irregularitas ex homicidio, prout est ex delicto, non potest proinde oriri, si recte loqui velimus, nisi ex homicidio *voluntario* sensu exposito, et quidem ut in eo sit gravis culpa. Hoc enim necessario requiritur ut habeatur irregularitas ex delicto. Unde apparet, quonam sensu intelligendae sint regulae quae a doctoribus traduntur. Sunt autem sequentes:

Reg. I. Qui dat operam rei *licitae,* et eam diligentiam adhibet ut nulla ratione homicidium (ex communiter contingentibus) praevidere potuerit, irregularis non fit etiamsi homicidium inde sequatur.

Reg. II. Qui dat operam rei *licitae,* sed omissione debitae diligentiae, aut artis imperitia hominem occidit, irregularitatem contrahit.

Reg. III. Dans operam *rei illicitae,* quamquam diligentiam debitam adhibeat ne mors sequatur, tamen irregularis fit, si quempiam occiderit vel mutilaverit.

Reg. IV. Qui mortem aliter vitare non valens, suum invasorem occidit, non fit alienus a canone; scilicet non fit irregularis.

214. At vero non ita hae regulae admitti possunt, ut nulla circa eas animadversio fieri debeat. Nam

a) omissa regula prima quae nimis evidens est, siquidem agit de homicidio omnino fortuito, in quo proinde absurde potest excogitari ratio delicti, aliquid animadvertendum occurrit circa secundam regulam. Primum illud est, ex generali principio culpam gravem esse debere, ut irregularitas contrahatur, adeoque requiri ut omissio debitae diligentiae aut artis imperitia connectatur cum praevisione *gravis mali* quod exinde sequi potest, et simul sit *gravis* in se; secus enim non habetur tale delictum, quale ex dictis requiritur. Hinc intelligitur, absolutionem ab irregularitate quae petenda dicitur, ex textibus iuris quae allegantur, ex. gr. *Cap. Presbyterum de Homic.*, per se non conficere delictum esse admissum, cum peti possit et debeat simpliciter *ad cautelam;* quemadmodum petenda etiam est in homicidio mere casuali, ut colligi videtur ex conc. trid. *(Sess. XIV. cap. 7 de Ref.).* Iamvero, ex regula prima, in homicidio casuali irregularitas non incurritur. Unde regula secunda quae spectat ad homicidium mixtum, non sine hac animadversione intelligenda videtur.

b) Multo vero magis ambigendum est de veritate tertiae regulae, quae pertinet etiam ipsa ad homicidium *mixtum, non quidem per se,* sed veluti *analogice;* quatenus actus est imputabilis et simul est illicitus. Quod enim actio sit illicita, hoc non efficit ut si omnis sit adhibita diligentia, homicidium insequens sit crimen vel culpa. Hinc non putamus hanc regulam esse admittendam. Quod vero dicunt quidam, in *foro externo,* quando res est illicita, semper praesumi omissam fuisse debitam diligentiam, *donec legitime semet purgaverit* qui homicidium commisit, nimium videtur. Quod autem ex textibus iuris et ex consuetudine, petenda dicatur dispensatio, hoc, ut superius animadvertimus, rem non conficit, cum id fiat ad cautelam etiam pro homicidio casuali vel necessario. Regula vero quarta, quae ad homicidium necessarium refertur, clara est, et nullam habet difficultatem *(Cf. Vecchiotti, op. cit. lib. V.* § *40).*

215. Remanet igitur, ut irregularitas ex homicidio tamquam delicto, nonnisi ex homicidio voluntario *quod sit crimen* oriatur. Iamvero ad hoc notandum est, irregularitatem ex homicidio vo-

luntario *iniusto*, incurri tum ab exequente, tum a mandante (nisi ante patratum homicidium mandatum retractaverit), ac generatim ab eo qui efficaciter in ipsum influat; tum etiam si mandatarius excedat fines mandati, quia id debuit a mandante praevideri (1).

Quod dicitur de homicidio debet quoque de *mutilatione* usurpari; iisdem regulis adhibitis *(Schmalzgr. l. c. § I. nn. 16 sqq.)*.

216. Alterum delictum in iure expressum, ex quo oritur irregularitas, est « *iteratio baptismi* ». Haec autem esse debet *scienter facta,* agitur enim de irregularitate *ex delicto*. Irregularitas haec contrahitur sive agatur de iteratione activa, sive de iteratione passiva, sive primario, sive secundario. Hoc est, irregularis fit rebaptizans, rebaptizatus, et qui iterationi baptismi palam ministrat. *Cap. Ex litterarum de Apost. et iter. bapt.* (V. 9). Item qui absque necessitate baptismum voluntarie recipit ab haeretico, quod ut patet de adulto intelligitur. *Can. Ventum est 18, C. 1, q. 1; Can. Qui 10, C. 1, q. 7* (2). Sunt autem quidam, qui tenent irregularitatem ex iteratione baptismi contrahi, si absque iusta caussa, baptismus, licet sub conditione, alicui conferatur. At hoc minus probandum videtur (3).

Haec irregularitas inducta est in odium haeresis Donatistarum, ac generatim sectarum rebaptizantium; hinc est *strictae interpretationis,* nec valet pro aliis sacramentis.

217. Item irregularitas oritur *ex violatione censurae;* cum scilicet aliquis censura irretitus functiones obit ordinis sacri a cuius exercitio interdictus est. Tales sunt excommunicati excommunicatione maiori etiam occulta *Cf. tit. de Cler. exc. min.* (V. 27), suspensi etiam ex informata conscientia, interdicti et depositi ac generatim violatores cuiusvis censurae. Nominatim irregularitatem incurrit qui *scienter* celebrat in loco interdicto *c. 18 de Sent. excom. in 6.*

218. Oritur etiam irregularitas *ex pravo ordinum usu.* Huc

(1) Cf. de homicidio in Decretalibus *lib. V. tit. 12 de Homicidio voluntario et causali* et ibi DD. nominatim Schmalzgr. *in h. t.* § *III. n. 149 seqq.*

(2) Cf. Barbosa in collectaneis DD. et Giraldi, op. cit. par. I. sect. 812.

(3) Cf. titulum cit. de Apost. et iterant. bapt. (V. 9) et ibi DD. Item vide *Ben. XIV. Instit. 8. et 84; Suarez, in 3. p. t. 2. q. 71. a. 2. disp. 31 sect. 6. dub. 5.*

pertinent ministrantes solemniter in ordine non suo, *cap. Si quis 1 de Cler. non ord. min.* (V. 28). Cf. Schmalzgr. *in h. t. nn. 3 sqq.*

Sunt qui iis accensent *furtive ordinatos,* eos nempe qui ab episcopo proprio non probati clam per dolum seu temere ordinandis sese adiungunt et ordinem recipiunt: item ordinatos *per saltum* aut *simoniace* aut absque *titulo ordinationis* aut duos ordines maiores eadem die recipientes vel ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, deposito, haeretico aut schismatico, cui sententiae alii non minus graves doctores adversantur (1). Verior horum videtur opinio; adeoque dicendum, ex his omnibus *suspensionem incurri,* at nisi ordinis male suscepti *exercitium* irregularitatem inducat *ex violatione censurae* (217), eam per se non haberi.

219. Denique irregularitas oritur ex *haeresi* vel apostasia a fide. Porro iure Decretalium non modo haeretici sunt irregulares, verum etiam I. qui in crimine haeresis cum iisdem participant, imo II. qui quomodocumque eos adiuvant; quin imo III. qui cum haereticis communione sanguinis sunt coniuncti; scilicet filii haereticorum in linea paterna usque ad secundum gradum, in linea vero materna usque ad primum *(Cap. Statutum 15 de Haeret. in 6).* Cf. DD. ad tit. 7, lib. V. Decretalium.

220. Verum ad hanc incurrendam irregularitatem ex haeresi, requiritur I. ut filii nati sint *parente* iam haeretico; II. ut parens sit haereticus *publice* et in haeresi decesserit. Quamvis si de haeresi occulta sermo sit, contraria habeatur sententia, quam memorat Schmalzgr. ad titulum 7, lib. V. Decretalium § 3, n. 105. Notandum tamen III. excipi casum *relapsi,* quia etsi resipuerit, non censetur reincorporatus Ecclesiae.

221. Ita etiam notandum est, ut ait Pirhing (ad tit. 7, lib. V. Decr. sect. 4, § 1, n. 101) in iis regionibus, in quibus nulla ob crimen paternum infamia contrahitur, liberos haereticorum non esse irregulares, sed ad ordines posse promoveri. Cui ex recentioribus adhaeret etiam Aichner (Op. cit. § 63, not. 8). Hinc videtur irregularitas haec ex haeresi, quoad filios et nepotes haereticorum, non tam esse *ex ipso delicto,* quam *ex infamia;*

(1) Schmalzgrueb., *ad tit. 29. 30. lib. V. Decr.;* Aichner, *op. cit. § 63. 2 d.*

quod aliquo pacto fundamentum haberet in eo quod haeresis debeat esse publica, ut diximus. At cum contraria etiam adsit sententia, id potiusquam ex intrinsecis rationibus, ex doctorum omnino plurium auctoritate, teneri potest.

222. Denique irregularitas oritur ex *infamia* cuilibet delicto adnexa; sive sit *iuris* sive sit *facti*. Hinc sequitur, hanc irregularitatem ortum habere ex adiunctis extrinsecis, et hoc haberi debet veluti generalis regula. Infamia autem est « *privatio vel diminutio bonae famae ex mala opinione quae apud viros prudentes etiam vigeat* ». Est autem *infamia iuris*, si oriatur ex eo quod aliquis crimen in iure confessus fuerit, aut rite fuerit damnatus. Est vero *infamia facti*, si oriatur ex notoria, quaeque in dubium nullo modo potest revocari, gravis alicuius criminis exsistentia. Vix autem opus est animadvertere, merito infamia seu iuris seu facti notatos a sacris ordinibus arceri, ad quos ii solum sunt admittendi qui bonorum existimatione fruantur. Quibus concinit et vulgata regula iuris nostri: « *Infamibus portae non pateant dignitatum* » *(cap. 87 de RR. I. in 6).*

§ II. *De irregularitatibus ex defectu.*

223. Secunda haec classis irregularitatum in eo differt a prima, quod ratio impedimenti non oritur *necessario* et *directe* ex culpa illius qui eo afficitur, sed est veluti *obiectiva* ex dignitate status dimanans. Hoc poni debet veluti generale principium, ad intelligendam Ecclesiae oeconomiam, in huiusmodi irregularitatibus statuendis.

224. Ad maiorem perspicuitatem et logicum idearum nexum, ita irregularitates ex defectu distribui possunt, ut

1. pertineant ad individuum *per se* spectatum, vel
2. ad individuum pertineant *relative* consideratum.

Iam vero si consideretur individuum *per se,* defectus duplex esse potest, *animi* scilicet, aut *corporis.* Hinc oriuntur irregularitates tum *ex defectu animi,* tum *ex defectu corporis.*

Si consideretur autem individuum *relative,* hoc quidem potest spectari:

a) *ratione originis,* unde irregularitas ex *defectu natalium;*

b) *ratione aetatis* unde irregularitas ex *defectu aetatis;*

c) *ratione status,* unde irregularitas ex defectu *libertatis* vel *sacramenti;*

d) *ratione alicuius actionis per se licitae,* sed ob peculiarem causam a clericis vitandae, unde irregularitas ex *defectu lenitatis.* De singulis aliquid breviter dicendum est.

225. Irregularitates ex *defectu animi* possunt hoc logico idearum nexu exhiberi. Defectus animi esse potest

I. In *facultatibus naturalibus,* idque

a) vel in earum usu *simpliciter* (defectus usus rationis perpetuus) vel *secundum quid* (defectus usus rationis temporarius); vel

b) in earum facultatum perfectione *debita* (defectus scientiae). *Cf. Ben. XIV Inst. 42.*

II. In facultatibus supernaturaliter elevatis, idque

a) *ex conditione intrinseca* (defectus fidei obfirmatae), *Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 4 de Ref. et resolut. ibid. ed. Richter;*

b) *ex adiunctis extrinsecis* (defectus fidei in parentibus). De hac iam diximus (219).

226. Irregularitates ex *defectu corporis* vel sunt tales ut

a) munia ecclesiastica exerceri *simpliciter* nequeant (muti, surdi, caeci) etc. vel

b) *decenter* et decoro modo peragi nequeant (deformes corpore etc. mutilati etc.).

Ut apparet, gradus est inter haec multiplex, ita tamen ut

a) *maximus* sit *impossibilitas;*

b) *minimus* sit *levis indecentia (Cf. tit. 20, lib. I. Decr. et ibi DD.).*

227. Hinc quaestiones practicae, in quibus dirimendis potissimum versantur SS. Congregationum resolutiones, huc pertinent, ut statuantur sive impedimenti exsistentia, sive peculiaria adiuncta, quae ad eam rite intelligendam expendenda sunt. *Acta S. Sedis (IV. 428–31; 593 sqq.).*

228. Irregularitas ex *defectu natalium* pertinet, ut animadvertimus, ad hominem *relative* consideratum. Evidens autem est hanc irregularitatem esse *antonomastice* et natura sua ex defectu, quippe quae *essentialiter* actum proprium excludat. Hinc tota quanta est pendet ab hominum opinione, quae culpanda quidem non est, posset tamen aliter atque aliter se habere. Sane constat historice, non aequalem semper fuisse ad hoc quod

spectat ecclesiasticam legem (1). Hac irregularitate laborant quicumque ex thoro illegitimo nati sunt. Item qui nati sunt ex legitimis coniugibus postquam ii mutuo consensu castitatem voverint. *Expositi* vero, ut dicuntur, solent saltem ad cautelam dispensari *(Giraldi, Exp. Iuris Pont. Part. I. Sect. CXV. et ibi Card. Petra).*

229. Irregularitas *ex defectu aetatis*, cum unum respiciat ex requisitis ad ordines, de quibus titulo insequenti agendum est, aptius ad eam tractationem transmittitur.

230. Irregularitas etiam habetur *ex defectu libertatis.* Huc pertinent:

a) *servi* qui a sacris ordinibus arcentur. Sed de hac re satis diximus in scholio adnexo tit. I.

b) Qui *obligati dicuntur ad ratiocinia*, et sunt ii qui munere publico tenentur rationem reddere suae administrationis, uti sunt *tutores, curatores, syndici, administratores* etc. et ordinari nequeunt, nisi munere deposito et rite reddita ratione satisfecerint *(Cf. tit. 19, lib. I. Decret. et ibi DD.).*

c) Item ii qui coniugali vinculo obstringuntur; ii enim ordinari nequeunt, nisi vel uxores consentiant, et religiosam profiteantur vitam, vel saltem castitatis perpetuo servandae votum emittant, adprobante episcopo.

231. Huc quoque revocatur irregularitas ex *defectu sacramenti* seu ex bigamia *(tit. 21, lib I. Decret. et ibi DD.).* Porro ut dignoscatur indoles huius irregularitatis notandum est, defectum ex quo oritur spectari ex duplici capite, nempe:

a) ex typica relatione coniugii ad Christi mysticas nuptias cum Ecclesia, quae sunt unius cum una, et

b) ex defectu in hac relatione sive in *reali coniugio*, quando scilicet vere quis nubit successive duabus, sive *fictione iuris*, quando scilicet mulier *integra* non est, saltem ex *eodem.*

232. Hinc intelligitur partitio bigamiae in *veram, interpretativam, similitudinariam.* Vera est, quando quis matrimonium init cum duabus successive, et utrumque consummat. Interpretativa, quando quis, ut diximus, mulierem ducit quae integra non est. Similitudinaria vero, quae oritur ex sacrilegis nuptiis,

(1) Cf. Aichner, op. cit. § 62. n. 8.

quae licet sint invalidae, tamen censentur succedere spirituali coniugio inito per ordines sacros vel per votum castitatis *solemne.* Illud autem maxime notandum est, ad contrahendam irregularitatem requiri omnino ut copula sit *maritali affectu* exercita.

233. Ultima est irregularitas ex *defectu lenitatis.* Eo irregularis efficitur qui *voluntarie, efficaciter,* et *proxime* ad necem vel mutilationem alicuius, quin ulla adsit culpa *sed etiam auctoritate publica* concurrit per actum natura sua ad id ordinatum. Ratio irregularitatis inde oritur, quod etsi huiusmodi actiones per se sint licitae, minus tamen mansuetudinem status clericalis decere videantur.

234. Porro potest quis eam incurrere ex *positivo* concursu, quatenus vel physice vel moraliter in necem vel mutilationem influit. Sic *physice* influit carnifex, et qui eum adiuvat, *moraliter* qui mandat, consulit, adiuvat, consensum praebet, ut in causa sanguinis procurator fisci, advocatus accusatoris, testis, notarius, iudex et ipse accusator, nisi expresse protestetur, se poenam sanguinis non intendere; qua protestatione emissa, clerici etiam accusando irregulares non fiunt. Huc quoque revocari possunt ea quae pertinent ad bellum licet iustum et irregularitatem quam extra casum necessitatis clerici incurrunt: sed de iis actum est in officiis clericorum.

235. Potest etiam ex solo concursu *negativo* irregularitas incurri ex defecto lenitatis, quatenus scilicet ex negligentia alicuius, homicidium vel mutilatio sequatur. Sedulo tamen animadvertas, ad concursum huiusmodi negativum requiri, ut negligentia admittatur ab eo qui *ex officio* et *iustitia* tenetur impedire, non vero si ex mera solum charitate id faciat. Quare, ut exemplum aliquod proferam, nimium quidam urgent, irregularitatem hanc incurri ab iis, qui charitatis exercendae gratia, aegrotum in extremis versantem adiuvant, si forte praeter eorum mentem, occasione illius charitatis officii, mors sequatur; qua de re legendus Schmalzgrueber *(tit. de Hom. n. 214).*

236. Liquet autem, irregularitatem ex defectu lenitatis non exsistere, si quis ex necessitate vitae tuendae, aggressorem caedit vel mutilat.

237. Denique, quicumque fuerit concursus ex actione positus, nullam constat irregularitatem incurri, si mors vel mutilatio

sequuta non fuerit. Medici vero vel chirurgi, qui mutilationem vel consulunt, vel exequuntur, irregularitatem non incurrunt, nullus enim est in iis defectus lenitatis, dispensantur tamen *ad cautelam* ad sanandos quoscumque defectus, qui possent existere ex dictis superius de homicidio (214. *a*).

238. Ad ea quae diximus de concursu morali in caussa sanguinis referri commode possunt quae ad eos spectant qui hac aetate *iurati* dicuntur: ii enim videntur, omnibus inspectis, *iudicibus* (licet *facti*) iure accensendi. Quare et eos irregularitatem incurrere arbitramur (1).

§ III. *De cessatione irregularitatum.*

239. De cessatione vero irregularitatum haec notatu magis digna habentur:

I. Irregularitates *ex delicto expresso in iure* dupliciter spectari possunt, prout scilicet *occultae* sunt vel non.

a) Si sint *occultae,* in iis possunt dispensare episcopi *(Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 6 de Ref.),* excepta ea quae oritur ex homicidio *voluntario,* et exceptis aliis deductis ad *forum contentiosum.* Quare episcopi dispensationem hanc concedunt *ex iure,* non vero *ex speciali facultate.* Hinc sede vacante idem possunt vicarii capitulares *(S. C. C. in S. Severinae 28 Maii 1796).*

b) Attamen, iuxta communiorem sententiam, Summus Pontifex solus dispensare potest ab irregularitate ob haeresim *occultam* contracta, eo quod in *Bulla Coenae* (et nunc in constit. *Apostolicae Sedis, inter excomm. spec. reserv. n. 1*) sibi reservavit facultatem absolvendi ab haeresi etiam occulta. Censent enim aperte id colligi ex *cap. Cum illorum 32 de Sent. excomm.* Ita Lucius Ferraris *(Bibl. V. Irregularitas a. 3, n. 10).* Item Suarez, Maiolus, Bonacina aliique apud Boenninghausen *(op. cit. fascic. I. pag. 27)* et e recentioribus ipse Boenninghausen (l. c.); Aichner, *(op. cit. § 64, n. 2),* Vering, *(Lehrbuch de Kath. Kirchenr. § 71, n. IV.).* Contrariam tamen tenent sententiam cum Schmalzgrueber *(in tit. 7, lib. V. Decr. n. 106),* S. Alphonsus de Ligorio *(lib. VII. n. 76),* qui plures allegat pro eadem sen-

(1) Vecchiotti, *Op. cit. lib. V. c. 9. § 37. V. Item quaeritur.*

tentia, tum alii citati a Boenninghausen, *(l. c. not. 74)* et e recentioribus diserte Iosephus Ferrarì *(Summa Inst. Can. lib. I. tit. XI. n. 108 cum nota 6)*, et saltem implicite Vecchiotti *(Inst. can. lib. V. c. IX. § 43)*. Afferuntur quoque pro prima sententia tum a Ferraris *(Bibl. l. c.)*, tum a Boenninghausen *(l. c.)* declarationes S. C. Concilii *Cremon. 4 Decemb. 1632, S. Sever. 18 Iun. 1796*.

c) In homicidio voluntario *publico* et *notorio* etiam ipse Pontifex raro dispensationem concedit, quemadmodum et ipse solus dispensare potest ab irregularitate ex delicto, in aliis criminibus expressis in iure, si sint publica.

d) Facultas data a tridentino episcopis (heic *a*) non extenditur ad praelatos nullius, aut etiam ad cardinales *in suis titulis*.

II. Irregularitates vero *ex infamia* cessant

a) si sit *infamia facti,* cessante infamia, *per emendationem notoriam* (quae probabiliter iuxta plures triennii spatium complecti debet), *per mutationem loci* et alia huiusmodi; unde proprie non requiritur dispensatio.

b) Si vero infamia sit *iuris,* ea tolli potest praeter *purgationem canonicam* (1), per restitutionem famae legaliter factam a Summo Pontifice. Si vero infamia oriatur ex iure civili, tum ea sublata in foro civili, censetur hoc ipso sublata in foro canonico.

III. Irregularitates vero *ex defectu*

a) quaedam cessant sublata causa. Sic defectus aetatis, scientiae, usus rationis temporariae ex amentia, morbus epilepticus etc.

b) Aliae per *dispensationem* tolluntur, modo sint tales de quibus dispensatio conceditur. Facilius autem dispensatur ad exercitium suscepti ordinis, quoad defectus corporis, quam ad ordines recipiendos.

c) Generatim vero loquendo huiusmodi dispensationes solum dantur a Summo Pontifice; attamen

d) episcopi *ex iure* dispensant nominatim *in bigamia similitudinaria (cap. Sane 4 de Cler. Coniug.)*.

e) Speciatim vero irregularitas *ex defectu natalium* tollitur

α *legitimatione,* per subsequens matrimonium, professionem

(1) Cf. *titulos 34 et 35. lib. V. Decret. De purgatione canonica et vulgari;* Suarez, *De cens. disp. XLVIII. sect. I. n. 21.*

religiosam, rescriptum Pontificis, haud vero principis saecularis, quod nonnisi civiles effectus attingere potest (Cf. Ben. XIV Const. *Redditae nobis 5 Dec. 1744*);

β *dispensatione*, quae a solo Pontifice conceditur pro *sacris* ordinibus, beneficiis curatis, dignitatibus capitulorum, praelaturis sive saecularibus sive regularibus; ab episcopis vero pro prima tonsura, ordinibus minoribus, beneficiis simplicibus.

f) Insuper liquet episcopos ex *speciali facultate* habita a Sede Apostolica, posse in iis irregularitatibus pro quibus ea conceditur, dispensare.

240. Illud etiam animadvertendum est in irregularitate ex homicidio contracta, petendam esse dispensationem saltem ad cautelam, etiam si exsistat *dubium facti;* quod scilicet constat de irregularitate actui adnexa, sed dubitatur utrum actus positus fuerit, ut est casus relatus *(Cap. Ad audientiam 12 de Homic.)*. At hoc perperam a quibusdam tamquam generalis regula traditur pro omnibus irregularitatibus.

241. Denique ad controversiam quod attinet, utrum ignorantia excuset ab incurrenda irregularitate ex delicto, haec non eodem modo dirimitur a doctoribus. Triplex potissimum sententia habetur. Prima requirit solum cognitionem legis divinae vetantis delictum illud. Secunda insuper exigit cognitionem legis ecclesiasticae illud delictum vetantis. Tertia denique postulat insuper cognitionem adnexae irregularitatis (1). Breviter dici potest:

a) si agatur *de foro conscientiae,* secundam et tertiam sententiam, saltem auctoritate doctorum admitti posse, adeoque neminem in foro interiori teneri ad reputandum se obstrictum irregularitate, si eam ignoraverit.

b) Si vero agatur *de foro externo,* huc valent regulae superius traditae de ignorantia (85. II) (2).

(1) Cf. Vecchiotti, *Op. cit. lib. V. § 30 in fin.*

(2) De irregularitatibus non agitur uno loco in Corpore Iuris, sed prout sunt *ex delicto,* ubi sermo est de delictis quibus sunt adnexae, in libro quinto Decretalium; prout vero sunt *ex defectu,* in libro primo titulis XVII-XXII. Sunt etiam auctores qui data opera fuse de irregularitatibus scripsere, uti *Ugolinus, Maiolus, Gibalinus* aliique, sed eorum opera longe fines excedunt illius tractationis quae Institutionum propria est. Con-

TITULUS V.

De requisitis ut quis ad ordines possit promoveri.

242. Cum ea proposita fuerint quae impediunt quominus aliquis possit promoveri, antequam de ipsis ordinibus sermo fiat, dicendum etiam est de iis quae lege ecclesiastica requiruntur, ad ordines *rite* suscipiendos. Porro quaedam ex his *collatorem* ordinum, quaedam *suscipientem* respiciunt. Ad collatorem pertinet I. ut sit *proprius* episcopus, scilicet eum qui ordines suscipit *vere subditum* habeat: II. ut in ordinibus conferendis, leges ecclesiasticas quae *tempus* et *modum* praescribunt, accurate servet. Ad suscipientem vero spectat I. ut *titulum* habeat ordinationis: II. ut aetatem aliasque qualitates a lege ecclesiastica requisitas praeseferat. Hinc sponte sua tituli partitio oritur. Agendum scilicet est I. de proprio ordinationis episcopo; II. de lege interstitiorum, et tempore et modo ordinationis; III. de ordinationis titulo; IV. de aetate et qualitate ordinandorum. Cum autem quaedam sint quae ex *privilegio exemptionis* regularibus competunt, circa susceptionem ordinum, in fine aliquid speciatim dicemus de ordinationibus regularium.

§ I. *De proprio ordinationis episcopo.*

243. Principium generale est, neminem ordinari posse nisi a proprio episcopo *(Dist. 71. canonibus 1 sqq. ex concill. nicaen., chalced., sardic., et Pontiff. S. Innoc. I. et S. Greg. M.),* qui proinde *legitimus* est ordinationis minister. Verum hoc intelligi potest:

a) quoad *validitatem actus,* et de hac modo non quaerimus *(Cf. Conc. Trid. Sess. XXIII. can. 7);*

b) quoad *liceitatem actus,* et de hac in titulo praesenti disserimus. Sed generale principium subnexam necessario quaestionem habet, quo pacto episcopus *proprius* determinetur.

suli potest Suarez *De censuris* dispp. XL–XLII. incl. E recentioribus de irregularitatibus, data opera, scripsit iam laudatus Boenninghausen *(Tractatus Iuridico-canonicus de Irregul. Monasterii 1863).*

244. Porro quae demum cumque fuerit vetus disciplina, qua episcopus *proprius ordinandi* censebatur (1), certum est post Bonifacium VIII triplicem fuisse titulum constitutum, videlicet *originis, beneficii, domicilii.* Constat ex eius Decretali *(Cap. Cum nullus 3 de temp. ord. in 6)* (2) per haec verba: « Cum nullus clericum parochiae alienae, praeter superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, superior intelligitur in hoc casu episcopus, de cuius dioecesi est is qui ad ordines promoveri desiderat oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem ».

245. Innocentius vero XII in vulgatissima illa constitutione quae incipit « *Speculatores* » 4 Nov. 1694, praeter hunc triplicem titulum, alium addit *familiaritatis.* Quod non ita debet intelligi, ac si primitus titulus ille ab Innocentio XII fuerit constitutus, siquidem iam de eo mentio est in Conc. Trid. *(Sess. XXIII. cap. 9 de Ref.).* Quin et ipse Innocentius in citata constitutione § 13 de titulo familiaritatis loquens, omnia dicit facienda esse ad *praescriptum Concilii Tridentini.*

246. Quadruplex igitur exsistit ratio, qua episcopus proprius ad ordines conferendos determinetur: *originis, beneficii, domicilii, familiaritatis.* De singulis aliquid dicendum est (3).

247. Titulus originis ex nativitate *ordinandi* desumi debet. Lex haec generalis ita explicatur, ut non fortuito nativitas ali-

(1) De antiquiori Ecclesiae disciplina quoad potestatem episcoporum in *legitima* ordinum collatione, fuse disserit Phillips (I. E. § XLI). Res eo redit, ut episcopus *proprius* ille haberetur in cuius dioecesi quis esset baptismo ablutus, is autem tunc temporis plerumque adulta aetate conferebatur, (quod tamen ita generatim dictum, emolliri aliquatenus debet) atque veluti *spiritualis filius* ab eo, a quo regenitus fuerat, ordines quoque accipere consueverat.

At generalior ea erat ratio agendi, qua laicus a quolibet poterat episcopo ordinem accipere, hac lege ut eo ipso insertus clero illius ecclesiae censeretur, atque ab eodem episcopo ordines reliquos reciperet. Paulo severior, saltem quandoque, erat disciplina, si de eo ageretur qui iam esset clericus. Ceterum exinde apparet semina iam reperiri in ea disciplina titulorum *originis, beneficii, domicilii,* qui deinceps clarioribus formulis statuti sunt.

(2) Conferenda etiam sunt alia capita eiusdem tituli, quibus ea quae huc pertinent illustrantur.

(3) Cf. Honorante, Praxis Secret. Urb. Vicarii cap. II. not. 3.

cubi contingat, qualis censeretur quando pater non moratur eo loco *more civium* presse sumpto, ex. gr. ratione *itineris, officii, mercaturae exercendae, legationis obeundae* etc.

In his casibus episcopus originis est episcopus loci in quo pater natus est, quia filii quoad originem patrem sequuntur, non matrem *(L. Filios 3 C. de municip. et orig.)*.

Si autem quaeratur quid dicendum si filii sint illegitimi, respondemus; supposita dispensatione ab irregularitate ex defectu natalium, cum filii illegitimi matrem *(L. Cum legitimae 19 D. de stat. hom.)* quoad originem sequantur, eos episcopum proprium habere vel originis vel domicilii ipsius matris. Item *de expositis*, cuius parentes ignorantur, dicendum est, episcopum nempe proprium esse illum dioeceseos in qua iidem orti sunt. Si vero id non constet, episcopus erit dioeceseos in qua exponuntur et baptizantur. Neophyti quoque censentur originarii loci in quo baptizantur *(Paulus III Const. « Cupientes » 21 Martii 1524)*. Ut satis apparet, applicatio horum principiorum *in casibus practicis* quandoque difficilis est, et huc spectant resolutiones SS. CC. in quibus tamen nobis immorari non licet (1).

Si tamen pater illius qui in alieno loco natus est, tamdiu et eo animo ibi permanserit ut inibi *quasi domicilium* contraxerit, tunc non origo patris, sed filii determinaret episcopum proprium ratione originis.

Ceterum, notandum est hanc originis competentiam nunquam cessare, et licet unus aut alter ex aliis titulis accedat, episcopum originis nunquam desinere esse *episcopum proprium*.

248. Ut quis vero sit episcopus proprius ordinationis *ratione beneficii* requiritur

a) Ut beneficium sit *possessum* et quidem *possessione pacifica;*

b) ut taxam adaequet synodalem illius dioecesis in qua beneficium exsistit.

Beneficium autem potest esse vel *simplex* vel *curatum* vel *liberae collationis* vel *iuris patronatus;* quin imo sufficit etiam *coadiutoria cum futura successione,* modo coadiutor, vivente

(1) V. *Zamboni, Collectio Declarationum S. C. C. v. Sacramentum Ordinis* § 2.

adhuc coadiuto, praebendam congruam iam percipiat; tum *commenda perpetua* quae plenam dat beneficii ecclesiastici administrationem etc. Non tamen sufficerent pensiones licet perpetuae et ecclesiasticae, idest a Pontifice impositae super beneficiis, uti et cappellaniae *laicales* tam ad nutum mobiles, quam perpetuae aut mera officia licet ecclesiastica; haec enim omnia sensu proprio beneficia dici nequeunt. Sedulo tamen attendatur, hic non agi de beneficio prout est *titulus ordinationis,* sed prout determinat *episcopum proprium.*

Inde etiam sequitur, eum qui in diversis dioecesibus habet beneficia, a quolibet illarum episcopo posse ordines suscipere (1).

249. Episcopus *domicilii* ita describitur in citata constitutione Innocentii XII. *Speculatores* § 11: « *Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in alio loco, ut vel per* decennium saltem *in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu, se vere et realiter animum huiusmodi habere, iureiurando adfirmet* ». Analysi instituta huius testimonii omnia facile eruuntur quae ad episcopum *domicilii* rite determinandum faciunt.

Etenim duplex statuitur a Pontifice modus domicilium constituendi; scilicet vel per *decennium saltem* locum incolere, vel maiorem rerum ac bonorum partem cum *instructis aedibus* eodem transferre, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorari.

In utroque tamen casu, peculiarem conditionem statuit omnino adimplendam, ut scilicet *iureiurando* affirmetur animus vere et realiter domicilium constituendi.

250. Denique episcopus potest tamquam proprius ordinare *familiares* suos quoscumque, sub iis tamen conditionibus quas statuit conc. trid. *(Sess. XXIII. c. 9 de Ref.).*

(1) Cf. plures casus practicos de ordinationis episcopo proprio in declarationibus S. C. C. ad Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 8. de Reform. in edit. Pelella Neapol. 1859. num. 6 sqq.

Porro *familiaris* ille dicitur *qui in actuali episcopi servitio est, et eius sumptibus alitur.*

Conditiones vero ita statuuntur a conc. trid. (l. c.): « Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus et beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat: consuetudine quacumque etiam immemorabili, in contrarium non obstante ».

Triennium tamen computatur etiam ante initum episcopatum.

Beneficium demum de quo loquitur concilium, debet ab episcopo conferri intra unius mensis spatium.

251. Ad legem ecclesiasticam qua praecipitur ut omnes ordinari debeant ab episcopo proprio, refertur usus litterarum quae dicuntur *dimissoriae.* Litterae enim dimissoriae sunt delegatio facultatis facta episcopo alieno conferendi ordines non subdito. Qua in re notandum est, litteras dimissorias distingui a litteris *testimonialibus* quamvis ambae requirantur. Litteris enim testimonialibus continetur testimonium de requisitis ad ordines suscipiendos, quoad eum qui debet ordinari; dimissoriae vero facultatem continent datam ab episcopo proprio, ut ille possit ab alieno episcopo ordinari. Dimissoriae autem conceduntur quando vel episcopus est impeditus quominus ordines conferat, vel subditus annuente episcopo degit extra dioecesim. Cum autem episcopus ordinans, ne indigno ordines conferens peccatis communicet alienis, nosse debeat, eum qui ordinandus est qualitates requisitas habere, hinc simul cum dimissoriis dantur testimoniales, quae vel adduntur vel inseruntur ipsis dimissoriis. Hinc patet dari quandoque testimoniales litteras, non vero dimissorias. Sic ex. gr. vicarius capitularis *tempore luctus* (hoc est nondum expleto anno a Sedis vacatione) *clericis non subditis* degentibus in dioecesi, et a proprio episcopo ad ordines recipiendos dimissis, concedit litteras testimoniales.

252. Praeter litteras dimissorias et testimoniales, sunt etiam hic commemorandae litterae *commendatitiae,* quatenus ad ordines pertinent; et eae sunt quae dantur a praelato regulari *Nullius,* clericis saecularibus ad ordines recipiendos, licet sint eius subditi *(Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 10 de Ref.).* Cum enim quoad clericos saeculares concilium tridentinum facultatem ademerit abbatibus etiam *Nullius,* ordines conferendi, dici non pos-

sunt vero et proprio sensu litterae dimissoriae, neque tamen sunt simpliciter testimoniales; hinc peculiari nomine dicuntur commendatitiae.

253. Litterae vero dimissoriae, quae gratis dandae sunt (1), non expirant morte concedentis aut cessatione eius iurisdictionis, nisi *re integra* ab eo fuerint revocatae; uti et revocari possunt re adhuc integra ab eius successore. Attamen litterae dimissoriae plerumque conceduntur certo definito tempore, intra quod ordines suscipi debeant, etiam ea de causa, quia possunt interim mores ordinandi mutari vel aliquid canonicum impedimentum induci. Testimoniales vero litterae dari debent non solum ab episcopo proprio, sed etiam ab iis omnibus episcopis in quorum dioecesi eo tempore ordinandus moratus sit, ut ibi potuerit canonicum impedimentum aliquod contrahere (2).

254. De poenis vero ecclesiastica lege statutis, si ea quae dicta sunt non serventur, ac generatim si ordinum receptio vel collatio rite non fiat, sub finem huius tituli data opera agendum erit, spectata potissimum recente Apostolica constitutione quae incipit « *Apostolicae Sedis* ».

§ II. *De lege interstitiorum deque temporibus ordinationum.*

255. Collatio ordinum ut rite fiat, lex ecclesiastica requirit: I. ut certa temporum spatia unum inter et alterum suscipiendum ordinem interiaceant, quae lex *interstitiorum* dicitur; II. ut statis anni temporibus ordinum collatio fiat, quae lex *temporis ordinationum* appellatur.

256. Lex interstitiorum duplici ex causa dimanat, scilicet:

a) ut ordinatus aptius exerceri possit in muniis ordinis iam recepti;

b) ut etiam in suae vitae ratione melius probari possit, priusquam ad superiores ordines promoveatur.

Hinc lex interstitiorum antiquissima est, quemadmodum antiquitatis christianae monumentis comprobatur.

Etenim I. in ipsa antiquiori Ecclesiae disciplina, luculenta

(1) Conc. Trid., *Sess. 21. c. 1 de Ref.*

(2) Pius IX, *Const. « Apostolicae » inter Suspens. lat. sent. n. IV.*

exstant servatae legis interstitiorum monumenta, *Bened. XIV Const. Etsi pastoralis 26 Maii 1742 § 7. n. 16* (cf. *Hallier. de ss. Ordin. p. III. sect. 7. a. 7*).

II. In iure vero Decretalium plures extant canones qui ad interstitia in ordinum collatione servanda referuntur: nominatim vero *cap. Literas 13 de Temp. ord. (I. 11),* ubi Innocentius III statuit, ut duo sacri ordines non conferantur eidem uno die, vel duobus continuato ieiunio (ut in rubrica), addita suspensionis poena pro tali modo promoto; tum *cap. Dilectus 15 h. t.* ubi idem sancitur: ad quos textus conferantur DD.

III. Concilium tridentinum vero ea accuratissime statuit, quae ad legem interstitiorum pertinent; sane

a) Sess. XXIII. c. 11 de Ref. de ordinibus minoribus praecipit, ut per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur. Nominatim vero ut nonnisi post annum a postremo gradu ordinum minorum ad sacros ordines aliquis promoveatur.

b) Sessione eadem (c. 13) statuit ut nemo a subdiaconatu ad diaconatum progrediatur si per annum saltem in eo non sit versatus, nisi aliud episcopo videatur. Itemque ibidem (c. 14) neminem dicit assumendum ad presbyteratus ordinem nisi in diaconatu ad minus annum integrum ministraverit (1).

c) Controvertitur tamen utrum liceat uno eodemque die conferre minores ordines cum subdiaconatu, licet id communiter non fiat (2). (Vide *Benedictum XIV. Institutione 106 cum qua tamen conferenda Sac. Congr. Conc. in Boven. Ord. 7 Maii 1707, et Calarit. Ord. 21 Febr. 1728*). At commune est ut duo minores ordines eodem die conferantur etiam cum tonsura, vel etiam omnes.

d) Sufficit tamen ut annus requisitus a lege interstitiorum sit ecclesiasticus ex. gr. a quadragesima ad quadragesimam, non vero annus civilis seu tempus duodecim mensium completorum. At sufficit etiam annus naturalis civilis completus, si nondum elapsus sit annus ecclesiasticus, ob variam diem solemnitatis paschalis.

(1) Cf. Giraldi, (*Expos. Iur. pont. par. 2. sect. 101*).
(2) *Ib., part. I. sect. 87.*

257. Ad legem ecclesiasticam interstitiorum refertur etiam illa Ecclesiae sanctio, qua ordinatio per *saltum* vetatur. Nam ita interstitia servanda praecipiuntur, ut ab uno ad alterum ordinem fiat gradus, servato eo modo quem Ecclesia statuit. Ordinatio autem per saltum ea est, in qua aliquis ad altiorem ordinem, quin inferiorem receperit, promovetur.

Ad hanc autem faciunt quae sequuntur:

a) in iure Decretalium, ordinatio per saltum omnino prohibetur, idque patet ex titulo *De clerico per saltum promoto cap. unic.* (V. 29).

b) In concilio tridentino Sess. XXIII. cap. 11 de Ref. eadem lex asseritur, ut quis scilicet de gradu in gradum ascendat.

258. Attamen in antiqua Ecclesiae disciplina, paullo aliter usus obtinebat, quod etiam solet confirmari auctoritate s. Thomae *(in Supplemento, quaest. XXV. art. 3)* ubi ait: « In primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu, ducatus in regno ». Verum potissima huius disciplinae ratio repetenda est *ex stadio inchoationis*, in quo ad necessitatem fidelium opus erat, ut praetermissis ordinibus inferioribus aliquis alioquin dignus statim ad presbyteratum assumeretur. Quod profecto, aucto sacerdotum numero, necessarium amplius non fuit (1).

259. Ordinatio tamen per saltum est *illicita* quidem, sed non *invalida*, adeoque non debet iterum conferri ordo collatus (2). Excipitur tamen si quis ordinatur in episcopum omisso presbyteratu. Ratio in eo est, quod episcopatus habeatur ut sacerdotii *plenitudo* ac *perfectio*, quae natura sua sacerdotium ipsum quod perficit supponit.

260. Episcopus potest dispensare cum ordinatis per saltum, post peractam poenitentiam et suppletis ordinibus omissis, si tamen non ministraverint in ordine suscepto, et adsit legitima causa *(Conc. Trid. Sess. XXIII. c. 14 de Ref.)*. Si vero ministraverint, fiunt ex dictis (218) irregulares et reservatur dispensatio Summo Pontifici.

(1) Cf. Thomassin., *Vetus et nova Eccles. discipl. Par. I. lib. 2. c. 35.*
(2) S. Th., *in IV. dist. 24. q. 1. a. 2. q. 5.*

261. Altera lex ecclesiastica pertinens ad collationem ordinum ea est qua *tempus praescribitur* ut id fiat. Huc pertinet testimonium S. Gelasii I. in epistola ad episcopos Lucaniae cap. 2, cum quo confer *cap. De eo, de Temp. ord.* (I. 11).

Ad huiusmodi tempora ordinibus conferendis statuta, pertinet ecclesiastica lex ieiunii quod dicitur *quatuor temporum;* ad id enim institutum fuit, ut fideles precibus et poenitentiae operibus Deum deprecentur, ut Ecclesiae suae dignos ministros concedat.

Speciatim vero ad tempus quod attinet ordines conferendi, si singillatim spectentur, haec sufficiant :

a) tonsura conferri potest quacumque die, hora et loco.

b) Minores ordines (nisi adsit forte immemorabilis consuetudo contraria) iuxta pontificale romanum conferuntur mane tantum : licet conferri possint diebus festis de praecepto et dominicis ; idque si agatur de uno vel duobus, imo etiam de pluribus, dummodo non videatur ordinatio generalis.

c) Ordines vero maiores, excepto peculiari Sedis Apostolicae privilegio, nonnisi statis temporibus conferri possunt; quod privilegium dicitur *indultum suscipiendi ordines extra tempora.* At quando ita ordines conferuntur, conferri debent diebus festis, in quibus sit praeceptum audiendi missam, non vero si solum habeatur ritus duplex. Facultas autem recipiendi ordines extra tempora, per se confertur solum a Summo Pontifice, sed quandoque episcopis quoque inter alias facultates *quinquennales,* iisdem additis conditionibus, haec potestas conceditur.

§ III. *De titulo ordinationis.*

262. Quemadmodum ad collatorem pertinent ordinum sacrorum, ea quae hactenus dicta sunt; ita ad suscipientem referuntur ea quae spectant ad *titulum ordinationis et ad aetatem et qualitatem ordinandorum,* de quibus modo dicturi sumus.

263. Fundamentum quo lex ecclesiastica innititur praecipiens ne quis ordinetur absque titulo, est ne ordinatus cum dedecore sui status ob inopiam mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere cogatur. Quae verba sunt Conc. Trid. Sess. XXI. cap. 2. Liquet autem haec de clericis saecularibus esse intelli-

genda, nam regulares, ut dicemus, ordinantur nihilominus titulo *religiosae paupertatis*.

264. Ea quae apud varios auctores (1) de titulo ordinationis disputantur, hoc imprimis logico idearum nexu possunt exhiberi:

a) Generatim loquendo ex sacra ordinatione, sicut acquiritur peculiaris potestas in sacramentorum administrationem in bonum fidelium, ita et officium oritur in iis qui hanc potestatem acquirunt, ut aliquo modo eam quoque exerceant (157. *a*). Hinc addictio alicui ecclesiae (excepta *immediata subiectione* Apostolicae Sedi, ut in regularibus modo viget) eo saltem sensu, ut episcopi arbitrio, ordinatus in dioecesi inserviat, videtur includi in ipso conceptu sacrae ordinationis.

b) Hinc intelligitur, cum hac addictione connecti, ut ordinatus sustentationem congruam percipiat ex ea ecclesia cui inservit. Porro huiusmodi ius *(in re)* exhibet nobis *titulum* ordinationis quatenus ex ordinis susceptione ius huiusmodi acquiritur.

c) At vero hoc potest concipi duplici modo fieri: vel ita ut *ex bonis Ecclesiae* quocumque ex fonte proveniant (hoc est vel immobilibus vel mobilibus vel ex possessione Ecclesiae, vel ex spontaneis fidelium oblationibus), in unicam massam redactis et in plenam episcopi administrationem commissis, singulis clericis ea quae ad congruam sustentationem requiruntur, suppeditentur; vel ita ut iam singulis ecclesiasticis officiis sua sit assignata *praebenda,* adeoque antequam quis ordinetur, aliqua ex istis eidem sit assignanda. Patet autem, utroque modo ius illud ad congruam sustentationem haberi, quo continetur, ut diximus, *essentialis nota* tituli ordinationis.

d) Iam vero, primus modus exhibet, quantum satis est, generalem indolem ecclesiasticae disciplinae circa titulum ordinationis ante institutionem *beneficiorum ecclesiasticorum* proprio sensu. Sive enim qui ordinabantur alicuius determinatae eccle-

(1) Ducange Gloss. V. *titulus;* Schmalzgrueber, *ad tit. 11. lib. I. Decret.* § *6. nn. 52-59. et generatim DD. in h. t.;* Ben. XIV, *De Syn. lib. XII. c. 9. n. 1;* Phillips, *Op. cit.* § *57;* Ferraris, *Bibl. V. ordo, a. 2. nn. 83-112, coll. V. titulus n. 31 etc.*

siae servitio modo stabili addicerentur, sive ad episcopi nutum in dioecesis ambitu ecclesiasticis ministeriis fungerentur nulli loco addicti stabili modo, omnes in ea Ecclesiae disciplina ex communi bonorum ecclesiasticorum massa sustentabantur. Alter vero modo exhibet titulum illum qui dicitur ***beneficii,*** quique etiam in praesenti Ecclesiae disciplina proprie loquendo ***verus*** est titulus ordinationis, adeo ut reliqui non sint nisi ***subsidiarii;*** qui proinde nonnisi adiectis quibusdam conditionibus admittuntur.

e) Si igitur de hac praesenti disciplina loquamur, seposito interim titulo religiosae paupertatis, duplex est ordinationis titulus, ***beneficii*** nempe et ***patrimonii.*** Titulus beneficii, ex dictis supponit, eum qui ordinatur iam destinari legitima ratione ad aliquod ecclesiasticum beneficium, ad quod proinde possidendum ius habet. Porro notandum est:

aa) requiri ut beneficium sit sufficiens ad honestam sustentationem, detractis oneribus eidem impositis (1);

bb) requiri ut beneficium sit sufficiens per se, quatenus scilicet ex eiusdem fructibus, iuxta synodalem taxam congrua sustentatio habeatur. Nil tamen obest si ex duobus beneficiis, compatibilia modo sint, quorum unumquodque insufficiens per se est, simul possessis sufficientia haec habeatur. Attamen est plurium sententia, quae tenet, adiectione patrimonii suppleri posse id quod deficit in fructibus beneficii (2).

cc) Designatio vero quantitatis, quae sufficiens sit, pendet ab episcopo et locorum consuetudine: proindeque varia est pro diversis locis. Si habeatur taxa synodalis, quod plerumque contingit, eidem standum est; si vero non suppetat, servandus est mos regionis, qui hoc ipso censeri potest ab episcopo approbatus. Huic principio innititur resolutio illius controversiae, utrum beneficii redditus debeant computari iuxta taxam vigentem in dioecesi domicilii, an in dioecesi ubi est beneficium. Distinctum enim est inter beneficium quod adnexam habet obligationem residendi, et beneficium quod eam obligationem non habet: in

(1) S. C. C. pluries id statuit; V. Ferraris, l. c. nn. 106.-109.

(2) Non est huius loci de variis beneficiorum ecclesiasticorum formis disserere.

primo casu norma debet esse taxa synodalis loci in quo situm est beneficium, in altero vero taxa synodalis loci in quo beneficiatus domicilium habet. Ratio est evidens: cum enim sufficientia tituli pendeat ex eo, utrum habeatur vel non, congrua sustentatio, clarum est hoc determinari ex loci conditione quo beneficiatus resideat.

dd) Titulus autem beneficii non modo debet esse sufficiens sed legitimus; adeoque non *litigiosus*, sed *pacifice possessus*, simulque ea ratione constitutus ut stabilitatem praeseferat.

f) Titulus beneficii hactenus expositus, siquidem semper rite haberi posset, verus atque unicus titulus esset ecclesiasticae ordinationis; cohaeret enim cum illa fundamentali idea, qua diximus contineri ipsam indolem hac in re ecclesiasticae disciplinae. Verum quia fieri potuit ut variis de causis alicubi, vel etiam in pluribus dioecesibus tot ecclesiastica beneficia non suppeterent, quot necesse fuisset ad congruum clericorum numerum sustentandum; hinc ne inopia haberetur spiritualium auxiliorum, permissum est clericis ordines recipere, si aliunde quam ex beneficio sibi possint providere, nominatim vero si de suis vel de paterna haereditate, ea quae ad vitam tuendam requiruntur habere possent. Hic titulus dicitur *patrimonii*. Diximus autem si *aliunde*, nam non opus est ut ex bonis paternis, vel ex propriis dumtaxat, patrimonium constituatur; potest enim a quolibet in bonum clerici constitui.

At quoad huiusmodi patrimonii titulum notandum est

aa) eum non esse nisi subsidiarium, quod patet tum ex eius origine, tum etiam ex modo quo de eo loquitur concilium tridentinum (Sess. XXI. cap. 2 de Ref.). Concilium enim vetat ne posthac aliquis titulo patrimonii seu pensionis ordinetur, nisi id episcopus conveniens iudicaverit *pro necessitate* vel *commoditate* suae ecclesiae. Iam vero haec adiecta conditio necessitatis vel utilitatis, ostendit nonnisi per quamdam *indulgentiam* et ob deficientiam tituli beneficii id permitti. Id autem cohaeret cum illa idea fundamentali superius exposita.

bb) Insuper ex eodem concilio (l. c.) requiritur ut patrimonium seu pensio sint pacifice possessa, hoc est ab iis quibus confertur vere obtineantur, simulque ad vitam sustentandam pro locorum conditione, et status decore sufficiant; hinc sine episcopi

licentia neque alienari, neque extingui, neque remitti ullatenus possunt donec qui illa habent, proprie dictum beneficium legitimum et sufficiens adepti fuerint.

g) Quae hactenus recensuimus ad disciplinam pertinent in Ecclesia vigentem ex iure tridentino circa titulum ordinationis. At vero constat in praesenti Ecclesiae statu pluribus in regionibus, imo vix non ubique, ex miserrima bonorum ecclesiasticorum conditione aliisque de causis, leges tridentinas adamussim non posse servari. Hinc mirum non est, sive ex consuetudine saltem ***tolerata,*** sive ex benigna Sedis Apostolicae concessione, pluribus in regionibus varios invaluisse modos (1) determinandi titulum ordinationis, diversos a statutis in concilio tridentino. Quin imo in ipso oecumenico concilio vaticano propositum fuit schema decreti de titulis ordinationis, in quo haec mutata rerum conditio ut norma adhibebatur quaedam immutandi in decretis tridentinis: sed huiusmodi decretum, sicut et alia ad disciplinam spectantia, ad exitum deduci non potuit.

h) De titulo vero religiosae paupertatis, cum ad regulares pertineat, agemus in fine tituli, ubi sermo erit de ordinatione regularium.

§ IV. *De aetate et qualitate ordinandorum.*

265. Ad suscipientem ordines spectant quoque leges ecclesiasticae de requisitis in iis qui ordinantur. Huc in primis pertinet aetas quae varia est pro variis ordinibus. Praesens hac in re Ecclesiae disciplina, prout statuitur a concilio tridentino haec est:

a) quoad primam tonsuram, concilium ea loquitur ratione (Sess. XXIII. cap. 4 de Ref.) ut supponat aetatem saltem ab infantia egressam. Ait enim: « *prima tonsura non initientur qui* « *sacramentum Confirmationis non susceperint quique legere et* « *scribere nesciant, et fidei rudimenta edocti non fuerint* ». Quod multo magis valet pro minoribus ordinibus.

b) Quod vero spectat ad ordines maiores idem concilium

(1) Pro Gallia confer ex. gr. Craisson (Manuale I. C. n. 2010); pro Germania Aichner (op. cit. § 65. n. 5 sqq.), Vering (I. C. § 58).

(ibid. cap. 12) haec diserte statuit: « *Nullus in posterum ad* « *subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaco-* « *natus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesi-* « *mum quintum aetatis suae annum promoveatur* ». Notandum quidem est, ut alias diximus, annum incoeptum haberi pro completo, requiri tamen ut omnino sit incoeptus. Quibus profecto aetas ad singulos ordines maiores omnino determinatur. Concilium autem tridentinum non novum aliquod ius hac in re instituit, sed antiquum ex Decretalibus vigens confirmavit.

266. Praeter aetatem, *qualitas requiritur ordinandorum,* quo nomine maxime veniunt *scientia* et *pietas.*

De his diserte loquitur idem concilium tridentinum pro singulis ordinibus. Nam ad scientiam quod spectat, haec statuit:

a) pro initiandis primae tonsurae, ut praeter fidei rudimenta legere et scribere sciant.

b) Minores vero ordines iis esse conferendos, qui saltem latinam linguam intelligant.

c) Subdiaconos vero et diaconos instructos esse oportere literis et iis quae ad ordinem exercendum pertinent.

d) Ad presbyteratus vero ordinem, nonnisi eos esse adsumendos qui idonei comprobentur, diligenti examine praecedente, ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad sacramenta administranda.

Quod vero pertinet ad pietatem, tum de omnibus dicit oportere ut bonum habeant testimonium, tum singillatim de singulis ea requirit, quae pro diversa ordinis ratione eos dignos Dei ministros efficiant (ibid. capp. 4, 11, 14).

267. Ut haec certiora quo fieri possit exsistant, duplex medium statuitur ex antiquissima Ecclesiae disciplina, nempe *proclamationes* et *scrutinium.* Utrumque tamen in Decretalibus *(lib. 1, tit. 12)* sub scrutinii nomine venit.

Triplex enim scrutinium in ordine faciendum distinguunt doctores. Primum ab episcopo committitur parocho qui tum aliis mediis adhibitis, tum potissimum proclamando ordinandorum nomina in ecclesia, inquirere debet utrum exsistant canonica impedimenta vel alia quaelibet, quae minus dignos illos efficiant. Secundum fit ab ipso episcopo, adhibitis quibusdam e clero gravioribus viris, paucis diebus ante ordinationem, in eo-

que iterum de singulis ordinandis quaeritur, utrum debita habeant ad recipiendos ordines requisita. Tertium denique pro quibusdam dumtaxat ordinibus, scilicet pro diaconatu et presbyteratu, fit in ipsa ordinatione cum episcopus ab adstantibus sciscitatur, an aliquid habeant adversus promovendos ad illos ordines. Ratio autem cur huiusmodi multiplex scrutinium fiat, ea est ut digni solum ad ordines promoveantur, et episcopus ordines conferens indignis, non communicet peccatis alienis.

Cum hoc proinde sit huius legis ecclesiasticae fundamentum, fieri potest ut si alia adhibeantur media aptiora, quaedam ex recensitis possint praetermitti. Hoc valet in primis de proclamationibus. Quamvis enim concilium tridentinum (Sess. XXIII. cap. 5) eas faciendas omnino praeceperit, et etiam recentissimis temporibus in quibusdam dioecesibus lex tridentina fuerit iterum in usum deducta (1), in plerisque tamen, proclamationibus proprie dictis substituta sunt *testimonia,* quae ad eamdem notitiam ordinandorum habendam, variis ex fontibus hauriri commode possunt (2).

§ V. *De ordinationibus regularium.*

268. Quemadmodum in constitutione Innocentii XII quae incipit « *Speculatores* » superius commemorata, ad magis determinatam formam redactae sunt leges ecclesiasticae circa ordinum receptionem, ita et ea quae peculiari modo ad regulares pertinent, proposita sunt a Benedicto XIV *const.* « *Impositi Nobis* » *27 Febr. 1747 (Bul. Ben. XIV tom. II. pag. 82. Ed. Ven. 1778).* In hac enim Pontifex tum ea omnia commemorat quae a suis praedecessoribus Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, Innocentio XIII, sancita fuerant, tum accuratissime leges ab iis datas confirmat, additis etiam quibusdam aliis praescriptionibus, adeo ut haec constitutio etiam nunc habeatur tamquam norma, in hac materia omnino sequenda.

Iam vero ex his quae ibi continentur haec statui debent circa regularium ordinationes.

(1) Ita *Conc. Prov. Aven. 1849 ap. Craisson, op. cit. n. 2053.*
(2) Cf. *DD. ad tit. 12. lib. I. Decret.*

a) Si quaeratur quinam sit episcopus *proprius* regularium, distinguendum omnino est inter illos ordines qui ob *speciale Apostolicum privilegium* gaudent facultate, ut ordinari possint ii qui ad eos pertinent *a quolibet episcopo communionem habente cum Sede Apostolica,* et ordines qui hoc privilegio non fruuntur. Primi enim *dimissorias* ad ordines recipiendos habent a suis praelatis, ita ut ad quemlibet episcopum dirigi possint; secus vero alii, ut mox dicemus.

b) Notandum tamen, ad hoc ut huiusmodi privilegium vere habeatur, opus esse ut

primo, sit *concessum* vel *confirmatum in forma speciali post concilium tridentinum.* Quum enim concilium tridentinum *(Sess. XXIII. cap. 10 de Ref.)* omnia antiqua hac de re privilegia sustulerit, hinc necessarium est ut huiusmodi privilegium iterum datum fuerit;

secundo, insuper ut datum sit ipsi ordini *directe,* non vero per *communicationem,* ut dicitur, ab alio ordine illud directe habente derivetur:

c) qui vero huiusmodi privilegio non gaudent, haec quoad episcopum, a quo tamquam proprio ordines recipere debent, servare praecipiuntur:

primo, episcopus proprius regularium non est episcopus *originis;* verum

secundo, est ille in cuius dioecesi situm est monasterium vel domus religiosa;

tertio, literae dimissoriae a superiore *ad hunc solum* dari debent, et ab eo regulares debent proinde ordines recipere;

quarto, si tamen episcopus sit *legitime* impeditus, tunc superior regularis potest dimissorias dare ad alium episcopum; sed ut sive episcopus ordinans, sive regularis ordinatus, non incurrant poenas canonicas statutas contra ordinantes alienum subditum, aut recipientes ordines ab episcopo non proprio, necesse est ut habeatur testimonium curiae episcopalis dioecesanae de exsistentia impedimenti quominus ab episcopo proprio ordines conferantur.

d) Denique animadvertendum est, has leges *per se* latas esse pro veris religiosis ordinibus, qui nempe vota habent solemnia. Si vero agatur de institutis *votorum simplicium,* nisi habeant

speciale apostolicum privilegium, iuxta sanctiones iuris communis, ad ordines quod spectat, reguntur.

269. Titulus vero quo regulares proprie dicti ordinantur; est titulus *religiosae paupertatis*. Cum enim regulares communem vitam degant et Apostolicae Sedi immediate subiiciantur, hinc ex ipsa eorum vitae ratione sive ex fidelium oblationibus, sive aliis mediis a Sede Apostolica approbatis, vitam tueri possunt. Congregationes vero regulares votorum simplicium, *per se* etiam quoad hoc communi iuri subiiciuntur, nisi peculiari privilegio aliquid iis fuerit hac in re a Sede Apostolica largitum.

270. Quamvis porro regulares dimissorias literas recipiant a suis praelatis, ut dictum est, debent tamen vel saltem possunt ab episcopo a quo ordines recipiunt examinari. Si tamen episcopus certam iam de eorum scientia vel per se vel per alios notitiam haberet, posset etiam examen omittere.

271. Denique pro iis regularibus qui indultum habent apostolicum ut *extra tempora* ordines recipere valeant, viget quidem huiusmodi privilegium, at simul oportet ut debita ab iis episcopo ordinanti reverentia habeatur, ne nimis importune ordines quolibet tempore requirant, potissimum vero si brevi post tempore ab eorum postulatione, generalium ordinationum tempus recurrat. Quod vero ad legem attinet interstitiorum, ea quoque cautione adhibita, si ab iis dispensationem obtinuerunt, ea iure uti possunt.

Haec potissima sunt quae ab iure communi differunt in ordinationibus regularium.

Scholion I.

Nihil hactenus diximus de poenis a iure statutis pro ordinum collatione vel receptione eidem adversa. Iam vero sepositis iis quae ad ius antiquum pertinent (1), ius *vigens* his capitibus continetur, inspectis tum legibus tridentini qua parte immutatae non sunt, tum potissimum constitutione « *Apostolicae Sedis* » (2) qua censurae latae a iure limitantur.

(1) *Thesaur. De Poenis V. Ordo.*

(2) Cum hac cf. notas quas eidem subiecit ad illustrationem Petrus Avanzini, Romae 1870.

Inter suspensiones *latae sententiae* Romano Pontifici reservatas hae recensentur:

(Sub num. III). Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso iure incurrunt, aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta (Cf. Conc. Trid. *Sess. XXI. cap. 2 de Ref. coll. Cap. Cum secundum 16 de Praeb.*). Nota in *Cap. Si quis 45 de Simon.* statutam etiam fuisse eamdem poenam, pro *exercitio ordinis* quoad ordinatum, ut scilicet sit per triennium suspensus. Hinc habetur *limitatio* quoad hanc partem quae amplius non viget.

(Sub num. IV). Suspensionem per *annum* ab ordinum administratione ipso iure incurrunt, ordinantes *alienum* subditum, etiam sub praetextu *beneficii statim conferendi,* aut *iam collati sed minime sufficientis*, absque eius episcopi literis *dimissorialibus,* vel etiam subditum *proprium* qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii illius loci literis *testimonialibus.* Ubi notandum est iam ex const. Innocentii XII. *Speculatores* §§ IV. et V. praeceptum fuisse ut testimoniales haberentur ab episcopo originis et domicilii, hic autem insuper addi, ut habeantur a *quolibet* episcopo in cuius dioecesi ordinandus tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum ibidem contrahere potuerit. Porro aetas septennio maior sufficit ad censuras et irregularitates incurrendas, sicuti et mora longior semestri satis est ut status liberi testimonium exhiberi debeat.

(Sub num. V). Suspensionem *per annum* a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii, clerico in aliqua Congregatione viventi in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

(Sub num. VI). Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt religiosi eiecti, extra religionem degentes. Cuius suspensionis ratio est, quia titulo carent suae ordinationis et ecclesia cui sint adscripti. Quod vero apostatae et fugitivi hac poena non mulctantur, forte exinde est, quod ordo regularis *per se* etiam adhibito *brachio saeculari* ius habeat eos ad claustra reducendi ibique puniendi antequam eos eiiciat.

(Sub num. VII). Suspensionem ab ordine suscepto *ipso iure*

incurrunt, qui eumdem ordinem recipere *praesumpserint* ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, *nominatim denuntiatis,* aut *ab haeretico* vel *schismatico notorio.* Eum vero qui *bona fide* a quopiam eorum est ordinatus, *exercitium* non habere ordinis sic suscepti *donec dispensetur* declaratur. Ex iis quae diximus de dispensatione (77, IV. *b, aa*) patet proinde, in hoc secundo casu episcopum posse dispensare, dum contra in primo dispensatio reservatur Summo Pontifici, et insuper ex alias dictis irregularitas incurritur ob exercitium ordinis sic suscepti.

(Sub num. VIII). Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario, absque licentia Cardinalis urbis vicarii vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario postquam in praedicto examine reiecti fuerint: nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis, quam ad Cardinalem urbis vicarium, vel non praemissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad *beneplacitum S. Sedis,* ipso iure incurrunt; episcopi vero ordinantes ab usu pontificalium per annum. Ubi, ut videtur, triplex est pars distinguenda. *Prima,* clericos saeculares exteros respicit Romae ultra quatuor menses commorantes; *secunda,* clericos attingit e sex episcopatibus suburbicariis; *tertia,* utrosque complectitur, et obligationem iis imponit peragendi exercitia spiritualia ante sacros ordines.

a) Quoad primam distinguitur collatio ordinum et examen subeundum ante ordines. In collatione ordinum distinguitur iterum inter eam quae fit *immediate* ab Ordinario, et eam quae fit ab alio licet cum dimissorialibus Ordinarii: permittitur ordinum collatio in primo casu, vetatur in secundo. Quod vero spectat ad examen, duo statuuntur: scilicet primo, *semper* examen in urbe subeundum esse ab huiusmodi clericis; secundo vero, si in tali examine reiecti fuerint, neque a proprio Ordinario eos posse ordines recipere nulla obtenta venia nulloque examine Romae renovato.

b) Circa vero secundam et tertiam partem recensiti decreti

satis patet ex ipsis verbis, quid praecipiatur sive sermo sit de clericis pertinentibus ad episcopatus suburbicarios, sive de lege peragendi spiritualia exercitia. Sed quaedam animadvertenda sunt de clericis dioeceseon exterarum: iuxta ea quae de hac re habentur in ephemeride quae inscribitur *Acta Sanctae Sedis vol. II. pagg. 585 ad 592*, ubi nominatim sunt attendendae responsiones Congregationis deputatae quae ibi referuntur *pagg. 586 ad 589*.

Haec autem lex quoad omnes suas partes, ut clarum est, neque regulares respicit, neque laicos.

Scholion II.

Vix opus est innuere, in ordinibus conferendis eum ritum esse servandum qui ab ecclesia est statutus et habetur in pontificali romano. Circa vero controversiam utrum alii praeter episcopos ordines possint conferre, sufficit animadvertisse, distinguendum esse inter collationem quae fit ex potestate ordinaria, et collationem quae fit ex privilegio apostolico. Prima unice et exclusive competit episcopis. Secunda si agatur de tonsura et minoribus ordinibus tum abbatibus, tum etiam cardinalibus S. R. Ecclesiae, iuxta illas limitationes quae suo loco recensendae erunt, conceditur: si vero agatur de ordinibus maioribus, omnino negandum est etiam ex privilegio apostolico conferri posse ab alio, quam ab habente ordinem episcopalem, neque satis contrariam sententiam evincunt, utpote dubiae fidei, monumenta quae a quibusdam proferuntur, de quibus paullo inferius aliquid attingemus, spectata potissimum theologorum doctrina ac patrum sententia, de discrimine inter presbyteros et episcopos ex potestate ordinandi potissimum desumpta.

TITULUS VI.

De clericis primae tonsurae.

272. Ex illa generali divisione in clericos et laicos, ex alias dictis (160. 162) facile intelligitur, aptissimum fuisse ut ritu aliquo sacro et externo aliquo signo, fideles in ecclesiasticum coetum adscriberentur. Huc spectat *prima tonsura* qua clerica-

lis initiatio continetur. At simul intelligitur fieri optime potuisse, ut non quidem ullo initiandi ritu, sed externo aliquo signo quo clerici distinguuntur a laicis aliquo saltem tempore Ecclesia caruerit, potissimum ob ethnicorum insectationes. Insuper notandum est, plane esse distinguendum inter *modestiam externam* quam sicut generatim in corporis habitu etiam in coma clerici ob rationem sui status adhibuerint, et peculiarem formam sese attondendi, hoc est *coronam clericalem* seu *tonsuram* gestandi, de qua lege superius dictum est (190). Iam vero

a) ad primum quod attinet, si auctores qui hac de re diligentius tractarunt inspicere velimus haec statui possunt:

aa) generatim christianis omnibus sicuti in reliquis ita et in capitis cultu modestiam fuisse praescriptam. Ac nominatim viris, apostolo teste, (I. Cor. XI. 14, 15) iniunctum ut coman non nutrirent, secus ac foeminis quibus contrarium tribuitur.

bb) Etiam pro eo stadio insectationis quo concipi vix potest clericos *externo aliquo determinato* signo semet a laicis distinxisse, nihil tamen vetat eos sicut et in vestibus, maiorem in capillis tondendis decentiam modestiamque servare consuevisse. Huc referri possunt quaedam ex ecclesiasticis monumentis, quae morem aliquem peculiarem sese attondendi clericis communem ostenderent, quin tamen inde sequatur ad illud tempus tonsurae clericalis institutionem esse referendam.

cc) Cum saeculo IV pax Ecclesiae data fuerit, nil mirum quod etiam exteriori aliquo signo ac peculiari tonsionis forma, *modo magis determinato* clerici a laicis distinguerentur; imo quod sin minus in omnibus in nonnullis saltem ecclesiis, *tonsura* proprie dicta, quin et corona ceperit a clericis adhiberi, quin tamen vero et proprio sensu, tunc primitus instituta dicatur, velut lex universalis. Hoc pacto conciliari possunt sententiae, ut arbitramur, tum eorum qui cum Phillips censent *tempus, quo geri corona clericalis coepta est, haud serius saeculo IV statui posse* (1): tum eorum qui cum Thomassino et Hallerio (2) posteriori aetati illud adscribunt (3).

(1) Phillips, *Du droit eccles. (trad. Crouzet)* § *34.*

(2) Thomass., *Vetus et nova Eccl. discipl. Part. I. lib. 2. cc. 37–42 incl.;* Hallier, *De election. et ordin.... Par. III. sect. 8. cap. 11.* § *2.*

(3) Berardi, *Gratiani canones.... ed. cit. t. IV. pag. 158.*

b) Si vero de ipsa *clericali corona* sermo sit, haud a vero absimile est, eam a monachis primum usurpatam, ad clericos transiisse, atque ita, ut primitus saltem in nonnullis ecclesiis eadem omnino forma, deinceps severiori forma monachi, temperatiori, si ita loqui fas est, clerici uterentur.

c) Cum iis quae diximus, spectata etiam generali consuetudine repetendi ab apostolis originem rituum ecclesiasticorum, quod quidem aliquo sensu (scilicet vel mediate vel immediate) verum est, facile intelligitur cur etiam tonsurae clericalis origo repetatur ab ipsis apostolorum principibus Petro et Paulo, quamvis diverso modo: idque nonnulli Patres serius tamen saeculo IV tradiderint. At quamvis hoc historice verum minime probari possit, potest tamen inde deduci, tum rem ipsam cum indole ecclesiasticae disciplinae apprime cohaerere, tum satis antiquam esse, et dici posse (1).

d) Sexto vero ac septimo saeculo, clerici tonsura et habitu a laicis discreti sunt, licet non eodem tempore mos ille ubique invaluerit.

e) Postquam vero hoc externum signum commune omnibus clericis factum est, accesserunt ecclesiasticae sanctiones, quibus et tonsuram retinendam, et habitum clericalem deferendum statutum est, inflictis etiam contra delinquentes poenis, saltem in privatione clericalium privilegiorum consistentibus. Huc pertinent ea quae hac de re continentur in iure canonico, et novissime etiam confirmata sunt in concilio tridentino et constitutionibus pontificiis (179–182, 193).

f) Ritus vero conferendi primam tonsuram, et mystica eius multiplex significatio, ad nos non spectant. Adiri ad hoc possunt auctores superius allegati.

g) Hinc patet, historicam evolutionem ritus clericalis initiationis:

aa) si consideretur eius *fundamentum*, distinctione inniti clericorum a laicis;

bb) si *modus generalis* attendatur, modestia ac corporis habitu reliquis fidelibus perfectiore contineri;

(1) *Pseudo-Anicetus epist. ad episc. Gall. (Thomass. l. c.); Amalarius, De div. off. c. 5. (ap. Baron. Ann. Eccl. ad ann. chr. 58. n. 130).*

cc) si *modus determinatus* spectetur, tum eum tribuendum esse ideae christianae *regalis sacerdotii* ministrorum Ecclesiae, tum contemptui rerum mundanarum;

dd) si *tempus* denique designari velit, quo hic ritus invaluit, non uno ictu ubique, alicubi tamen eum saeculo IV forte invaluisse, saeculo vero VI vel VII ubique receptum fuisse.

273. Quae hactenus dedimus circa historiam clericalis initiationis, viam nobis sternunt ad rite efformandum eius conceptum, in praesenti Ecclesiae disciplina. Cum igitur huiusmodi initiatio fiat per primam tonsuram et clericalis habitus traditionem, iure ita definitur: « *exterior quidam ritus seu ceremonia* « *ecclesiastica, qua fidelis iam confirmatus, per tonsionem ca-* « *pillorum, vestisque clericalis traditionem divino servitio ad-* « *dicitur in ecclesiasticis ministeriis, et ad minores ordines su-* « *scipiendos disponitur* ». Haec definitio seu potius descriptio, quae a plerisque traditur, ad normam eorum expressa est quae de tonsura clericali statuta sunt in concilio tridentino *(Sess. XXIII. c. 4 de Ref.)*. Brevius dici posset: « *ritus ecclesiasticus quo* « *fidelis clericali caetui initiatur et ad ecclesiasticos ordines dis-* « *ponitur* ».

274. Ex recensita doctrina concilii tridentini, habentur requisita, quae lege ecclesiastica esse debent in eo qui prima tonsura est initiandus. Loquimur autem de *peculiaribus* requisitis, non vero de generalibus ad quoslibet ordines recipiendos, de quibus diximus titulo superiori. Haec igitur sunt:

a) ut qui prima tonsura initiandus est, sacramentum Confirmationis iam acceperit. Hoc tamen intelligi debet *de maxima congruitate,* cui innititur lex ecclesiastica, non vero *de necessitate,* ita ut secus *validitas* ipsa actus destruatur. De hac re consuli potest Barbosa *(Iur. Univ. Eccl. lib. I. cap. 38. nn. 36–40),* simul collato s. Thoma (sup. ad 3 partem q. XXXV. art. 5). Vide supra tit. V, § 4.

b) Ut animum habeat Deo et Ecclesiae serviendi in muneribus ecclesiasticis; est enim veluti introductio ad ecclesiasticos ordines.

c) Hinc sequitur, negandam esse primam tonsuram iis qui talem animum haud praeseferunt, modo id satis aperte constet; quod ex dictis satis intelligitur. Non erit tamen abs re illud re-

ferre quod animadvertit idem Barbosa *(loc. cit. n. 41)*. « *Ex concilio trid. colligitur, tonsuram primam ceterosque minores ordines facile conferendos non esse, nisi iis qui sincerum animum habere videntur in clericali statu permanendi ac Deo serviendi; culpae tamen mortalis damnari non debent, qui sine iusta causa recedunt atque ad ordinum ministeria obeunda incapaces se reddunt, ducendo verbi gratia uxorem viduam; ex ea ratione quia nulla incumbit eis obligatio promissionis aut praecepti ad superiores ordines ascendendi seu in susceptis ministrandi* ». Tum allegat Barbosa pro hac sententia Toletum, Azorium, Laymann, Sanchez, Valentia aliosque contra Caietanum. Et numero 42: « *Similiter qui primam tonsuram vel ordines minores accepit intentione non perseverandi in statu clericali, sed solum ut declinet iurisdictionem fori saecularis, non videtur peccare mortaliter* ». Pro qua item sententia, plures eosque gravissimos profert auctores. Hinc illud quod superius diximus, de neganda tonsura iis qui animum non praeseferunt perseverandi et ministrandi in ordine clericali, intelligi debet de coniectura quae satis apertis indiciis sese prodat: nullatenus vero de subiectiva animi comparatione.

275. Cum prima tonsura initiatio sit in ordinem clericalem, illud quoque intelligitur, per eam participem clericum fieri iurium seu privilegiorum ordinis clericalis, sive ea praerogativis sive immunitatibus sint adscribenda.

Scholion

Vix opus est controversiam illam hic attingere, quam plures antiquiores canonistae operose discutiendam aggrediuntur; utrum scilicet prima tonsura sit *ordo sacer* proprie dictus et *sacramentum,* an vero simplex ritus sacer et ad ordines praeparatio. Neque enim modo est sive inter theologos sive inter canonistas, qui hanc secundam sententiam non sequatur. Liceat tamen animadvertere, nobis minus probari eam loquendi rationem, quae etiam apud quosdam recentiores reperitur (1), scilicet in hac quaestione aliam esse sententiam theologorum, aliam canoni-

(1) Craisson, *Manuale I. C. n. 1667.*

starum, ut canonistis plerisque tonsura sit ordo et sacramentum non vero theologis; hoc enim mirum est. Cum igitur res apud omnes modo sit eliquata, non est talis momenti haec controversia, ut etiam eruditionis gratia in ea immorari debeamus. Qui vult conferat Barbosam (1) utramque referentem sententiam allegatis auctoribus, quamvis n. 47 nulli adhaereat, et solutionem proponat quae, ut verum fateamur, extra quaestionem vagatur; quod scilicet canonistae de sensu *improprio,* theologi vero de *proprio* sensu huius vocis *ordinis* loquantur; quod omnino est extra quaestionem. Item mordicus sententiae, quae tenet tonsuram esse ordinem et sacramentum, adhaeret Fagnanus, qui *utitur* et *abutitur* textibus iuris, et quibusdam constitutionibus pontificiis, ac responsionibus SS. Congregationum ad id evincendum *(In cap. Cum contingat de aet. et qualit. et ord. pref. nn. 10 seqq. atq. fere per integrum caput).*

Ritus vero primae tonsurae ac clericalis initiationis habetur in Pontificali Romano sub titulo « *De clerico faciendo* ».

TITULUS VII.

De clericis in minoribus ordinibus constitutis.

276. Brevissime ea nobis expedienda veniunt, quae ad minores ordines spectant, prout in iure ecclesiastico sunt considerandi. Vix enim aliquid dicendum est praeter eorum notionem.

277. Notandum in primis est, si quaeratur de origine horum ordinum qui dicuntur minores, eam praeferendam esse sententiam, quae tenet, ex functionibus ordinis subdiaconatus quasdam fuisse detractas et ex singulis inferiores quosque ordines constitutos. Hinc apparet, quo sensu dici possint ex institutione apostolica, quin et divina eos dimanasse. Seposita enim quaestione, utrum hanc divisionem apostoli ipsi per se fecerint, quod certis argumentis evinci non potest; hoc sensu semper ab apostolis hi ordines dimanare dicendi sunt, quatenus potestate a Christo apostolis eorumque successoribus tributa, ea divisio facta est.

(1) *I. E. U. lib. I. c. 28. nn. 45-48.*

Insuper animadverti quoque debet, discrimen hac in re esse inter latinam et graecam Ecclesiam. Graeca enim Ecclesia ex iis minoribus ordinibus, qui in Ecclesia latina frequentantur, unum habet lectoratum (1). Dum contra latina Ecclesia ex ipsa antiqua disciplina, quatuor habet ordines minores, scilicet *ostiariatum, lectoratum, exorcistatum, acolythatum* (2). Aliquid de singulis, inspectis potissimum iis quae in pontificali romano de eorum officiis dicuntur in ipsa collatione.

Ostiariorum officium, ut ipso nomine colligitur, est claudere et aperire ianuas ecclesiae; dignos in ea admittere, indignos excludere; campanas pulsare; quae intra ecclesiam sunt custodire; ei qui praedicat aperire librum: quae quidem omnia mystico etiam ritu, sive instrumentorum quorumdam traditione, sive quibusdam actionibus exhibentur.

Lectorum officium est, sacras Scripturas in ecclesia legere; hinc eis datur liber quo sacra Scriptura continetur. Item populum catechizare seu instruere in rebus fidei; panem et novos fructus benedicere, non autem praedicare. Ubi notandum est lectores ex officio et tamquam Ecclesiae ministros Scripturas legere.

Exorcistarum officium est, adhibitis Ecclesiae precibus daemones ab obsessis eiicere; hinc recipiunt librum exorcismorum in sua ordinatione.

Acolythorum officium est urceolos deferre subdiacono in missae sacrificio, cereos accendere, parare ea quae ad sacrificium pertinent, ceroferarium deferre cum canitur evangelium. Haec autem omnia instrumentorum ipsa traditione designantur.

278. Minores ordines hactenus recensiti eo sensu sacramentum dici possunt, quatenus destinatione ordinantur ad ordines maiores, et quatenus veluti complexive *hoc pacto* ad Ordinis pertinent sacramentum; non vero eo sensu, saltem iuxta communiorem sententiam, quod formaliter et per se sint sacramenta. Hinc anxii non debemus esse de determinanda vera *materia* et

(1) Bened. XIV., *constitut. Etsi Pastoralis 26 Maii 1742. § VII. nn. 6-7.*

(2) Thomass., *Op. cit. par. I. lib. 2. c. 30. n. 9.* ubi profert testimonium ex ep. S. Cornelii Rom. Pontif. apud Eusebium *H. E. VI. 43.*

forma singulorum. Ceterum haec non ad canonistas, sed ad theologos pertinent (1).

TITULUS VIII.

De clericis in maioribus ordinibus constitutis.

279. Sicuti minores ordines, per varios gradus ab Ecclesia statutos, clericum disponunt ad altaris ministerium, ita qui dicuntur *maiores (seu sacri) ordines* illum cum *quadam consecratione* in ipso altaris ministerio constituunt. Non eadem tamen in singulis est ratio qua huiusmodi consecratio clericum sacro altaris ministerio addicit. Eius enim apex est in sacerdotio quod ad altaris sacrificium essentialiter ordinatur. Hinc sacerdotium *sub hac ratione* omnium est supremus gradus in sacra ordinatione. Sacerdotio accedunt *diaconatus* et saltem a pluribus saeculis *subdiaconatus*.

Quamvis autem sacerdotium dici debeat supremus gradus, non exinde sequitur aut presbyteros episcopis esse omnino pares, aut episcopatum neque esse, neque dici posse verum ordinem et sacramentum, ut inferius patebit.

280. Maiores ordines sunt igitur subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus, episcopatus. Porro duo circa hos debent spectari, scilicet:

a) *communia officia,* clericis qui in maioribus ordinibus sunt constituti, imposita,

b) peculiaria singulorum ordinum munia.

281. Officia omnibus clericis qui in maioribus ordinibus sunt constituti imposita, duo sunt: scilicet

a) lex ecclesiastici caelibatus;

b) lex recitandi quotidie *ex officio et nomine Ecclesiae* horas canonicas (2).

(1) Ea quae pertinent ad historiam horum ordinum habes apud Thomassinum *(l. c. cc. 30-35)*.

(2) Ea omnia *multiplicis generis ecclesiastica monumenta* quae ad has leges spectant, diligentissime collegit *Augustinus Roskovány* episcopus nitriensis in opere quinque voluminibus comprehenso cui titulus: « *Caelibatus et Breviarium duo gravissima clericorum officia e monumentis omnium sae-*

Caelibatus ecclesiasticus potest multipliciter spectari: scilicet I. Prout est *institutio aliqua ad Ecclesiam pertinens, et eidem maxime conveniens,* quin tamen quaeratur utrum sit *lege proprie dicta* clericis impositus. II. Magis determinata ratione, prout est *officium ecclesiastica lege sua sanctione munita impositum.* III. Ut est *institutio societatis, qua coetus aliquis in ipsa societate civili materialiter constitutus, a coniugio abstinet ex ipsa status sui conditione.* Liquet autem, non eamdem esse eorum respectuum indolem, neque iisdem argumentis esse demonstrandos.

a) Ad caelibatum ecclesiasticum asserendum et vindicandum, prout institutio est ad Ecclesiam pertinens, eique per se maxime conveniens, ea faciunt argumenta, quae deducuntur sive ex intrinseca praecellentia status virginalis prae statu coniugii, sive ex Christi et Apostolorum exemplo (1), sive ex facto ipso quod in Ecclesia potissimum occidentali, perpetua saeculorum serie ostendi potest, continentiam a clericis fuisse servatam, si res universim spectetur. Haec enim omnia caelibatum ecclesiasticum prout est *in se* respiciunt, eumque ab obiectis vindicant; imo cum Ecclesiae natura omnino cohaerentem ostendunt (2).

b) Cum vero caelibatus ecclesiasticus ut *officium* spectatur *lege Ecclesiae sua sanctione munita clericis impositum,* tunc ex certis monumentis confici debet hanc legem exstare, et eius amplitudo est determinanda. Iamvero hac in re quaeri potest, quodnam sit ius vigens *actu* in Ecclesia, et quinam sit nexus iuris vigentis cum iure praecedentium saeculorum. Primum proprie ad ius ecclesiasticum pertinet, alterum ad ecclesiasticam histo-

culorum demonstrata — accessit completa litteratura — Pestini 1861 ». Tria priora volumina *monumenta* exhibent de caelibatu, a saec. I. ad XIX. praemissa singulis *historica introductione,* quartum *literarum* seu bibliographiam continet tum pro caelibatu clericorum tum eidem adversam; quintum ad *Breviarium* pertinet eiusque monumenta et literaturam complectitur.

Recentiorem editionem anni 1877 septem voluminibus constantem allegat, Vering *(Man. § 79. V. in not.).*

(1) I. Cor. VII. 25 seq.; S. Hieronym. adv. Iovin. Thomass. op. cit. P. I. lib. 2. c. 60; Roskovány, *Caelibatus* etc. *tom. 5. pagg. III-VI; 1-10.*

(2) Thomassin., *l. c. cc. 60-67 incl.* qui contendit *legem* semper exstitisse; Roskovány, op. cit. tum in introductione hist. tum in monumentis *(TT. 1. 2. 3).*

riam. Ut tamem aliquid de utraque parte innuamus, haec animadvertisse sufficiat.

aa) In Ecclesia latina lege caelibatus adstringuntur in praesenti disciplina quotquot in maioribus ordinibus versantur, scilicet *subdiaconi, diaconi, presbyteri,* et *episcopi;* idque non solum *lege ecclesiastica* sed etiam *per verum castitatis votum quod in susceptione subdiaconatus continetur.* Hinc sequitur, malitiam sacrilegii, praeter ipsam gravem culpam, reperiri in huius officii violatione. Lex tamen caelibatus non *divini* sed *ecclesiastici iuris* est.

Insuper peculiari Ecclesiae sanctione statutum est ut coniugium ab huiusmodi clericis attentatum non modo *illicitum,* sed *invalidum* exsistat; ut definitum est, praeter alias ecclesiasticas sanctiones, a concilio tridentino *(Sess. XXIV. cap. 9).* Huc pertinet impedimentum *dirimens* ordinis sacri. Non tamen certo constat, quo tempore huiusmodi impedimentum inductum fuerit (1), quamvis prohibitae iam a primordiis Ecclesiae nuptiae fuerint iis qui sacris initiabantur ordinibus.

bb) Hactenus dicta ad Ecclesiam latinam pertinent. Orientalis enim Ecclesia etiam unita, paullo laxiori utitur disciplina. Graeci enim in minoribus ordinibus nuptias contrahere valent, et ad ordines superiores, praeter episcopatum, promoveri, quin a suis uxoribus separentur; non tamen nuptias inire post susceptos ordines iis licitum est. Hoc potissimum ex concilio trullano repetendum est, a quo non leviter praeformatum fuit schisma photianum (2).

cc) Si vero nexus quaeratur quo ius vigens de caelibatu clericorum cum iure praecedentium saeculorum copulatur, dici generatim potest, vel antiquissimis temporibus consuetudinem iam inductam ac traditione apostolica innixam, legibus etiam scriptis sancitam et confirmatam fuisse; quamvis huiusmodi leges non eodem tempore ubique receptae fuerint. Etenim iam saeculo IV leges habentur connubia interdicentes sacerdotibus et diaconis, imo quandoque etiam subdiaconis, idque sub poena depositionis; iis vero qui iam initis nuptiis ad ordines promoti fuerant

(1) *(Conc. Lat. I. can. 21; Lat. II. can. 7; Roskov. monn. 637. 659).*
(2) Ben. XIV, *Const. Etsi pastoralis 26 Maii 1742 § VII. nn. 26. 27. 28.*

usus coniugii omnino prohibetur (1). Nominatim vero Rom. Pont. Siricius (an. 385) legem continentiae omnibus impositam sacerdotibus et levitis memorat, et transgressoribus poenam depositionis quin et excommunicationis infligendam dicit (2). Generatim quod pertinet ad Ecclesiam occidentalem, dici potest saeculis IV, V et VI eas leges iam universales fuisse ita, ut saeculis insequentibus malitia quidem hominum plures irrepserint abusus, rem tamen ipsam semper viguisse, et sive a Romanis Pontificibus, sive a conciliorum decretis semper assertam fuisse ac vindicatam (3) certum sit.

De Ecclesia vero orientali iam paullo ante dictum est.

c) Caelibatus vero clericorum prout est institutio socialis, satis vindicatur philosophicis argumentis; quatenus ostenditur sive *absolute* sive *comparate* nullum exinde detrimentum, quin imo multiplicem utilitatem societati obvenire (4).

282. Alterum officium, clericis in maioribus ordinibus constitutis commune, recitatio est quotidie facienda horarum canonicarum. Dicuntur autem horae canonicae, eo quod lege Ecclesiae sunt determinatae preces recitandae, quae si sermo sit de recitatione communi, certis horis sunt adscriptae. Horae canonicae dicuntur etiam *breviarium,* eo quod simul cum psalmis excerpta recitantur ex utroque testamento, ex patrum operibus, ex gestis sanctorum; sicuti et *officium divinum* appellantur, ex obligatione quae omnibus clericis maioribus inest, eas quotidie a media nocte ad mediam noctem recitandi. Huiusmodi obligatio omnino gravissima est, adeo ut nonnisi impotentia vel physica vel morali ab ea quis eximatur. Illud etiam notandum horas canonicas recitari *nomine Ecclesiae,* adeoque *preces esse publicas* etiam quando extra chorum et privatim recitantur. Reliqua, quae ad breviarium pertinent, peculiari ratione vel in theologia morali vel in iure liturgico pertractantur.

(1) Thomass., l. c.; Roskovány, Tom. I. pagg. X-XXIV, 17-68.

(2) Ib., pagg. 51-63.

(3) Thomass., Roskovány, op. cit.

(4) Zaccaria, Istoria polemica del Celibato Sacro. Roma 1774; Taparelli, Saggio Teoretico ecc. vol. II. pag. 189 seqq. Roma 1885; Bollandiani, *ad diem XI. Sept. t. III. pag. 784 seqq.;* Thomass., Roskovány, *opp. citt.;*

283. Iis recensitis officiis, quae ad omnes clericos qui in maioribus ordinibus constituti sunt pertinent, pauca de singulis dicenda supersunt.

a) *Subdiaconatus,* qui modo inter maiores ordines computatur, potissimum ob adnexam legem caelibatus, est ordo quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni inserviendi diacono, et solemniter canendi epistolam. Item subdiaconorum officium est panem et vinum ad solemne sacrificium praeparare, calicem et patenam ad altare deferre, lintea sacra abluere.

b) *Diaconatus* est ordo, quo confertur alicui specialis potestas in missa solemni immediate assistendi presbytero et solemniter canendi evangelium. Diaconorum officium est sacerdoti vel episcopo ministrare, ut ex ipso nomine significatur. Antiquitus plura erant diaconorum munera; siquidem ad eos pertinebat cura viduarum, virginum, orphanorum, pauperum, martyrum in custodia detentorum, atque alia eiusmodi. Et nunc etiam diaconis competit, cum facultate episcopi, conciones sacras habere, item baptismum solemniter conferre, quin et in casu necessitatis eucharistiam ministrare.

c) *Presbyteratus* sive *sacerdotium* est *ordo et sacramentum, quo confertur specialis potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, et absolvendi fideles a peccatis.* Quae tamen generatim dicta distinctius explicantur in catholica doctrina de eucharistia prout est sacramentum et sacrificium, et de sacramento poenitentiae. Sed haec ad theologos pertinent. Item proprium est presbyterorum, spectata ordinis potestate, valide saltem, sacramenta omnia conferre, exceptis *Ordine, Confirmatione* (nisi ex speciali privilegio apostolico), et *Poenitentia* ob eius peculiarem relationem ad potestatem iurisdictionis, *etiam quoad validitatem* actus, citra casum mortis instantis. Item eorum officium est praedicare verbum divinum, regimen habere animarum, benedictiones quasdam impertire, etc. servatis tamen quae a legibus ecclesiasticis circa modum haec peragendi statuuntur.

d) *Episcopatus* denique, prout ad hierarchiam *ordinis* pertinet, hic quoque est recensendus, quamvis fusius de eo agendum

Vering, Lehrbuch, § 79. *n. V.* ubi etiam plures recenset qui hac de re scripsere; Aichner, *op. cit.* § 72.

sit in hierarchia *iurisdictionis*. Constat enim duplicem esse in episcopis potestatem, ordinis et iurisdictionis. Quia tamen ex necessario idearum nexu plura de potestate ordinis in tractatione de potestate iurisdictionis innectuntur, hic solum pauca innuisse sufficiat. Episcopatus igitur verus est *ordo* et *sacramentum, quo confertur alicui specialiter potestas in sacramenta Confirmationis et Ordinis, itemque peculiaris ex divina institutione habilitas ad gregem Christi regendum, quae per legitimam missionem a Pontifice acceptam ab eoque dependentem, ad actum reduci debet* (1). Liquet autem iure episcopatum dici *plenitudinem sacerdotii,* quia praeter ea omnia quae presbyteris communia sunt, quaedam habet sibi propria ex potestate *ordinaria* et in quibusdam etiam *exclusiva.*

Hinc haud magnum negotium nobis facessit *theologica* illa vulgata controversia, utrum episcopatus sit ordo distinctus a presbyteratu, an eius *complementum.* Nobis enim sufficit animadvertisse :

a) Dogma esse fidei definitum *(Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 7),* episcopos esse presbyteris superiores.

b) Quaestionem *realem* hanc esse: episcopatum ita esse *plenitudinem sacerdotii,* ut *duo distincti sacerdotii gradus sint divinitus instituti, et diversa sint potestate praediti* ac nominatim episcopatus gaudeat *potestate ordinandi.*

c) Quaestionem *fere nominalem* hanc esse, utrum hi duo distincti gradus sacerdotii dici debeant duo *ordines diversi.* Nam satis elucet alio sensu id dici debere, alio vero *id forte* necessarium non esse. Quatenus enim hi duo distincti gradus sunt divinitus instituti, suam habent potestatem eamque indelebilem, suum *proprium habent proinde characterem sacramentalem,* hoc pacto duo sane ordines et duo sacramenta iure appellantur. Quatenus vero episcopatus *plenitudo* est sacerdotii sensu explicato, ideam quamdam *complexam* exhibet quae duplici alio perfectiori gradu continetur; et sub hoc respectu intelligitur, cur a nonnullis distinctio negetur, sed solum dicatur *extendi characterem sacerdotii.* Quae tamen formula, nostra quidem sententia, valde incongrua est.

(1) Cf. Tarquini, I. E. P. lib. II. c. I. n. 5.

284. Quamvis vero episcopalis potestas ordinis *praecipua ratione* constituatur potestate ordinandi, qua *spiritualis paternitas* ad ministrorum Ecclesiae propagationem exhibetur; quaedam alia etiam complectitur, ut ex mox dicendis patebit. Itaque

a) potestas ordinis (1), si de episcopi sermo sit, ad potestatem refertur, *conficiendi omnia sacramenta*.

b) Character essentialis potestatis ordinis episcopalis, in eo est quod semel recepta amitti non possit, adeoque *valide* semper, etsi quandoque *illicite* suos actus exerceat. Item ratione *ordinis* omnes episcopi sunt aequales, etiam quoad actus eidem potestati subiectos, saltem quoad *validitatem;* quod dici nequit de potestate iurisdictionis.

c) Nominatim circa sacramenta *Confirmationis* et *Ordinis* haec notanda sunt:

aa) Sacramentum Confirmationis *iure ordinario* et *insito* a *solo* episcopo confertur. Hinc simplex sacerdos, nonnisi *ex peculiari privilegio apostolico* potest confirmare; idque *dependenter* ab episcopo, hoc est chrismate ab episcopo benedicto (2).

bb) Potestas vero ordines conferendi, episcopis competit non solum *iure* proprio sed *exclusivo,* saltem si de ordinibus hierarchicis et sacris sermo sit (3). Imo, omnibus inspectis, in hoc potissimum constituunt patres discrimen essentiale inter episcopos et presbyteros.

d) Denique ad potestatem ordinis episcopalem quaedam alia referuntur, tum ratione *negativa,* quatenus scilicet non pertinent ad potestatem iurisdictionis, tum quia aliquam praeseferunt cum

(1) Vid. Tarquini, l. c.

(2) Utrum et confectio Chrismatis possit a Summo Pontifice simplici presbytero permitti, non una est DD. sententia ut videre est apud Schmalzgrueber (ad Tit. XV. lib. I. Decret. n. 5), qui negantem tenet sententiam. At affirmantem tenet Ben. XIV (De Syn. lib. VII. c. 8. nn. 1. 2.), qui profert etiam exempla, licet id perraro fieri fateatur. Utrum vero id concedi possit ab episcopo, v. apud eumdem l. c. n. 3 seqq.

(3) Huc pertinet controversia de facultate concessa quibusdam abbatibus regularibus conferendi suis subditis ordines subdiaconatus et diaconatus. Cum enim monumenta, quae proferuntur, decretoria non sint, rem non evincunt. Cf. Phillips, I. E. § 38. Phil. De Angelis, (Prael. I. C. ad tit. XI. lib. I. Decret. Tom. 1. par. 1. pag. 199. v. *Solet pariter*) allegans Giraldi, videtur id affirmare. At neque quod ibi dicitur, decretorium est.

potestate ordinis analogiam. Huc pertinent consecratio altarium et ecclesiarum, sanctorum oleorum, calicum, patenarum benedictio: itemque benedictio abbatum et abbatissarum, regis ac reginae; benedictio maior seu solemnis (1); sacrarum virginum velatio, ac generatim ea quae *in pontificalibus* peraguntur. Quaedam tamen ex his etiam presbyteris *extraordinarie* conceduntur, ut ex. gr. benedictio sacerdotalium indumentorum: imo si velimus recte loqui, ex his nihil est quod Pontifex per se presbytero concedere non possit.

Potestas episcopalis ordinis acquiritur *consecratione,* hoc est manuum impositione et unctione sancti chrismatis; nostrum tamen hic non est controversiam aggredi, utrum et quatenus unctio haec ad essentiam pertineat episcopalis consecrationis (2). Ritus habetur in Pontificali romano. Post consecrationem episcopus, qui prius dicebatur *electus,* simpliciter episcopus appellatur.

Consecratio debet suscipi ab electo intra tres menses; quod ni fiat, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur; et si intra totidem menses id facere neglexerit, ecclesia ipso iure privatur *(Concil. Trident. sess. XXIII. cap. 2 de Ref.).*

Effectus consecrationis sunt:

a) *consummatio spiritualis coniugii* electi cum sua Ecclesia: *Cap. fin. de Transl.*

b) Vacatio ipso iure omnium beneficiorum quae prius obtinebat (3).

Dies quibus consecratio episcopi fieri debet sunt dominici vel natalitii apostolorum, vel alii festi de praecepto. *Regulariter* vero ea fit a tribus episcopis, quorum unus dicitur *consecrator* duo alii *assistentes.* Hac appellatione diversa plane exhibetur relatio, et quasi innui videtur, *ex essentia* requiri *ad validitatem actus,* unum episcopum consecratorem, quod etiam hac aetate ex speciali Pontificis sanctione aliquoties factum constat (4).

Denique circa ius consecrandi animadvertendum est, in praesenti disciplina consecrationem fieri *ex mandato apostolico,* quo

(1) Ea est quae inter divina officia *pontificaliter* datur.
(2) Cf. Schmalzgr., ad tit. XV. lib. I. Decr. n. 7.
(3) Hoc non habet locum in episcopis titularibus seu *in partibus* nuncupatis.
(4) Recentiora haec exempla V. apud Craisson (Man. I. C. n. 1735).

sive *in curia* sive *extra curiam* consecrator designatur. In antiquiori disciplina strictior vigebat lex, et hoc etiam iure sive metropolitae sive patriarchae in suis ditionibus potiebantur (1).

TITULUS IX.

De potestate ecclesiasticae iurisdictionis protheoria.

285. Absolutis iis quae ad personas ecclesiasticas pertinent quatenus in hierarchia ordinis sunt, ad hierarchiam iurisdictionis de qua in iure ecclesiastico sermo praecipuus est, nosmet convertimus. At priusquam personas, quibus constituitur inspiciamus, necesse omnino est, de potestate iurisdictionis ecclesiasticae universim considerata, disserere.

286. Quae autem ad eam pertinent, ad haec capita apte revocantur:

a) ad *naturam* ac notionem ecclesiasticae iurisdictionis;
b) ad *requisita,* ut quis ea potiatur;
c) ad *modum* eam acquirendi;
d) ad eius *exercitium;*
e) ad eius *cessationem.*

Porro his rite constitutis, non modo ea quae spectant ad ecclesiasticam iurisdictionem in comperto erunt, verum etiam plura, eaque potissima in iure canonico, in antecessum explanata exsistent, quae non parum insequentem tractationem compendiosam efficient.

§ I. *De natura, notione ac partitione ecclesiasticae iurisdictionis.*

287. Ut rite perspecta habeatur *natura* ecclesiasticae iurisdictionis, tum eius conceptum seu notionem tum eius partitiones statuere necesse est. Itaque

a) *iurisdictio* ita ipsa vocis significatione *(ius dicere)* exhibetur, ut generatim *legem (iussum) ferendi potestatem* signifi-

(1) Devoti, Instit. can. lib. I. tit. 4. sect. I. § 3.

cet. Nomine autem legis amplissima significatione id omne intelligitur, quod ad alterius regimen seu gubernationem pertinet. Cum vero iussum nonnisi ab eo qui *auctoritate pollet* legitime ferri possit, hinc apparet *iurisdictionis* potestatem *publicam* seu *socialem* esse oportere. Iam liquet cur potestas iurisdictionis a pluribus cum Molina (apud *Pirhing de off. Iud. ord. n. 1*) definiatur: *Potestas publica circa aliorum regimen seu gubernationem.* At si nominatim de ecclesiasticae iurisdictionis potestate agitur, formulam adhibentes ipsis divinis litteris *(Ioan. XXI. 15-18)* consignatam, eam aptissime dicimus esse *potestatem pascendi;* quae ut praeclare ait Tarquini (1) « *potestas est gregem Christi regendi, tum quoad intellectum per doctrinam rectae fidei, quae praecepti ritu credenda proponitur, tum quoad voluntatem per verum proprieque dictum imperium, quo in tota mediorum oeconomia fideles dirigantur, ita ut ipsa quoque sacramentorum dispensatio ad eiusmodi potestatis officium pertineat* ». Quae porro potius quam definitio declaratio dici debet tum potestatis iurisdictionis *in se* tum relationis quam habet cum ordinis potestate. Verum hac de re plenius ac intimius disserimus in Scholio I. huic titulo subiecto. Ubi notandum est, loquutiones illas: *praecepti ritu* et *verum proprieque dictum imperium,* potestatem *publicam* exhibere, quemadmodum in superius allata definitione iurisdictionis continetur. Cf. etiam quae diximus in prolegomenis (45. 5).

b) Cum tradita potestatis iurisdictionis ecclesiasticae notione, eiusque natura, omnino cohaeret illud quod de eiusdem in singulas personas Pontifice inferiores *derivatione* tenendum est, scilicet eam ab ipso Summo Pontifice, ex Christi voluntate, tanquam *fonte* dimanare, adeo ut etiam in gradu *divinitus* constituto, h. e. episcopali, ex potestate ordinis habeatur quidem *habilitas* ad regendos fideles, at *legitima missio* nonnisi a Summo Pontifice ortum habeat, ab eoque *tum in amplitudine tum in duratione omnino dependeat* (2).

c) Hinc si potestas iurisdictionis cum potestate ordinis conferatur, multiplex inter utramque deprehenditur discrimen: nam

(1) Cf. Tarquini, op. cit. lib. II. c. 1. n. 3.
(2) Tarquini, l. c. n. 3.

aa) Potestas *ordinis* semel recepta amitti non potest, secus vero potestas *iurisdictionis:* hinc illa actus suos sub eo respectu semper *valide* ponit, haec non item.

bb) Potestas iurisdictionis non necessario respondet *in gradu* potestati ordinis: hinc aliquis inferior in ordine, potest iurisdictione praecellere uti ex. gr. diaconus vel etiam clericus in minoribus, presbytero etc.

cc) Potestas ordinis *subditos* proprio sensu in quos actus suos exerceat non requirit; hinc ut diximus valide semper actus ponit: potestas vero iurisdictionis nonnisi in *subditos* actus suos etiam *valide* exercet. Hinc potestas ordinis dat *praecellentiam,* non *veram superioritatem;* hoc enim proprium est potestatis iurisdictionis (1). (Cf. *Tit. de maior. et obed. I. 33*).

d) Denique ad partitionem quod attinet, omissa illa quae iurisdictionis potestatem tribuit in *civilem* et *ecclesiasticam,* quippe de hac nobis unice sermo est, praecipuae divisiones huius sunt

aa) in iurisdictionem *fori interni* seu *sacramentalis* et *fori externi.* Prima in sacramento poenitentiae, altera extra sacramentum exercetur (2);

bb) in *ordinariam* et *delegatam.* Ordinaria exercetur ab eo qui eam habet iure suo, vi scilicet dignitatis aut officii: delegata exercetur alieno beneficio et nomine alterius, hoc est mandato eius qui ordinariam habet potestatem. Delegata autem potest esse vel omnino generalis, seu *ad universitatem caussarum,* et a quibusdam appellatur *mandata,* vel ad determinatum aliquod obiectum restricta (3). Sunt qui iurisdictionem *delegatam* et *mandatam* habent promiscue. Sunt etiam qui addunt utrique iurisdictionem *prorogatam,* quae tunc viget cum ex generalibus regulis cessare debuisset, idque ex peculiaribus adiunctis in iure statutis. Vide tamen Scholia adiecta (II, III).

cc) in *simplicem* et *cum imperio.* Simplex caussarum *cognitionem* ac *decisionem,* non vero *ius exequendi* complectitur. *Imperium* ad *exequendi ius* etiam extenditur. Imperium autem est

(1) Cf. Pirhing l. c.
(2) Hinc apud veteres distinguebantur: *Forum fori* et *Forum poli.*
(3) Schmalzgr., ad tit. de Off. et Pot. Iud. delegati, nn. 2. 3.

summum vel *merum* vel *mixtum,* quorum prius ad supremum principem, alterum ad rem criminalem et publicam, postremum ad civilem et privatorum controversias ad iuris romani normam spectat;

dd) in *voluntariam* et *contentiosam.* Voluntaria ita appellatur, quod in *volentes* et sine *iudiciali actione* exercetur; *contentiosa* vero eo dicitur quod etiam in invitos et per iudicium. Contentiosa *per se* extra territorium proprium vim nullam habet (1). Voluntaria *valide* ubique, et si publice non fiat etiam *licite* exercetur.

288. Illud etiam animadvertendum est:

a) iurisdictionem *fori interni* seu *sacramentalis* ex ipsa Christi institutione eiusmodi esse, ut *per se* ad poenitentis reconciliationem sit ordinata, adeoque *directe* et *primario* ipsius bonum respiciat. Hinc etiam sequitur in foro sacramentali, cum una eademque persona sit accusator et reus, illud haberi principii instar, *standum esse poenitenti tam pro se quam contra se,* adeoque iudicis sententiam *veritati,* eique per ipsius rei assertionem manifestae, unice inhaerere.

b) At vero *fori externi* iurisdictionem, *directe et primario* bonum respicit communitatis, seu *publicam gubernationem;* hinc non rei assertionibus, sed probationibus et his deficientibus aliqua ex parte etiam praesumptionibus, veritas aut ostenditur aut prudenter coniicitur, et sententia *iuxta acta et probata* edicitur.

c) Hinc fieri potest ut quod in foro interno *certo* constat, in externo vel dubium vel etiam omnino falsum evincatur et vicissim.

d) Denique illud etiam notandum est, iurisdictionis potestatem, ut ait Zallinger *(De off. Archid. § 476)* « non sensu stricto secundum ius civile romanum hic sumi, sed pro potestate regendi, praecipiendi, visitandi seu inspiciendi, caussas cognoscendi, reos coercendi etc. ». Id nos complexi sumus ea formula: *potestas pascendi.*

(1) *Cap. Ut animarum, de Const. in 6.*

§ II. *De requisitis ad habendam ecclesiasticam iurisdictionem.*

289. Sicuti quaedam ab iure ecclesiastico requiruntur, ut quis promoveatur in hierarchia ordinis (242 sqq.) ita et quaedam habeat necesse est, qui gradu aliquo ecclesiasticae iurisdictionis potitur. In Decretalibus ea continentur formula, *De aetate, qualitate et ordine praeficiendorum,* quae est rubrica tituli XIV libri I. Porro *aetas, ordo sacer,* et *qualitas,* quo nomine pietas, morum honestas, immunitas a canonico impedimento, scientia sufficiens in primis exhibentur (266), illas dispositiones sive *necessarias* sive *opportunas* complectuntur, quae in eo qui ecclesiasticam habet iurisdictionem postulantur. In iis recensendis, quae spectant ad singula capita, iis unice insistimus quae iure praesertim tridentino statuta sunt; iis vix memoratis controversiis, quas de antiquo iure Decretalium movent doctores ad titulum allegatum (I. 14).

290. Ad *aetatem,* hae in primis pertinent *generales* regulae:

I. Nullus ante annum XIV quodlibet obtinere potest ecclesiasticum beneficium *(Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 6 de Ref.).* Annus tamen inchoatus sufficit: Concilium enim dicit, *ante annum decimum quartum,* beneficium obtineri non posse.

II. Si ad aliquod beneficium ordo etiam sacer postulatur, aetas illa requiritur qua promovendus, saltem *intra annum,* ordinem requisitum possit accipere: *arg. c. 14 de Elect. in 6; Greg. X. in Conc. Lugd. II ex Alex. III.*

291. Hae duae generales regulae enucleatius, quoad varios iurisdictionis gradus vel diversa beneficia, possunt ita efferri:

a) ad *Summum Pontificatum* nulla in iure canonico determinata aetas praescribitur; unde *ad validitatem electionis* aetas quaelibet septennio maior sufficit. Atque ita schismatis ratio adimitur, quamvis summa ipsa dignitas ac potestas episcopalis et ordinaria in omnes et singulas ecclesias *(Conc. Vatic. Const. I. de Eccl. c. 3)* tot alia requirant quae aetatem iisdem respondentem deposcunt. Hoc aliquatenus explicat, cur infeliciori quandoque tempore unus aut alter iunior ad pontificatum assumptus

fuerit, quin *hac ex parte* aliquid contra validitatem electionis sequatur (1).

b) Ad *episcopatum* aetas XXX annorum requiritur iam exacta : *cap. 7 de Elect. coll. Conc. Trid. sess. VII. c. 1 de Ref.; Ben. XIV Const. Eo quamvis 4 Maii 1745 § 19* (2).

c) Ad *praelaturas episcopali inferiores* ac generatim ad *beneficia quibus animarum cura est adnexa* requiritur annus aetatis XXV inchoatus. *Conc. Trid. sess. XXIV. c. 12,* coll. *cap. 7 de Elect. v. Inferiora.*

d) Ad *alias dignitates et personatus* quibus tamen non est adnexa cura animarum, licet ex iure Decretalium ambigua res sit, ut videre est apud Pirhing in h. t. § II, n. IX, assert. 2; post concilium tamen tridentinum aetas requiritur annorum XXII, licet disputetur utrum annus XXII debeat esse incoeptus vel completus. Cf. *Conc. Trid. sess. XXIV. c. 12 de Ref. v. Ad ceteras.*

e) Ad *canonicatum* vel *praebendam* aut *portionem* in ecclesia *cathedrali,* quamvis disputent DD. quaenam aetas requiratur ex iure Decretalium, decreto tamen concilii tridentini, quod statuit ut in ecclesiis cathedralibus canonici saltem sint subdiaconatus ordine insigniti *(ibid.* v. *In omnibus),* necessarium est ut ad minus compleverint annum aetatis XXI, nisi forte vel consuetudine, vel statuto, vel fundatoris voluntate aliter sit alicubi praescriptum.

f) Ad *dignitates vero in ecclesiis collegiatis,* omnibus perpensis verius censemus annum requiri XXII ut et in cathedralibus (*Schmalzgr. de aet. et qual. praef. n. 7,* ubi varias recenset sententias) (3). Excipitur tamen *dignitas principalis,* eo

(1) Cf. Barbosa, I. E. U. lib. I. c. 1. n. 83.

(2) Si de aetate requisita ad dignitatem Cardinalium S. R. E. quaestio fiat, dicendum videretur ex mente concilii tridentini eam esse quae in episcopis requiritur. Concilium enim *(sess. XXIV. c. 1 de Ref. Ea vero)* de utrisque eadem statuit. Verum Sixtus V. Const. *Postquam verus* 3 Dec. 1586 § 6 *Neque posthac,* in Cardinalibus requirit aetatem saltem XXII annorum, *ut intra annum* ad diaconatum assumi valeant. Derogavit igitur decreto concilii tridentini.

(3) Garcia, *(De Benef. p. 7. c. 4. nn. 58 seqq.);* Barbosa, *(De Off. episc. alleg. 60. n. 67).*

quod communiter curam animarum habeat adnexam in foro interno vel externo; hinc ad eam requiritur, quemadmodum superius dictum est, annus XXV saltem inchoatus.

g) Ad *canonicatus* vero in iisdem ecclesiis collegiatis obtinendos, annus sufficit aetatis XIV inchoatus nisi forte aliud lege fundationis sit constitutum. *Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 6 de Ref.; Giraldi op. cit. par. 2, sect. 92.*

h) Ad *beneficia quaelibet simplicia,* post concilium tridentinum (1) (l. c.), item annus requiritur XIV saltem inchoatus, nisi lege fundationis aetas minor, modo septennio maior forte permittatur (2).

i) Denique ad *pensiones ecclesiasticas,* cum hae substituantur loco beneficii saltem simplicis, et eius veluti induant naturam, dicendum est annum requiri XIV inchoatum, ut de beneficiis simplicibus dictum est. Si vero pensiones non sint ecclesiasticae, tunc nulla certa aetas requiritur ex iure canonico.

292. Notandum hic venit, generatim episcopum non habere facultatem dispensandi in aetate requisita in praeficiendis ad beneficia, *lege ecclesiastica universali.* Secus vero si agatur de statuto speciali alicuius particularis ecclesiae; tunc enim episcopus, cum consensu capituli (3), potest dispensationem concedere (4). Si tamen dubium sit, an quis aetatem habeat requisitam ad beneficium, distinguunt doctores, utrum iam beneficium sit possessum, an vero sit obtinendum. In primo casu onus probandi incumbit ei qui oppugnat possessionem beneficii, in altero vero ille qui vult beneficium consequi, probare debet se aetatem requisitam habere. *Cap. Licet 14 de Elect. in 6.*

293. Circa alterum requisitum quod *ordinem praeficiendorum* respicit, hae valent regulae:

I. Nullum conferri potest beneficium ecclesiasticum ei qui

(1) S. C. C. in Montis alti 8 Apr. 1843 (Conc. Trid. ed. Reichter) p. 83.

(2) Quod pluries dictum est *de lege fundationis, statuto, consuetudine* etc., quibus fieri potest ut iuri communi derogetur, eo iuris principio innititur, quod illud quod *speciale est* non tollitur lege generali, sed habetur tanquam *exceptio* (76. II.).

(3) Laymann ap. Schmalzgr. l. c. n. 10. v. *Dixi.* Ratio est quia talis dispensatio fit in proprio eorum iure et statuto.

(4) Ibid. nn. 11. 12.

saltem prima tonsura non sit initiatus, cum ex alias dictis nullum ius competat proprium clericorum ei qui primam tonsuram non receperit (162).

II. Qui in hierarchia iurisdictionis promoventur, aut ad beneficia quae ordinem habent adnexum, iam constituti sint oportet in ipso ordine, vel in ea aetate ut *intra annum* possint ordinem illum recipere (heic 290, II).

294. Hae autem generales regulae modo magis determinato ita apud doctores efferuntur:

a) ad summum pontificatum nullus item ordo praerequiritur, cuius rei ratio superius dicta est (291, *a*).

b) Ad episcopatum requiritur ut a sex mensibus saltem promovendus sit constitutus in ordine presbyteratus; licet non desint doctores qui contendant sufficere ut eodem temporis spatio in subdiaconatu dumtaxat versatus sit *(Conc. Trid. sess. XXII. cap. 2 de Ref. Schmalz. in h. t. n. 15).*

c) Ad dignitates ecclesiasticas episcopatu inferiores, quibus cura animarum est adnexa, requiritur ordo presbyteratus.

d) Ad canonicatus vero sive in cathedralibus sive in collegiatis iure antiquo sacer ordo non exigebatur. Verum in iure vigente distinguendum est, utrum agatur de iure suffragii ferendi in capitulo, an vero de aliis iuribus vel privilegiis canonicorum. Ad primum requiritur ordo saltem subdiaconatus (1). Quod vero ad alia pertinet iura notandum est, in canonicis ecclesiae cathedralis omnes praebendas aliquem ordinem sacrum habere adnexum, ita tamen ut dimidia pars presbyteris constet, quemadmodum statuit Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 12 de Ref. v. *In omnibus*. In ecclesiis vero collegiatis nullus *per se* sacer ordo requiritur.

e) In promovendis ad beneficium simplex, nihil iure communi praescribitur determinatum, adeoque unice viget regula generalis primo loco statuta (293, I). Illud notandum est, eos quos diximus teneri ad ordinem aliquem recipiendum intra annum, si negligentes sint, eo elapso privationem incurrere beneficii vel *ipso iure,* si agatur de beneficiis quibus cura animarum est adnexa, vel post *sententiam iudicis,* et praevia monitione in

(1) Hoc non valet pro Regularibus; S. C. C. in Ragusin. 16 Dec. 1618.

ceteris. *S. C. C. 25 Ian. 1608.* Hoc tamen intelligitur si excusationis legitima causa non afferatur.

295. Denique ad *qualitatem* quod attinet praeficiendorum, quo nomine diximus exhiberi absentiam legitimi impedimenti, morum honestatem, ac congruam scientiam, haec generatim sufficit animadvertisse :

a) eos promoveri non posse, qui vel irregularitate, vel censura, vel privatione vocis passivae, vel alio canònico impedimento iam probato obstringuntur.

b) Eam morum probitatem requiri, qua infamia excludatur sive *iuris* sive *facti,* ex nota iuris regula « *Infamibus portae non pateant dignitatum* » *(cap. 87 de RR. I. in 6).*

c) Denique ad scientiam quod spectat, generatim dici potest eam postulari in promovendo, quae ad officium rite obeundum est necessaria. Quaenam vero in singulis officiis determinate postuletur, si ea ordinem sacrum adnexum habeant, iam superius dictum est, cum de requisitis ad ordines disseruimus (266); si vero de reliquis agatur, aptius id coniungitur cum iis quae de singulis inferius dicenda sunt, ubi si quid peculiare occurrat recensendum erit.

§ III. *De modo acquirendi ecclesiasticam iurisdictionem.*

296. Iis recensitis quae in promovendis ad ecclesiasticam iurisdictionem requiruntur, aliquid dicendum est de multiplici ratione qua id fieri contingit. Multiplex autem est ratio qua aliquis ecclesiasticam iurisdictionem seu ecclesiasticum beneficium acquirere potest. Omissis enim modis *extraordinariis,* quatuor sunt modi *ordinarii,* scilicet *electio, postulatio, collatio, institutio* cum qua *ius patronatus* connectitur. Cuius partitionis ratio satis elucet, si attendatur beneficium ecclesiasticum vel haberi posse ex libera conferentis voluntate, nulla determinata lege obstricta, vel collationem beneficii legi determinatae adstrictam esse, sive ex requisitis quorumdam suffragiis, sive ex iam exsistente alicuius iure. Primo modo beneficium habetur per liberam collationem, secundo modo per electionem, vel postulationem, tertio denique modo per institutionem datam a collatore ei qui

praesentatur a patrono. Liquet autem nos de singulis ita disserere, ut non omnia prosequamur, quae tradunt doctores ad titulos Decretalium, qui ad huiusmodi tractationem referuntur; sed ea solum attingamus quae potissima sunt.

ARTICULUS I.

De electione.

297. Ut breviter simulque ordinate ea quae ad electionem pertinent complectamur, haec nobis statuenda sunt: 1) electionis notio; 2) generalia principia, quae eam moderantur; 3) ea quae lege ecclesiastica praescribuntur de tempore et loco quo fieri debeat; 4) modus eam peragendi; 5) denique ea quae praeter haec ad electionis materiam illustrandam potissime conferunt. Notandum porro est, quae de electione dicuntur, in primis pertinere in iure Decretalium ad electionem episcoporum, cum sit modus ordinarius ibi statutus ad eos constituendos; ea tamen ad alias etiam personas pertinent, quae per electionem ad praelaturam quamlibet assumuntur.

298. I. *Electio* est « *personae idoneae ad ecclesiam seu praelaturam vacantem, ab iis quibus ius est, canonice facta vocatio* ».

In hac definitione cum qua in rei substantia aliae quae traduntur consentiunt, vocatio idoneae personae ad praelaturam seu ecclesiam vacantem, habet se instar *generis proximi,* appositum vero illud *ab iis quibus ius est canonice facta etc., differentiam* veluti exhibet, qua electio ab aliis modis discriminatur; supponit enim eatenus canonice fieri, quatenus eae leges servantur, quae de hoc determinato modo statutae sunt.

299. II. Principia generalia quae hac in re habentur, haec sunt:

a) nulla electio fieri potest si non constet de sede seu ecclesia aut praelatura vacante; adeo ut quidquid hac in re ante vacationem peragatur, sit ipso iure irritum;

b) electio debet esse libera, hoc est ab ea vim quamlibet et metum abesse opus est, uti et *extraneae* auctoritatis interventum;

c) item libera esse debet a quolibet tractatu seu contractu, qui quacumque ratione simoniae labem redoleat.

300. III. Tempus ad episcopum eligendum ex iure Decretalium ita constituitur, ut ante corpus sepulturae traditum episcopi defuncti, et tertium depositionis diem, *collegialiter* et definitive de electione constituenda decernendum non sit, nisi forte gravis aliqua causa aliud exigat. Post vero tertium diem praefigi debet terminus et locus futurae electionis. Porro tempus eligendi ultra tres menses protrahi non debet, nisi iustum adsit impedimentum. Si vero episcopus absens obierit, trium mensium spatium computatur a *certa notitia* vacationis sedis episcopalis ob mortem episcopi. Non inde tamen sequitur, electores haud posse breviori temporis spatio successorem eligere, modo id servatis aliis canonicis electionis legibus fieri possit. Si absque iusto impedimento electores tempus praescriptum elabi permittant, ius eligendi ea vice amittunt, et electio ad superiorem devolvitur a quo petenda fuisset confirmatio peractae electionis. Illud quod de sede vacante ob mortem episcopi diximus, constat intelligendum esse de quovis alio modo quo sedes vacare potest.

Iam si agatur de electione ad alias praelaturas, de tempore vacationis notandum est, regulares eodem regi iure, ac de episcopis dictum est. Si autem de aliis sermo sit praelaturis, dignitatibus, beneficiis, ex iure Decretalium ea ultra sex menses vacare non debent; nisi forte peculiaris aliqua lex aliud statueret. Notant etiam nonnulli electionem interdiu, non vero noctu nisi necessitas urgeat esse peragendam *(Zallinger ad tit. de Elect. § 276 in fine)*.

Locus vero ad electionem episcopi faciendam ecclesia est, vel eius ambitus, quo nomine sacrarium vel aula capitularis etc. si intra ecclesiae septa continetur, intelliguntur. In aliis praelaturis, leges peculiares sunt attendendae. Notandum etiam est quod si electores loco consueto electionem facere impediantur, eam ubivis, ut tuta sit peragere possunt *(Arg. can. 1, § 5, dist. 23)*.

301. IV. Modus *electionis* tria complectitur: 1) ea quae electionem praecedunt; 2) electionem ipsam; 3) ea quae electionem factam consequuntur.

a) Ad ea quae electionem praecedunt, pertinent:

aa) *electorum vocatio:* scilicet ii omnes, qui ius habent ad electionem, vocandi sunt, nisi aut propria voluntate aut iusto impedimento absint. Porro circa electores hae valent regulae. Iure Decretalium electores ad episcopatum non sunt nisi canonici ecclesiae cathedralis; etsi solum possessores sint, cum hoc sit possessionis emolumentum. Excluduntur autem amentes, furiosi, impuberes, item qui subdiaconi non sint, necnon excommunicati excommunicatione maiori, personaliter interdicti, suspensi ab officio vel ordine, privati iure vocis activae seu suffragii ferendi. Ii enim omnes vel naturali vel canonico impedimento detinentur (295. *a*).

bb) Generatim ut quis electoribus accenseatur, debet ad illud collegii corpus pertinere, cuius praelatus est eligendus; ii enim soli *iure ordinario* suffragium ferunt. Attamen *iure extraordinario,* etiam qui ad collegii corpus non pertinent, electores quandoque esse possunt; scilicet vel *legitima consuetudine,* vel *privilegio Summi Pontificis,* vel *communicatione iuris* facta unanimi consensu a legitimis electoribus, qui iure ordinario fruantur; vel denique *pacto* quod in ipsa lege fundationis contineatur.

cc) Absentes *propria voluntate* nulla ratione supplentur. Qui vero legitimo impedimento detentus, invitus abest, potest alicui ex electoribus quin et extraneo, de consensu ceterorum, committere, ut veluti *procurator* eius nomine suffragium ferat.

dd) Quod vero pertinet ad *eligendos,* seu quod idem est ad eos qui *voce passiva* fruuntur, recolantur ea quae de requisitis praeficiendorum dicta sunt (heic § II). Si insuper quaedam requirantur ex lege fundationis, ea quoque in eligendo adesse debent. Ad ea quae electionem praecedunt, pertinent etiam vacatio praelaturae, et designatio loci et temporis. Sed de his iam superius dictum est.

b) Iam si ad ipsam electionis *formam* devenimus, triplex distinguitur eligendi modus: 1) *per quasi inspirationem;* 2) *per compromissum;* 3) *per scrutinium.* Ubi notandum est electionem per quasi inspirationem *extraordinariam* censeri; per compromissum veluti in subsidium adhiberi, si electio per scrutinium vel ad exitum deduci non possit, vel longius protrahatur; per scrutinium vero, si recte loquamur, eam esse quae in iure Decretalium veluti ordinaria simulque legitima exhibetur. Iam vero

aa) electio per *quasi inspirationem* tunc fit cum simul convenientibus electoribus, *nullo praecedente de hac re tractatu, omnes unanimes, nullo excepto,* in aliquem eligendo consentiunt. Ex ipsa notione liquet hanc formam prorsus *insuetam* iure censeri.

bb) Electio fit *per compromissum,* cum electores communi consensu, eligendi ius committunt nonnullis sive ex eorum coetu, sive etiam extraneis, ut omnium nomine electionem peragant. Liquet autem hunc modum merito *subsidiarium* dici, quia plerumque non adhibetur, nisi deficiente forma scrutinii ad electionem faciendam.

cc) Denique electio fit *per scrutinium,* quum persona ad praelaturam evehenda designatur per suffragia *canonice emissa* atque *collecta* eorum, qui ad id ius habentes convenire voluerint vel potuerint. Sunt autem suae determinatae leges circa modum ferendi et colligendi suffragia (1).

dd) Praeter recensitam triplicem electionis formam, est etiam in quibusdam electionibus alia, quae dicitur *per accessum;* de qua statim sermo habebitur in ultima parte huius tractationis.

Denique electionem rite peractam consequuntur: *decretum* ipsius electionis, quod iuxta canonicas formas fieri debet; *consensus* electi intra mensem praebendus, ut, si non habeatur, ad novam electionem procedi possit; *confirmatio* electionis, quae a superiore concedi debet, triplici rite praemisso examine: 1) de *idoneitate personae;* 2) de *forma canonica electionis;* 3) de *valore oppugnationum* electionis peractae, si forte adsint qui electionem oppugnent.

302. V. Ut hactenus dicta de electione, melius intelligantur, quaedam ad illustrationem addenda sunt.

a) Electio quae dicitur per *accessum,* tunc fit cum post scrutinium peractum et publicatum, suffragia ita apparent dispersa, ut nullus eum retulerit numerum, qui ad electionem requiritur. Tunc enim integrum fit electoribus variare pro una vice suffragium, accedendo ad eum qui plura prae aliis habuit suffragia. Quin imo in electione Summi Pontificis permittitur etiam accedi ad eum qui vel unicum habuit suffragium, ut hac ratione

(1) De his tribus formis vide cap. *Quia propter 42 de Elect.* (I. 6).

suffragia in scrutinio data ad debitum numerum pertingant. Huiusmodi forma eligendi per accessum non adhibetur nisi in electione Summi Pontificis vel abbatissae, quo facilius dissensiones inter electores tollantur.

b) Cum ad electionem ii omnes vocandi sint qui eligendi ius habent, seu ut dicitur in iure *(d. cap. 42 de Elect.), qui debent, volunt et possunt, commode interesse;* aliquid ulterius notandum est de iis, qui absque propria culpa, vel ex nimia locorum distantia, vel ob aliquod legitimum impedimentum, abesse coguntur.

Iam vero si de iis agitur, qui ita remoti sunt, ut intra tempus ad electionem faciendam praefinitum, convenire nequeant, ii profecto ius eligendi ea vice non habent. Sin autem de iis quaeritur, qui licet per se possint convenire, legitimo tamen detinentur impedimento, tunc si ille qui ita abest, iureiurando interposito affirmet, se legitime esse impeditum, potest alicui, ut dictum est, tamquam procuratori suas vices committere; sive qui ita assumitur, sit vel ipse elector, sive, de aliorum consensu, extraneus. Discrimen tamen est in modo, quo procurator dare debet suffragium; prout scilicet mandatum habuit determinatum, vel non. Si mandatum ei fuit eligere aliquam determinatam personam, tunc procurator pro hac nomine mandantis ferre suffragium debet, simulque, si et ipse elector sit, aliam proprio iure valet eligere. Si vero mandatum sit indeterminatum, tunc procuratoris simulque electoris suffragia in unam personam conveniant oportet. Insuper suffragia dari per epistolam non permittitur.

c) Quae vero ad rationes oppugnandi electionem referuntur, sive quod aliquis vocandus neglectus fuerit, sive quod *sanior* pars cum *maiori* confligat, sive quod aliquis defectus substantialis in eligendo admissus fuerit, agitur in iure nostro *ad tit. de Elect. et electi pot. I. 6.*

ARTICULUS II.

De postulatione.

303. Ad electionem iure accedit *postulatio:* est enim quoddam iuris remedium subsidiarium ad conferendam praelaturam, quando per veri nominis electionem id fieri nequit. De postulatione haec nobis solum innuenda sunt: I. Quaenam sit postulationis notio, atque indoles; II. Quid statuendum sit in conflictu seu concursu postulationis cum postulatione, vel postulationis cum electione; III. Quae ex postulatione consequantur.

304. Triplex distinguitur postulationis acceptio: *latissima,* quae significat quamcumque gratiae petitionem; *iudicialis,* quae significat querelam contra aliquem iudicialiter intentatam; *strictissima* in re nostra, quae est petitio facta ex iusta caussa ab electoribus, vel maiori eorum parte, ut superior admittat ad praelaturam obtinendam eum, qui canonico impedimento detinetur, quod dispensari potest ac solet, data ei ad hoc dispensatione.

305. Haec postulatio dicitur *solemnis,* ut distinguatur ab ea quam *simplicem* appellant. Haec autem est petitio oblata legitimo superiori, ut consentiat in electionem personae sibi subditae, quae alioquin nullo canonico impedimento detinetur. Sic e. g. postulari debent regulares electi, a suo praelato, et cardinales presbyteri vel diaconi electi ad episcopatum a Summo Pontifice.

306. Hinc etiam apparet ex data postulationis definitione discrimen inter hanc et electionem. Nam 1) electio est medium *ordinarium,* postulatio *extraordinarium;* 2) electio supponit personam *idoneam simpliciter,* postulatio *idoneam secundum quid,* scilicet praemissa dispensatione; 3) electus potest consentire *simpliciter,* postulatus solum *conditionate,* seu non dissentire; 4) electio *confirmatur,* sed si rite sit peracta nullam gratiam in confirmatione supponit; postulatio *admittitur,* adeoque *gratiam* semper continet. Denique 5) electio dat ius *ad rem* ante confirmationem; postulatio nullum dat ius, antequam admittatur.

Superior, apud quem fieri debet postulatio, *regulariter* ille est, a quo confirmanda esset electio, siquidem fieri potuisset.

307. Ut postulatio vim suam obtineat, requiritur, ut dictum est, concors electorum voluntas, vel saltem maioris eorum partis. Si omnes in postulando concurrant, nulla potest esse difficultas. At fieri potest, quod secundo loco expendendum est, ut postulatio cum electione vel cum postulatione concurrat. Iam vero

a) concurrit postulatio cum electione, quando pars aliqua unum eligit *per se habilem,* scilicet nullo affectum canonico impedimento, etiam dispensabili; altera vero pars alium postulat sensu exposito. Iam vero in hac hypothesi, lex est ut postulatus non vincat electum, nisi pro se duas tertias partes suffragiorum habeat; electus vero vincat postulatum si vel uno suffragio tertiam partem superet. Id vero ostendit electionem, quippe quae medium ordinarium est, in meliori conditione prae postulatione versari.

b) Si vero postulatio cum postulatione concurrat, hoc est si diversi diversum postulent; tunc maior pars suffragiorum dumtaxat requiritur et sufficit ad postulationis hac ex parte validitatem.

308. Effectus vero postulationis hi sunt: ut postulatio, quemadmodum dictum est, nullum ius det postulato; ut postulantes proinde possint, si velint, a postulatione recedere (quae nondum sit superiori praesentata); dum e contrario ab electione facta nondum confirmata, recedere nequeunt, denique ut postulatio a superiore admissa, eamdem vim habeat, ac electio ab eodem confirmata.

309. In iis omnibus, quae de postulatione hactenus dicta sunt, illud semper subaudiendum est, impedimentum canonicum, ob quod postulatio fieri debet, dispensatione posse amoveri. Hoc autem indicat, quaedam esse impedimenta, quae dispensari nequeunt, aut saltem dispensari non solent. Quae dispensari nequeunt, ea generatim sunt, quae *inhabilitatem* praeseferunt iure divino aut naturali. Hoc pacto postulari nequeunt infantes, amentes, infames, prorsus rudes, etc. Dispensari vero non solent, qui *iure ecclesiastico* expresse postulari prohibentur (ut e. g. violatores *scienter* interdicti, religiosi mendicantes ad praelaturam saecularem cathedrali inferiorem, minores XXII annis ad episcopatum, etc.), vel quibus *facto ipso* constat, dispensationem non concedi; ut e. g. si postulentur bigami.

Illud etiam notandum est, postulationi quandoque substitui, ex apostolico privilegio *indultum eligibilitatis,* quo scilicet Pontifex declarat, ex impedimento illo canonico dispensabili nullum oriri obstaculum, quominus aliquis vero et proprio sensu eligi possit.

ARTICULUS III.

De collatione.

310. Inter eos modos, quibus ecclesiastica iurisdictio acquiritur, collatio tertio loco recensetur. Porro quamvis hoc nomine latius accepto, quaelibet significetur beneficii ecclesiastici concessio, sive ea sit omnino collatori libera, sive legibus adstricta; pressiori tamen sensu hic intelligitur, prout concessionem respicit sola libera collatoris voluntate factam. Hinc definitur: *vacantis beneficii ecclesiastici, ab eo cui tale ius competit, libere facta idoneae personae concessio.* Ex hac definitione apparet ceu collationis elementa haec recenseri:

a) vacationem beneficii quod conceditur, ita ut secus ipsa collatio sit nulla;

b) potestatem in collatore legitimam;

c) idoneitatem in eo, cui beneficium confertur;

d) denique omnium legum observantiam, quae iure ecclesiastico in hac materia statutae sunt, nisi de eo agatur, qui iisdem superior sit, quemadmodum id in Summo Pontifice locum habet.

311. De collatione haec proinde quaerenda sunt: 1) a quo ecclesiastica beneficia conferri possint; 2) quaenam sint leges quae beneficiorum collationem moderantur; 3) quinam sint collationis effectus. His enim collatio, prout hic a nobis spectatur, quatenus scilicet unus ex modis est acquirendi ecclesiasticam iurisdictionem, satis innotescit.

312. At vero si in primis quaeratur, quisnam possit ecclesiastica beneficia conferre: distinguendum est inter *ius commune,* de quo hic unice solliciti sumus, et *ius particulare,* quod in aliqua regione, *ex concessione Summi Pontificis per concordata,* vigeat. Ubi enim hoc particulare ius habetur, collatio beneficiorum ab eo regi debet.

Si igitur ius commune attendatur, *generatim* dici debet, collationem beneficiorum liberam pertinere posse ad aliquem, vel potestate ordinaria, vel potestate extraordinaria. Potestate ordinaria Summus Pontifex beneficia confert in tota catholica Ecclesia; episcopus in sua dioecesi; capitulum canonicorum vel cum episcopo vel etiam per se; praelatus episcopo inferior, si tamen habeat episcopalem iurisdictionem, in territorio sibi subiecto: ex apostolico privilegio, cardinales presbyteri in suis titulis vel commendis. Potestate vero extraordinaria, beneficia conferunt, tum ii qui collatores sunt *substituti* ex negligentia ordinarii collatoris, tum ii qui hoc iure donantur auctoritate Sedis Apostolicae. Tales sunt legati sive *a latere* sive *nati,* sive *nuncii apostolici;* hi tamen si peculiare habeant mandatum. Itaque

I. Summus Pontifex quadruplici modo seu iure beneficia confert; scilicet

a) *iure praeventionis,* ad quod referuntur *gratiae,* quas dicunt *expectativas* vel *mandata de providendo.* Quae licet sublata fuerint de iure ordinario a concilio tridentino, absolute tamen plenitudini apostolicae potestatis adhuc competunt;

b) *iure devolutionis,* supplendo scilicet negligentiam ordinarii collatoris;

c) *iure concursus,* quando simul cum ordinario collatore, ex sua universali iurisdictione concurrit ita, ut ipse unum eligat, alterum vero ordinarius collator. Hoc in casu praefertur ille qui prior contulit, ex nota regula *prior in tempore, potior in iure;* si id non constet, ex personae dignitate praefertur collatio pontificia;

d) *iure reservationis,* quo multipliciter, ut a DD. enucleate (1) edicitur, Pontifex subtrahit quaedam beneficia a potestate ordinarii collatoris, eaque sibi conferenda reservat. Cuius reservationis ratio, praeter exercitium universalis iurisdictionis, est ut arctius adstringatur vinculum unitatis ecclesias inter ac personas particulares, et Sedem Apostolicam. Huc etiam referri debent beneficia quae dicuntur *affecta,* idest in quibus Romanus Pontifex auctoritatem suam interposuit. Haec autem ratione ob-

(1) Cf. Pirhing, ad tit. de Praeb. sect. IX.

sequii erga Apostolicam Sedem, si vacent, pro ea tantum vice Romano Pontifici reservantur. Talia sunt ea, quae conceduntur per mandatum de providendo, vel resignantur in manibus Pontificis, vel ab eo conceduntur in commendam, vel habentur ex coadiutoria, etc. (V. *Ferraris, Biblioth. v. Beneficium, art. 8. nn. 16 seqq.*) (1).

II. Episcopus in sua dioecesi generatim ecclesiastica beneficia iure suo confert; nisi specialiter sint reservata, quatenus vel a Romano Pontifice conferuntur, vel per electionem aut concursum danda sunt, vel nonnisi accedente capituli suffragio dari possunt, vel denique sunt iuris patronatus. Notandum etiam est, episcopum nondum consecratum, dummodo confirmationem iam obtinuerit, beneficia conferre posse; hoc enim non ad ordinis, sed ad potestatem pertinet iurisdictionis (2).

III. Capitulum quoad ea beneficia, quae cum episcopo coniunctim conferre deberet, sede vacante, ea conferendi pollet potestate; non item alia, quae episcopus per se solus conferret. Potest tamen instituere praesentatos a patrono, vel electos confirmare; at in paroeciis vacantibus potest quidem constituere vicarios temporaneos, non vero proprii nominis parochos.

Insuper capitulum potest, sive ex privilegio, sive ex lege fundationis, quaedam beneficia conferre, eaque vel *collegialiter,* scilicet maiori parte suffragiorum ipsorum capitularium; sive *per turnum,* hoc est, ut successive ius illud collationis singulis competat; vel denique *titulo singulari,* quatenus hoc ius alicui praebendae canonicali est attributum. Ea quae dicuntur de capitulo sede vacante, intelligenda sunt in praesenti iure de *vicario capitulari;* ad quem ex decreto concilii tridentini (3) omnis iurisdictio capituli devolvitur.

(1) Huc maxime pertinent illae reservationes quae continentur in regulis cancellariae.

(2) Sed Bonifacius VIII. *Extrav. Iniunctae de Elect. inter comm.* vetuit ne id fiat ante expeditas apostolicas litteras collationis, licet fieri possit ante consecrationem. Huc etiam referri potest Const. Pii IX. *Romanus Pontifex* 5 Oct. 1873.

(3) Conc. Trid. sess. XXIV. c. 16. V. Item, cum resolut. S. C. C. relatis ad calcem in ed. Richter. Hanc editionem ab homine heterodoxo concinnatam eo solum pacto allegamus, quod ibi Resolutiones recenseantur ad

IV. Praelati *nullius,* cum iurisdictione gaudeant quasi episcopali, beneficia item liberae collationis, quae in suo territorio reperiuntur, iure suo conferunt; iis exceptis, ex lege peculiari, quae adnexam habent curam animarum (1).

V. Quod vero spectat ad potestatem conferendi beneficia, sive cardinalibus in suis titulis, sive legatis Sedis Apostolicae attributam, ea quidem aptius exponitur, ubi de aliis eorum iuribus ac privilegiis singillatim sermo est.

VI. Potestate vero extraordinaria, praeter hos postremos recensitos, gaudent conferendi beneficia, ii qui dicuntur *collatores substituti;* qui nempe *negligentiam supplent,* ut dicitur in iure, ordinarii collatoris, qui intra tempus legitimum beneficium conferre differat. De his cf. DD. ad tit. *De supplenda negligentia Prael.* (I. 10).

313. De legibus, quae collationem beneficiorum moderantur, praeter ea quae ex dictis iam colligi possunt, haec nomina-notanda veniunt:

a) collatio beneficiorum fieri debet *actu absoluto;* hoc conditionem non admittit. Ut hoc intelligatur animadvertenc est, collationem beneficiorum recenseri inter *actus legitir.* Porro actus legitimus dupliciter sumi potest, scilicet generat prout significat actum legi consonum, et speciatim prout si ficat « actum cuius valor et effectus in futurum contingen eventum ex ipsa eius natura, vel dispositione iuris, suspe nequit, sed statim ac fit, subsistere debet ». Ita Reiffens *(Comm. de RR. I. ad Reg. 50).* Huc pertinet regula 50 i in 6 « *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem* » (

b) collatio fieri per se posset nudis verbis, quia scriptura rei substantiam non pertinet; attamen expediri solent collatic literae, iuxta formas praescriptas, quo facilius de ea const possit;

verbum nullo addito commentario. Quod dictum volumus pro aliis et vicibus quibus eadem allegatio recurrat. Ceterum et ea editione uti non legitime facta venia nemini fas est.

(1) Ben. XIV., de Syn. dioec. lib. II. c. 11. nn. 5-7.

(2) Haec formula iuris canonici ex illa desumpta est, quae habetur in iure romano L. *Actus* 77. D. de RR. I.; quamvis inter utramque discrimen aliquod exsistat. Vid. Gravina, *Originum iuris civil.,* lib. II. c. 80.

c) collatio beneficiorum intra sex menses facienda est, sub poena *devolutionis* ad eum, qui debet negligentiam supplere. Sex menses tamen computari debent a *certa notitia* vacationis, non vero ab ipsa actuali vacatione.

314. Denique effectus collationis est, ut ea rite peracta, clericus *ius reale* acquirat in beneficio sibi collato.

Reliqua quae ad collationem pertinent, fusiorem tractationem requirunt, quae alterius est loci.

ARTICULUS IV.

De institutione et iure patronatus.

315. Ecclesiastica beneficia, iisque adnexa ecclesiastica iurisdictio, ea quoque ratione acquiri possunt, quod collator beneficium conferre debet ei, quem determinata aliqua persona ex iure praesentaverit. Tunc collatio nomen proprium sibi vindicat *institutionis,* et qui ius habet praesentandi, *patronus* appellatur, potestas vero qua pollet *ius patronatus.*

Hinc ius patronatus est: *ius seu potestas nominandi, sive praesentandi clericum idoneum, ei ad quem institutio pertinet, ut beneficium vacans, quod eiusmodi iuri subiectum est, eidem concedat.*

Cum ius patronatus potestatem conferat praesentandi ad ecclesiastica beneficia, dicendum est, non aliam originem habere, quam benignam Ecclesiae concessionem; ita tamen ut, quemadmodum notat concilium tridentinum *(Sess. XXV. cap. 9 de Ref.),* sit quaedam *servitus* beneficii.

316. De iure patronatus quaeri potest: I. Quotuplex sit. II. Quinam sint iuris patronatus capaces. III. Quomodo acquiratur, et in controversia exorta probetur. IV. Quomodo amitti possit. V. Quaenam sint iura et officia patronorum.

I. Ad divisiones iuris patronatus, quibus eius *species* continentur, pertinet in primis illa qua dicitur vel *activum* vel *passivum.* Ius patronatus activum est ipsum ius praesentandi; passivum est ius ut aliquis praesentetur. Iam vero utrumque dividitur

a) in *personale* et *reale*. Personale adhaeret ipsi personae, reale vero eatenus habetur a persona, quatenus possidet rem cui est adnexum.

b) In *ecclesiasticum, laicale* et *mixtum*. Ecclesiasticum alicui competit *ex titulo ecclesiastico,* ex. gr. ecclesiae, loci pii, dignitatis, beneficii, etc.; laicale originem agnoscit *ex titulo laicali,* uti ex iure haereditario atque alio huiusmodi. Mixtum, ut ex ipso nomine patet de utroque participat; cuiusmodi esset, si clericus simul et laicus in iure nominandi concurrerent, ille quidem ratione beneficii, hic vero iure haereditatis.

c) Insuper ius patronatus laicale iterum subdividitur in *haereditarium,* quod scilicet cum haereditate transmittitur; *familiare,* seu gentilitium, quod ad eos devolvitur, qui ad familiam pertinent; *mixtum,* quod ex duplici titulo coalescit, haereditatis et familiae. Hae divisiones sedulo attendendae sunt, eo quod singulis in iure sint propriae leges adscriptae.

II. Si iam de iis loquamur, qui iuris patronatus capaces exsistunt, distingui debet imprimis *actualis* capacitas, ab ea quae dici potest solum *habitualis*. Ii enim actu capaces sunt, qui nullo detinentur impedimento; habitu vero illi, qui licet impedimento exsistente non possint, eo tamen sublato capaces exsistunt. Qui vero neque actu, neque habitu, hanc obtinent potestatem, iuris patronatus omnino incapaces dicendi sunt. Iam vero

a) omnes quotquot sunt fideles, etiam foeminae, quin et pueri, modo septennio maiores, actu capaces sunt ius patronatus habendi;

b) at vero pueri septennio minores, nonnisi habitu iuris patronatus sunt capaces; quippe id temporis praetergressi, nullo amplius impedimento detinentur. Item, saltem ex plurium doctorum sententia, excommunicati, *habitu* ius patronatus servare dicendi forent; dum hoc ab aliis negatur;

c) denique neque actu, neque habitu, capaces sunt iuris patronatus sive infideles, sive haeretici, nisi quoad hos peculiaris habeatur permissio Romani Pontificis.

III. Ius patronatus acquiritur vel *originarie,* vel *derivative*. Porro modus, quo originarie acquiritur, esse potest ordinarius vel extraordinarius. Et sane

a) modi ordinarii, vulgato exhibentur versiculo:

« *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus* »

seu quod idem est, ius patronatus acquiritur, sive detur cum episcopi consensu area, vel aedificetur ecclesia, vel iam aedificata congrua dote instruatur. Verum, licet in iure quaelibet ex his caussis sit sufficiens ad acquirendum ius patronatus, vim tamen suam non exerit, nisi ecclesia perfecte constituta. Item si plures ad haec concurrant, omnes aeque patroni censentur. Denique ex peculiari reservatione pontificia, praesentatio praelati ecclesiae vel collegiatae vel conventualis, non potest fieri a patronis, nisi indulto pontificio.

b) Modi vero extraordinarii, quibus ius patronatus primo acquiri potest, sunt vel privilegium apostolicum, vel praescriptio (1).

IV. Sed ius patronatus etiam acquiritur derivative; hoc est, ab eo qui illud originarie possidet ad alium transmittitur. Hinc autem

a) ius patronatus *reale* omnibus modis transfertur, quibus transfertur dominium rei, cui est adnexum;

b) haereditarium transmittitur per successionem vel unici haeredis vel plurium in *partes aequales* vel saltem in ea re cui antecedenter adnexum est ius patronatus. Attamen,

c) si plures adsint patroni originales, eorum haeredes (uti et haeredes haeredum unius etiam patroni originalis) succedunt in ius patronatus *per stirpes*, non *per capita*; hoc est singulae haeredum series (vel haeredes haeredum unius patroni) non repraesentant nisi unum suffragium, veluti nomine sui auctoris.

V. Ius patronatus probatur, quando opus sit, tum *in genere*, iisdem mediis ac cetera iura probantur; tum *in specie*, sive ex multiplicatis et non interruptis praesentationibus, iisque a superiore admissis, sive ex libris visitationis episcopalis, sive ex monumentis antiquis, aliisque huiusmodi: ubi tamen notandum est, eo pleniorem probationem requiri, quo maior, sive ratione personae, sive ratione adiunctorum, habetur usurpationis suspicio.

(1) Schmalz. in h. t. (III. 38) § 5. nn. 165. 168.

VI. Ius patronatus amittitur, tum ex rei interitu cui erat adnexum, tum ex facto ipsius patroni; idque vel eius libera voluntate, quatenus eidem renunciaverit; vel eius culpa, quatenus neglexerit suo iure uti praesentandi saltem duabus vicibus, quin probare possit impedimentum; vel denique in criminis poenam, si ecclesiae rectorem aut alium eius clericum occiderit, vel mutilaverit, vel id fieri mandaverit; si in schismatis vel haereseos prolapsus sit crimen; si iura vel bona ecclesiae sibi usurpaverit. In iis enim casibus ecclesia suam iterum adipiscitur libertatem.

VII. Demum ad iura et officia patronorum quod spectat, haec veniunt recensenda:

iura patronorum sunt vel *honorifica* vel *utilia* vel *onerosa*, quae quidem ultima cum officiis ut patet identificantur. Omnia igitur noto exhibentur versiculo:

« *Patrono debetur honos, onus, utilitasque* ».

a) Iura honorifica sunt: sedes speciali loco constituta in navi ecclesiae, non vero in choro seu presbyterio nisi forte adsit alicubi legitima consuetudo, item in publicis supplicationibus dignior locus inter laicos, item ius sepulturae in ecclesia patronata, ius apponendi stemma suum gentilitium uti et honor thurificationis et aquae benedictae etc. spectata tamen varia locorum consuetudine.

b) Utilia haec potissimum sunt: ut patronus si tamen sit ipse fundator, vel eius uxor aut filii, si inopes efficiantur reditibus ecclesiae patronatae ali debeant, itemque ut in ipsa ecclesiae fundatione patronus censum constituere possit in favorem sui vel alterius.

c) Denique onerosa sunt ut inspiciat utrum leges fundationis serventur, recte administrentur bona (1), ecclesia rite custodiatur aliaque huiusmodi et si quid contrarium reperiat episcopo deferat, tum ut ecclesiam tueatur, restauret, reaedificet si opus sit novaque dote instruat si prior defecerit, nisi tamen velit se a

(1) Non tamen potest se ingerere ullo modo in administrationem. Cf. Conc. Trid. l. c.

iure patronatus abiudicare. Ad officia quadantenus patronorum, leges referri etiam possunt quae ab iis sunt servandae pro diversa specie iuris patronatus quo fruuntur. Leges autem huiusmodi peculiares sunt;

I. Quoad patronatum laicalem:

a) ut praesentatio fieri debeat intra spatium quatuor mensium a notitia vacationis;

b) ut *possessor iuris patronatus laicalis* facultatem habeat praesentandi plures etiam *successive* modo id fiat ante institutionem alicuius ex illis;

c) ut non privetur etiam pro ea vice iure praesentandi, etiamsi *scienter* indignum praesentet ad beneficium;

d) si agatur de beneficio cui est adnexa cura animarum non teneatur *lege concursus* sed sufficiat ut eum praesentet qui ab episcopo iudicetur idoneus.

II. Quoad patronatum ecclesiasticum hae leges habentur:

a) praesentatio a patrono ecclesiastico fieri debet intra sex menses a notitia habita vacationis;

b) facultatem non habet plures praesentandi;

c) si scienter praesentet indignum excidit *pro ea vice* a iure praesentandi;

d) si agatur de beneficio curato tenetur illum praesentare qui ex concursu rite peracto dignior iudicatus est.

III. Quoad ius patronatus mixtum, cum hoc ex dictis participet tum de ecclesiastico, tum de laicali eo iure utitur quod sit ei magis favorabile. Hinc quoad tempus gaudet cum ecclesiastico spatio sex mensium, quoad reliqua, iura habet quae competunt laicali.

IV. Quod vero pertinet ad ius patronatus haereditarium, familiare, mixtum hoc solum animadvertendum est in dubio praesumi haereditarium. Leges vero peculiares non pertinent ad modum praesentandi, sed ad modum quo acquiri potest, et de iis superius diximus (heic *d*).

§ IV. *De exercitio ecclesiasticae iurisdictionis.*

317. Iis statutis quae ad iurisdictionem ecclesiasticam veluti in *actu primo* requiruntur, iam ad eius usum seu *exercitium* expendendum accedimus. At clarum est exercitium ecclesiasticae iurisdictionis maiori minorive amplitudine haberi posse, quo maior vel minor est gradus potestatis. Hinc idem est de exercitio ecclesiasticae iurisdictionis disserere, ac de potestate quae variis competit personis ecclesiasticis in hierarchia iurisdictionis, sermonem habere. Id autem toto hoc libro reliquo praestandum est. Hinc quaedam solum sunt nobis exhibenda discrimina quibus iuxta alias datam divisionem (287) *iurisdictio ordinaria* a iurisdictione *delegata* distinguitur. Huc pertinent quae a doctoribus traduntur ad titulum sive *de Officio iudicis ordinarii* (I. 31) sive *de Officio iudicis delegati* (I. 29) in Decretalibus. Haec autem sunt potissima:

a) Iudex ordinarius iurisdictionem exercet *propriam,* hoc est iure suo, ex vi officii proprii, non vero alterius beneficio, dum contra iudex delegatus eam exercet iure alieno, non proprio; non vi proprii officii sed alterius beneficio (1).

b) Iudex ordinarius potest proinde delegare alteri suam iurisdictionem; non item delegatus, nisi specialem ad id habeat facultatem a delegante vel in ipso modo delegationis, ex. gr. ad *universitatem causarum,* ex dispositione iuris ea facultas veluti *implicita* censeatur, iis solum exceptis ad quae omnino requiritur speciale mandatum.

c) Hinc sequitur citatum a iudice ordinario, etiam in dubio de iure citantis venire debere; iudex enim ordinarius non tenetur probare suam iurisdictionem; adeoque onus probandi exemptionem ad alium pertinet, nisi exemptio sit notoria; contra vero delegatus tenetur suam iurisdictionem probare antequam eam exerceat.

d) Iudex ordinarius post datam sententiam, eam potest executioni demandare (287). Iudex vero delegatus saltem ad cau-

(1) V. tamen inferius in Scholio III. huic titulo adiecto quomodo hoc sit intelligendum.

sam particularem, et ab alio quam a principe, executionem debet deleganti permittere. Quamvis ut notat Reiffenstuel *(de Off. iud. del. n. 4),* si agatur de iure ecclesiastico, communiter iudex delegatus hac etiam polleat facultate.

e) Iurisdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis; dum contra iurisdictio delegata expirat, si delegans re adhuc integra moriatur.

f) Iurisdictio ordinaria censetur favorabilis; hoc est eius iura sunt *latae interpretationis;* dum contra iurisdictio delegata cum deroget iurisdictioni ordinariae (est enim modus aliquis extraordinarius exercendae iurisdictionis) censetur odiosa, et eius iura sunt *strictae interpretationis.* Plura alia inter utramque leviora discrimina recensentur a DD. ll. cc.

318. Cum ex alias dictis (287) iurisdictio alia *voluntaria* sit alia vero *contentiosa,* de utriusque exercitio notandum est, voluntarium eo quod exerceatur in volentes nullamque exigat iudicii formam, etiam in alieno territorio posse in subditos exerceri; contentiosam vero cum iudicii formam induat, nonnisi in proprio territorio actus suos valide exerere ex nota regula iuris *(cap. 2 de Const. in 6)* « *Extra territorium ius dicenti impune non paretur* ». At quamvis potestas ordinis quoad actus quos ponit voluntariae iurisdictioni aequiparetur adeoque proprium territorium non requirat, si tamen ad eos actus peragendos usus pontificalium requiratur, ex peculiari lege *(Conc. Trid. sess. VI. cap. 6 de Ref.)* talis usus interdicitur in aliena dioecesi, absque consensu Ordinarii.

§ V. *De cessatione ecclesiasticae iurisdictionis.*

319. Ad absolvendam hanc generalem de potestate iurisdictionis tractationem, reliquum est ut breviter modi exponantur quibus ea potest amitti.

Iam vero id fieri potest vel superioris vel illius qui iurisdictione potitur voluntate. Voluntate superioris amitti potest vel quatenus transfertur ab uno ad aliud beneficium qui iurisdictionem habet, vel quatenus per modum poenae quis ea privatur. Voluntate vero ipsius beneficiati amitti potest iurisdictio vel quatenus sponte beneficium dimittit, vel illud cum alio commutat.

Hinc quatuor sunt modi quibus amitti potest ecclesiastica iurisdictio, scilicet *translatio, depositio, renunciatio, permutatio.*

I. Translatio duplici modo accipi potest scilicet vel generatim de quolibet beneficio, vel nominatim, ut fit in Decretalibus de episcopatu *(De transl. Ep. I. 7).* Primo modo dici potest « *alicuius praelati vel beneficiarii ab uno beneficio ad aliud vel ab una ad aliam ecclesiam superioris auctoritate facta mutatio* », secundo, est « *episcopi alicuius ab una ad alteram ecclesiam Rom. Pontificis auctoritate facta mutatio* ». Porro:

a) generalis regula in translatione est, ut non fiat nisi superioris auctoritate. Additur etiam a quibusdam cum iusta caussa, sed hoc non ad validitatem actus, sed ad eius rectam conditionem pertinet, quae in legitimo superiore praesumi debet et cuius proinde ipse est iudex. Iam vero:

b) si de episcopis agitur superior legitimus unus est Romanus Pontifex cui inter alias maiores caussas episcoporum translatio reservatur *(cap. Inter corporalia 2 de Transl. ep.).* Hoc autem fit ut rariores evadant, tum ut ostendatur translationes episcoporum opponi ei coniugii spiritualis indissolubilitati quam per se unio praeseferre deberet episcopi cum sua ecclesia. Hinc nil mirum quod unus Romanus Pontifex qui est supra canones id facere possit. Ubi notandum est, si translatio fiat absque Romani Pontificis auctoritate, episcopum sic translatum utroque episcopatu privari.

c) Si vero agatur de minoribus beneficiis, eorum rectores auctoritate episcopi, nisi agatur de praelaturis exemptis aut Romano Pontifici reservatis, transferuntur. Quod vero pertinet ad caussas translationis faciendae vel ad conditiones quae a quibusdam recensentur, iam superius dictum est ea ad validitatem actus non pertinere, potissimum quando de Romano Pontifice sermo sit.

d) Negari tamen non potest, frequentiam nimiam in translationibus episcoporum nominatim, in detrimentum vergere ecclesiasticae disciplinae; hinc est quod plures canones contra translationes reperiuntur, et antiquitus rarissime fiebant. Ob quam rem constat cardinalem Bellarminum in tractatu « *de Officio primario Romani Pontificis* » oblato Clementi VIII, inter alias

caussas dissolutae ecclesiasticae disciplinae, translationem nimis frequentem episcoporum recensuisse (1).

e) Effectus translationis legitime peractae sunt: vacatio ecclesiae seu beneficii a quo aliquis transfertur, statim ac translatio fuerit a Romano Pontifice approbata; ius in alteram ecclesiam ad quam fit translatio, vel post confirmationem ante ipsam possessionem ut contingit in episcopo, vel ut in aliis beneficiis post initam possessionem; ius in successore percipiendi fructus *pendentes* dum pro fructibus *iam perceptis* ius manet penes eum qui transfertur.

II. Voluntate etiam superioris sed in *poenam,* amittitur iurisdictio per *dispositionem.*

Haec autem si meram privationem ab officio seu beneficio (2) significet, *simplex depositio* dicitur; si vero clericus omni iure ac privilegio privatur et saeculari brachio puniendus traditur, *degradatio* appellatur. Hinc per depositionem simplicem clericus iurisdictione, per degradationem quoad fieri potest ipso clericali ordine privatur, atque omnibus privilegiis destituitur etiam canonis et fori. Degradatio duplex distinguitur *verbalis* et *realis.* Quod tamen discrimen nihil aliud significat, quam ipsam sententiam datam a iudice et eius executionem, modo a sacris canonibus praescripto. Depositio vel degradatio hic a nobis unice spectatur quatenus per eam amitti possit iurisdictio ecclesiastica, non vero prout poena est ecclesiastica, hoc enim pertinet ad *caussas criminales clericorum,* quae in institutionibus ad aliam tractationem pertinent. Hinc non inquirimus a quo vel ob qualia crimina poena haec infligi debeat.

III. *Renunciatione* seu dimissione beneficii possessi cessat item ecclesiastica iurisdictio. Porro renunciatio est « *dimissio beneficii voluntaria certis ex caussis facta superioris consensu* ». Dicitur voluntaria, ut distinguatur a depositione: itemque caussae requiruntur ut rite fieri possit, nominatim vero necesse est ut hae caussae superiori sint probatae. Renunciatio est vel *pura* vel *conditionata.* In renunciatione pura nil aliud habetur quam beneficii vel officii dimissio, in renunciatione vero conditionata

(1) Phil. De Angelis op. cit. ad lib. I. tit. 7. nn. 1. 2.

(2) *Suspensio* est veluti *temporaria depositio.*

aliquid oneris imponitur successori vel in favorem renunciantis vel in favorem tertii. Circa haec omnia suae habentur leges quas tamen recensere huius loci non est. Quod ad rem nostram facit illud est, per renunciationem a superiore acceptatam cessare in renunciante omnem iurisdictionem.

IV. Quod de renunciatione dicimus, id de *permutatione* dici debet quae nihil aliud est quam renunciatio *determinato quodam modo* conditionata, quatenus scilicet ex mutua fit beneficiorum dimissione inter duos, ita ut alter alterius beneficium obtineat. Eodem igitur modo ac per renunciationem, cessat iurisdictio quoad beneficium dimissum. Iure igitur recensetur inter modos amittendi ecclesiasticam iurisdictionem.

Reliqua pressius ad rem beneficiariam referuntur.

Scholion I. (1)

De notione ecclesiasticae iurisdictionis.

Pauca adiicienda arbitramur iis quae superius diximus (287) de conceptu ac notione ecclesiasticae iurisdictionis.

Cum enim iurisdictio potestatem exhibeat natura sua publicam seu socialem, sequitur *primo,* eam esse potestatem proponendi *efficaciter* seu cum *imperio* omnia ea media socialia quae necessaria sunt quomodocumque ad socialis finis assecutionem, cui respondet in subditis officium obsequendi mandato.

Atqui hoc idem est ac dicere, potestatem iurisdictionis tamquam unum ex elementis quibus constituitur complecti potestatem *legiferam.*

(1) Haec quae adiicimus scholia ad propositam doctrinam de ecclesiastica iurisdictione uberius evolvendam et illustrandam, Institutionum limites per se praetergrediuntur, et ex iis excerpta sunt praelectionibus quas de ecclesiastica iurisdictione habuimus in pontificia superiori Academia historico-iuridica ad quam ann. MDCCCLXXXVI singulari Leonis XIII. P. M. benignitate a pont. universitate Gregoriana translati fuimus. Ea tamen hic compendio referre opportunum duximus in discentium, si iis uti velint, utilitatem, quoad praelectiones rite absolutas, typis evulgare Deo opitulante datum sit.

Secundo, pariter sequitur potestatem iurisdictionis aliud etiam constitutivum elementum sibi adsciscere, potestatem scilicet determinandi authentice verum legis sensum si de eo oriantur controversiae, itemque definiendi conformitatem vel difformitatem actuum quorumcumque quoad legem, quae potestas *iudiciaria* appellatur.

Tertio denique potestas iurisdictionis illud etiam in se habere debet ut media omnia in se honesta, materialia etiam et externa, possit adhibere quibus ii coerceantur qui sceleste legem violare audent, simulque ad eam servandam retinentes urgere; quod idem est ac potestatem habere *coactivam.*

Haec tria elementa triplicem exhibent functionem qua potestas iurisdictionis essentialiter constituitur et plene exercetur, adeo ut potestas adaequata cuiusvis societatis perfectae qualis etiam est Ecclesia nil ultra requirat (V. n. 48. III. 1).

At vero si nominatim de ecclesiastica iurisdictione loquamur, altius nobis, ut iam animadvertimus (287), assurgendum est ac finis ipse est inspiciendus Ecclesiae divinitus praestitutus ab ipso eius auctore Christo.

Hic autem finis est aeterna animarum salus, ad quam proxime in hoc mortalitatis stadio earum sanctificatio ceu finis ordinatur.

Cum vero id obtineri nequeat quin homines ipsi sanctificentur, quippe animae sunt corporibus unitae non vero secretae ab iisdem exsistunt, et in societatem homines coalescunt, hinc Ecclesia societatis quoque indolem praeseferre profecto debet.

Exinde quoque sequitur, ad finem sanctificationis obtinendum oportere ut Ecclesia duplici polleat potestate. Prima in eo est ut possideat in semetipsa media sanctificationis scilicet sacramenta, ad ea rite fidelibus ministranda. Haec potestas *ordinis* appellatur, quia alligata est Christi lege Ordinis sacramento tamquam medio quo communicatur. Altera vero in eo consistit ut Ecclesia quantum in se est efficaciter, incolumi semper manente humana libertate, influat in voluntatem hominis legem ferendo, non vero dumtaxat speculative dirigendo aut suadendo, et per verum et proprium imperium cooperationem urgeat hominis, qua sine aeterna salus nequit obtineri.

Haec porro potestas illa est quae iurisdictionis appellatur.

Hinc apparet

a) potestatem iurisdictionis arctissima significatione esse divinam, quippe quae ex fine oritur ipsi Ecclesiae divinitus praestituto;

b) sequitur quoque iurisdictionem, potestatem esse *publicam* cum ex dictis socialis sit et ad intimam pertineat societatis constitutionem;

c) illud quoque sequitur, potestatem iurisdictionis tamquam constitutivum elementum in se habere *auctoritatem* seu *imperium* cui ut iam diximus respondet in subditis officium obediendi;

d) item patet potestatem iurisdictionis in bonum fidelium exerceri, siquidem ex fine dimanat Ecclesiae proprio eos sanctificandi et salvandi, adeoque tam late patet sive quoad mediorum possessionem sive quoad eorum usum quantum finis ipse portenditur;

e) denique illud constat, iurisdictionis potestatem quae Ecclesiae competit habere tamquam terminum eos omnes qui Ecclesiae sunt membra, seu quod idem est ecclesiasticam potestatem iurisdictionis veram et propriam *superioritatem* exhibere, adeo ut non nisi in sibi subditos vel facto vel saltem iure (ut haereticos etiam spectemus), possit exerceri. Recensitis hoc pacto constitutivis elementis potestatis ecclesiasticae iurisdictionis, facile tum generalis eiusdem conceptus tum eius definitio deprehenditur.

Hinc aptissime eam definiri posse arbitramur ut sit: *potestas publica imperandi fidelibus ea omnia quae ad finem Ecclesiae assequendum sunt quavis ratione necessaria.*

Quae porro definitio sive implicite sive explicite omnia continet elementa quibus essentialiter, ut ostendimus, potestas iurisdictionis constituitur. Insuper si comparetur cum aliis quae passim ab auctoribus traduntur, statim perspicitur, eam quam dedimus ab illis discriminari, quod diserte Ecclesiae finem tamquam fontem memoret a quo omnia iura dimanant. Dum e contrario in illis ordo dumtaxat innuitur potestatis iurisdictionis ad publicum regimen societatis. Insuper illud deducitur quod maximi momenti est ad rite intelligendam relationem inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis, scilicet potestatem

ordinis licet intrinsece excellentior dici possit cum ex divina institutione uni ex novae legis sacramentis sit alligata, si tamen consideretur relatio quam habet ad finem proximum sanctificationis et finem ultimum salutis aeternae, subesse et ipsam quoad usum potestati iurisdictionis.

Et re quidem vera etsi quoad validitatem sacramentorum efficacia unice pendeat a potestate ordinis quae adnexa est characteri sacramentali, ut tamen esse possit *practicum* medium sanctificationis, requiritur ut sacramenta legitimo modo administrentur, secus enim si usus sit illicitus non ea habetur ordinatio ad finem Ecclesiae quae ex ipsa natura exigitur. At vero hoc est obiectum potestatis iurisdictionis.

Sunt tamen duo sacramenta nempe poenitentia et matrimonium quae ad validitatem etiam actus, requirunt potestatem iurisdictionis. Cum enim sacramentum poenitentiae sub forma iudicii sit divinitus institutum, essentialiter in eo subiectio requiritur illius qui iudicatur proprio iudici, ex qua fit ut per potestatem iurisdictionis habeatur iudicis competentia.

Pariter cum matrimonium iuxta catholicam doctrinam sit ita ad sacramenti dignitatem a Christo evectum, ut ipse contractus naturalis sit superne elevatus ad dignitatem sacramenti, etiam opus est ut contrahentes apti efficiantur ad contrahendum et consequenter ad hoc ut ipse contractus divinitus elevatus exsistat.

Quae quidem omnia ea quae superius in textu (287) hac de re proposuimus uberius declarant et illustrant. Unum etiam adiicimus ad illud illustrandum quod animadvertimus (288) circa significationem vocis iurisdictionis si comparetur cum ea quam habet in iure romano. Etenim in iure romano quatuor veluti gradus distinguuntur quo regendi potestas explicatur: *maiestas, imperium, iurisdictio, notio.*

Maiestas, suprema erat omnium potestas ceterorum omnium iurium fons et fundamentum. Haec proprio sensu in populo romano residebat. Hinc formula *Maiestas populi romani.* Huc nominatim referebatur potestas legifera (1).

(1) Calvinus, op. cit. v. *Maiestas;* Schmalzgrueber, a tit. 32. lib. I. Decret. §§ 1. 2.

Imperium, potestas erat coercendi poenis etiam extremis criminosos, seu *ius gladii* ac generatim potestas coactiva (1).

Iurisdictio, potestas erat cognoscendi, iudicandi, iudicatum exequendi, et iudicem dandi. Haec propria erat quorumdam magistratuum nominatim praetoris (2).

Notio, potestas erat cognoscendi et iudicandi, non tamen iudicatum exequendi et iudicem dandi. Haec competebat iudicibus *pedaneis* (3) et iudicibus datis a magistratibus.

Porro notandum est:

a) *iurisdictionem* presse sumptam nonnisi *eminentiori modo,* attribui in iure romano, supremae potestati quae proprie loquendo erat *in populo,* ab eo autem dimanabat in reges, dein in consules, postea in imperatores.

b) *Iurisdictionem* per se in iure romano non complecti imperium seu vim coactivam. At deinceps cum vix inanis non videretur destituta qualibet vi coactiva, modica ei coercitionis facultas tributa est *imperium mixtum* ideo nuncupata ut a *mero* distingueretur *(L. 3. ff. de Iurisd.).*

c) Legiferam potestatem item populi romani propriam fuisse, a quo lex rogabatur per senatum et consules in comitiis sive *curiatis* sive *centuriatis,* vel pro *plebiscitis* per tribunos plebis; dein imperatoribus per constitutiones imperatorias exercendam datam fuisse.

d) *Iurisdictionem* potissimum ad iudiciariam potestatem pertinere eamque exerceri a magistratibus nominatim a praetoribus, per *edicta* primum *temporaria,* dein post Hadrianum per edictum perpetuum Salvii Iuliani quod normam veluti fixit exercitio iurisdictionis praetoriae;

e) inter iura praetoria auctoritate fungentium, illud etiam erat *dandi iudices* pro controversiis privatorum. Hi *iudices dati* etiam *formulam* a praetore habebant iuxta quam controversia erat dirimenda. Cum eorum iurisdictio ex praetoris *mandato* conferretur hinc *mandata* dicebatur;

(1) L. 3. ff. de Iurisd. (II. 1).

(2) In Digestis Lib. II. tit. 1. de Iurisdictione. In codice lib. III. tit. 13 de Iurisd. omnium iudicum.

(3) Lib. III. tit. 3. C. de pedaneis iudicibus.

f) denique iudices *pedaneos* non esse permiscendos cum iudicibus *mandatam* iurisdictionem habentibus, quandoque enim ad consilium adhibebantur, vel tantum instar arbitrorum.

Ex his quae de iure romano deliberavimus, liquet

a) *iurisdictionis* nomen et conceptum in iure nostro, longe amplioris esse significationis ac in iure romano, siquidem et maiestatem et imperium et iurisdictionem complectitur;

b) utrumque tamen conceptum convenire *quoad partem affirmantem,* quatenus scilicet iurisdictio in iure canonico facultatem complectitur caussas cognoscendi, et iudices dandi seu quod idem est iurisdictionem exhibet tum *ordinariam* tum *delegatam* (saltem quoad hanc notam quod tum iurisdictio *mandata* tum iurisdictio *delegata* habentur ex mandato);

c) sepositis etiam legifera et coactiva potestate quae in iurisdictione in iure romano non includuntur, ad iudiciariam etiam potestatem quod attinet, illud etiam inter utrumque discrimen exsistere, quod in iure nostro iudiciaria potestas non ad solas civiles privatorum caussas sed ad quascumque portenditur.

Denique multo magis discrimen apparet ex illa generali formula: « *Ad iurisdictionis ecclesiasticae potestatem, ex divina Christi institutione, pertinere quaecumque ad assequutionem finis Ecclesiae quavis ratione requiruntur, iis dumtaxat exceptis quae ad potestatem ordinis spectant et sub ea tantum ratione qua potestatis ordinis sunt* ». Quod iam paulo superius explicavimus distinctione facta *efficientiam* inter et *usum* sacramentorum.

SCHOLION II.

De speciebus ecclesiasticae iurisdictionis.

Eas inter partitiones quas in textu (287) recensuimus nominatim attendenda est illa qua iurisdictio dividitur in *ordinariam* et *delegatam.* Neque enim eam quemadmodum ceteras aliquid accidentale exhibere arbitramur, sed ipsas species iurisdictionis enuntiare adeoque vero et proprio sensu ad rei essentiam pertinere.

Constat in primis fundamentum huius partitionis esse in origine *proxima* e qua iurisdictio dimanat in eum qui illam exercet.

Consulto dicimus spectari in ea originem proximam: nobis enim certum est, ad potestatem iurisdictionis quod spectat, unicum esse fontem a quo ex ipsa Christi voluntate primitus in omnes subiectos gradus derivatur, scilicet Romanum Pontificem. Quae quidem sententia et theologice certa quin et unice vera est.

Praeter autem iurisdictionem ordinariam et delegatam aliud membrum non admittimus, adeoque ut suo loco paullo inferius notabimus, iurisdictionem illam quae ex iure romano *mandata* appellatur in hanc ipsam partitionem refundimus.

Hisce praemissis, demonstrandum nobis est partitionem iurisdictionis in ordinariam et delegatam esse specificam, seu quod eodem redit exhibere duas species in quibus dividitur genericus conceptus iurisdictionis.

Sane,

primo, huius partitionis membra sese mutuo excludunt; iam vero in comperto est characterem maximae distinctionis esse ipsam membrorum invicem oppositionem. Etenim utraque convenit in genus iurisdictionis, simulque in eo invicem differunt quod iurisdictio ordinaria ex ipsa sua natura habetur et exercetur *iure proprio,* iurisdictio vero *delegata* habetur et exercetur *iure alieno.*

Porro evidenter liquet ius proprium et ius alienum semet mutuo excludere.

Secundo: verum ultro progredimur et affirmamus iurisdictionem ordinariam ita differre a delegata ut differentia sit *specifica,* proindeque iurisdictio ordinaria et iurisdictio delegata duas easque solas designent proprias species in quas conceptus genericus iurisdictionis dispescitur.

Huiusmodi investigatio haud est supervacanea, cum id si semel constet eo ipso veluti solido fundamento destitutae proindeque a veritate aberrantes haberi debeant sententiae quorumdam auctorum nostri aevi (1) quae iurisdictionem quamdam

(1) De Angelis, Praelect. Iuris can. ad tit. de Off. vic. n. 11; Santi, in eumd. loc. nn. 20, 21; not. a. His adde Vering, Hinschium aliosque, qui novam iurisdictionem *quasi ordinariam* induxerunt.

anomalam et veluti intermediam ordinariam inter et delegatam atque utriusque participem excogitarunt.

Nimis enim evidens est haud posse confundi duas species quae inter se distinguuntur differentiis ex ipsa sui essentia contradictoriis.

Iam vero statim apparet sedulo rem inspicienti omnes alias iurisdictionis formas quae continentur iis partitionibus quae vulgo usurpantur, eiusmodi esse ut aeque possint praedicari de utroque membro huius partitionis in ordinariam et delegatam, quam specificam nuncupamus.

Iurisdictio sane ordinaria esse potest universalis et particularis, adaequata vel inadaequata, contentiosa vel voluntaria atque ita porro. Idem etiam valet pro iurisdictione delegata. Unum tantummodo de iurisdictione ordinaria praedicari nequit scilicet eam esse delegatam, pariterque de iurisdictione delegata eam esse ordinariam.

Insuper illud quoque liquet partitionem hanc in ordinariam et delegatam *primam* omnium habendam esse cum ex dictis ab *origine* desumatur, hinc omnium universalissima est easque complectitur, quippe quae in iis necessario praesupponitur.

Unde iure infertur alias partitiones quascumque, in iis membris quibus coalescunt, exhibere dumtaxat qualitates vel modos vel affectiones quae licet etiam inter se oppositae haud tamen exprimunt illud essentiale discrimen quo naturae differentia constituitur.

At vero e contrario partitio iurisdictionis in ordinariam et delegatam, iurisdictiones exhibet natura sua diversas quae conveniunt quidem in generico iurisdictionis conceptu sed inter se differunt ratione ipsius originis atque essentiae, seu quod idem est ad species diversas pertinent et partitionem exhibent quae iure specifica appellatur.

Statuta hoc pacto tum obiectiva veritate huius partitionis ecclesiasticae iurisdictionis in ordinariam et delegatam, tum utriusque membri intima relatione superest ut aliquid dicamus in scholio insequenti singillatim de utriusque vera idea et accurata definitione.

Scholion III.

De natura et definitione ecclesiasticae iurisdictionis ordinariae et delegatae.

Duplex est methodus qua exhiberi potest scientifica disquisitio in naturam atque iuridicum conceptum iurisdictionis quae *ordinaria* vel *delegata* in iure nostro appellatur.

Potest enim analytica methodo tum ex rite discussis auctorum sententiis tum iis quoque recensitis textibus iuris quae ad rem faciunt, veluti per gradus quosdam, ab iis quae ab omnibus ut certa habentur ad ea quae minus aperta sunt definienda deveniri.

Si hac methodo quaė inquisitionis est quis uti velit, non modo rem ipsam sed medium ac prope viam qua ad illam cognoscendam pertingere potuit perspectam habebit. Verum est alia quoque methodus quae et compendio utitur et ad docendum est aptior, quae scilicet synthetice fructum investigationis adhibitae brevibus et determinatis quibusdam formulis colligit.

Hanc nos in praesenti seligimus, et solum ad singula membra recensionis nostrae adiiciemus allegationes sive ex textibus iuris sive ex doctorum sententiis quae sunt fundamentum quo veritas singularum propositionum innititur.

Igitur:

1°. Communis formula, ex iure romano desumpta, qua iurisdictio *ordinaria* ea est; *quam quis habet iure suo, delegata* vero, *quam quis habet alieno beneficio,* aequivocatione non caret adeoque eam esse *explicandam et perficiendam* (1) clarum est.

2°. Aequivocatio autem in eo est quod duplici modo potest iurisdictionem quis habere *iure suo;* primo: ut in eo sit *principaliter,* et non *communicata* quia iam est adnexa ex iure officio quod habet; secundo: *accessorie* et *communicata* quatenus per hanc communicationem una est *persona iuridica* principalis et

(1) Patet ex ipsa vulgata controversia qua pacto iurisdictio vicarii generalis episcopalis dicatur ordinaria.

accessorii. Tum enim licet diverso modo, etiam qui habet communicatam habet *iure suo* (1).

3°. Item duplici modo haberi potest iurisdictio *alieno beneficio* seu ut etiam in iure dicitur ex *commissione* (2). Primo, ut *immediate* et *directe,* alieno beneficio seu commissione conferatur *ipsa iurisdictio*. Secundo, ut ex *sola commissione* sed *ad nutum* voluntatis revocabili, per se conferatur *officium* cui ex iure adnexa est iurisdictio. Primo modo iurisdictio neque *per se* neque per *communicationem* est ordinaria, adeoque vero et proprio sensu est delegata; altero modo est adhuc ordinaria, quia semel ac confertur officium vel perpetuo vel etiam temporario et ad nutum, ex iure habetur iurisdictio eidem antecedenter adnexa (3).

4°. Quare duplex distingui debet mandatum: aliud enim est constituens *in iurisdictione* ex quo oritur iurisdictio *delegata,* aliud constituens *in officio,* ex quo oritur iurisdictio *ordinaria* tum legati tum vicarii generalis (4).

5°. Item perpetuitas non est character *essentialis* potestatis ordinariae, adeoque eam non distinguit a potestate delegata. Quare iurisdictio potest esse *ordinaria* quin sit perpetua. Hoc consectarium est maximi momenti, praesertim ad solvendas plu-

(1) Pirhing, de Off. et pot. iud. deleg. (I. 29) sect. 1. § I. v. *Additur;* Schmalzgrueber, de Off. archid. (I. 23) n. 7; de Off. vic. (I. 28) n. 18; Reiffenstuel, de Off. archid. n. 6; de Off. vic. nn. 92-182; Pichler, de Off. archid. n. 3. v. Quamquam.

(2) *Cap. Licet 2 de Off. vic. in 6.* « *Licet in officialem episcopi* per commissionem officii *generaliter sibi factam causarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, corrigendi..... transferri nolumus in eumdem nisi sibi specialiter haec committantur* ». Diserte hic distinguitur *commissio officii* cui est iam adnexa iurisdictio antecedenter (ordinaria) et *commissio specialis causae* iurisdictio delegata. Cf. ibi glossam v. *Officialem*. Item *cap. Legatos 2 de Off. leg. in 6; cap. Romana 3 de Appell. in 6; cap. Si contra 4 de Off. et pot. iud. deleg. in 6.*

(3) Patet ex testibus nuper allegatis et *cap. Ad abolendam 9 de Haer.* § *fin.; cap. Licet in corrigendis 12 de Off. Ord.* ubi distinguitur inter episcopum tanquam *ordinarium* et tamquam *delegatum,* quae distinctio frequentissime fit in concilii tridentini decretis de reformatione ut in comperto est.

(4) Est consectarium evidens ex demonstratis de iurisdictione *ordinaria* ob officium etiam temporarie commissum.

res quaestiones quae hac de re nostris temporibus agitantur nominatim quoad parochos (1).

6°. Tria igitur accurate distinguenda sunt: *beneficium, officium, iurisdictio.* Iurisdictio ordinaria pendet ex officio cui *antecedenter* est *ex iure adnexa,* adeo ut si conferatur officium, iurisdictio, saltem intra quosdam limites, *antecedenter* adnexa, habeatur. At quod hoc officium sit adnexum beneficio quod *presso sensu* est in praesenti disciplina *subiective* perpetuum, hoc efficit ut *possessio* iurisdictionis sit *perfectior* quam in *officio* simpliciter commisso et revocabili, at eius naturam non potest immutare, et iurisdictio adnexa, saltem intra quosdam limites *antecedenter* officio, est semper ordinaria. Hinc intelligitur cur in iure iurisdictio legati et vicarii sit et dicatur *ordinaria* (2).

7°. *Identitas personae iuridicae* episcopi cum suo *officiali* seu *vicario generali,* est *character essentialis* iurisdictionis vicariae et eam distinguens ab omni alia iurisdictione etiam ordinaria. Quod vero non datur appellatio a vicario generali ad episcopum, hoc est dumtaxat aliquod consectarium *ex ipsa natura institutionis* quae essentialiter in eo est ut unum habeatur *auditorium, consistorium, tribunal,* seu quod idem est *una sit persona iuridica (Cap. 2 de Cons. in 6).*

8°. Quod igitur, in quibusdam casibus, non detur appellatio a sententia subdelegati ad delegatum qui subdelegandi habebat facultatem, sed debeat appellari ad primum delegantem, hoc non provenit ex eo quod subdelegatus cum subdelegante efficiant *unam personam iuridicam,* sunt enim *semper duplex persona iuridica,* sed ex eo quod ita subdelegans, *totam suam commisit iurisdictionem* adeoque etiam facultatem recipiendi appellationem: hinc etiam in iis casibus toto coelo differt ab iurisdictione vicaria. *Cap. Super quaestione 27 de Off. et pot. iud. deleg.* (3).

9°. Illud denique intelligitur quod a doctoribus dicitur, *iurisdictionem delegatorum a iure* non esse *ordinariam* sed *dele-*

(1) Haec melius patebunt ex iis quae de parochis inferius dicenda sunt.

(2) *Cap. Romana 3 de Appell. in 6* cit.; *c. Non putamus 2 de Consuet. in 6.*

(2) *Cf. Gonzalez, Tellez, comm. in h. t.*

gatam quia non confertur *per modum officii*, sed *per modum specialis commissionis* (1).

10°. Concludimus, *characterem* seu *notam essentialem* iurisdictionis *ordinariae* esse, ut *antecedenter*, saltem intra quosdam limites, *sit adnexa officio*. Officium autem potest esse *coniunctum cum beneficio proprie dicto*, et tunc habetur in praesenti disciplina titulo *per se irrevocabili* et *perpetuo;* et officium potest esse simpliciter *commissum per iniunctionem voluntatis* et tunc habetur titulo *per se temporario et revocabili*. Haec autem commissio potest fieri ita ut habeatur exinde vel non habeatur identitas *personae iuridicae*.

11°. Ex his characteribus putamus plene et perfecte definiri iurisdictionem ordinariam si dicatur: *iurisdictio ordinaria est ea quae est antecedenter adnexa alicui officio ecclesiastico sive inhaerenti personae titulo perpetuo sive simpliciter commisso cum vel sine identicae personae iuridicae communicatione*.

Brevius, iam explicatis terminis: *iurisdictio ordinaria est illa quae est antecedenter adnexa alicui officio ecclesiastico vel proprio vel commisso*.

Illud autem quod in hac definitione exhibetur per illa verba: *antecedenter adnexa* etc., illustrari adhuc potest quatenus *officium illud*, non quomodocumque sed *per modum verae et propriae ecclesiasticae institutionis* exsistit, suas habet, saltem

(1) Reiffenstuel, *(de Off. vic. nn. 92-102)* « Nec dicas: si talis iuris- « dictio defertur a iure seu canone, ergo ipsa erit ordinaria non delegata. « Respondeo enim cum Barbosa *(de Off. et pot. ep. par. 3. alleg. 92. n. 3)* « et aliis: *nego sequelam. Adhuc enim iurisdictio illa quae tribuitur epi- « scopis virtute talis clausulae est delegata non ordinaria*, haud obstante « quod a iure communi deferatur, *quia videlicet committitur ipsis non sub « ratione officii, sed per mandatum specialis commissionis seu delegatio- « nis etc.* ». Vide hic distingui *commissionem officii* cui respondet iurisdictio ordinaria, et *commissionem caussae* cui respondet iurisdictio delegata.

Ex quibus iure inferimus, quod maximi momenti est in hac controversia, vicarium generalem episcopi licet sit vicarius *datus* h. e. ex commissione officii eidem libera episcopi voluntate facta, secus ac archidiaconus qui in antiquo iure erat vicarius *natus*, non est tamen *iudex datus*, quia mandatum eum constituit *in officio*, non *in iurisdictione*, saltem intra quosdam limites, adeoque eius iurisdictio intra eos limites non est *mandata* sed *propria*, sed peculiari modo h. e. addita etiam communicatione identicae personae iuridicae quod in legato non habetur.

intra quosdam limites, definita in iure *leges, praerogativas, potestatem.* Est igitur aliquid *permanens* et *obiective perpetuum,* quamvis *attributio subiectiva* sit temporaria. Sic ex. gr. postquam in dioeceseos regimine suffectus est, *per communem Ecclesiae disciplinam,* vicarius generalis episcopi archidiacono, evidens est vicariatum eo pacto esse veram et propriam *institutionem,* permanentem et, manente eadem disciplina, omnino suis legibus definitam. Episcopus poterit forte et *per modum exceptionis,* carere vicario generali, et uti solis delegatis, sed si velit eum habere, *officii* potestas intra quosdam limites est ab Ecclesia iam definita, *ab eo non dependet,* adeoque non est neque delegata neque ullo modo *mandata,* licet officium sit huic vel illi per mandatum commissum. Nil igitur mirum eam iurisdictionem *ordinariam* esse et dici. Quod etiam ex illa canonistarum doctrina illustratur, in iurisdictione adnexa officio vicarii inclusa censeri, quaecumque simul cum officio ab episcopo uno eodemque actu conferuntur licet per se exigant speciale mandatum. Hoc enim necessario supponit officium iam antecedenter *propriam* quamdam habere iurisdictionem.

12°. Contra vero character seu nota essentialis *iurisdictionis delegatae* est ut *directe* et *per se, nulli sit adnexa antecedenter ecclesiastico officio, adeoque sola per commissionem seu mandatum conferatur, sive per meram iniunctionem voluntatis sive iuris dispositione* ita ut sit in ea *essentialis et necessaria* diversitas personae iuridicae in delegante et delegato.

Dixi, essentialem esse et necessariam diversitatem personae iuridicae in iurisdictione *delegata* seu *mandata.* Nam toto coelo differunt inter se *iurisdictio mandata* et *officium mandatum,* cui *antecedenter* ad mandatum est, saltem intra quosdam limites, adnexa iurisdictio; sicut differt communicatio *effectus a communicatione caussae* (1).

13°. Hinc, *iurisdictio delegata est ea quae commissione ipsa seu mandato sola confertur, ita ut essentialiter et necessario sit diversa persona iuridica delegantis et delegati.* Brevius iam explicatis terminis: *iurisdictio delegata est ea quae directe ac sola per mandatum, alteri tanquam iuridice inferiori, committitur (Pirhing l. c. heic 2° nota).*

(1) Haec contrariorum ipsa ratione clara sunt.

14°. At vero cum has definitiones veras suisque numeris absolutas dicimus, id potissimum ea ratione affirmamus, quod absque ulla aequivocatione et ea qua par est conceptuum distinctione, genuinam essentiam exhibent ac naturam iurisdictionis sive ordinariae sive delegatae. Haud tamen verborum quibus usi fuimus adeo prave amantes erimus, ut alia, si meliora suppeditentur, dummodo rem eamdem exprimant, respuamus, quamvis ea non sine conceptuum ac rerum diuturna consideratione prae ceteris selegerimus.

15°. Illud quoque demum animadvertisse iuverit, ex hactenus demonstratis omnino constare, partitionem iurisdictionis in *ordinariam* et *delegatam* adaequatam prorsus esse. Sed quaeri potest quid tum sibi velit ea distinctio quae ponitur a plerisque iurisdictionem inter *mandatam* et *simpliciter delegatam*. Ut exordiamur ab iis quae certa sunt, illud sane liquet iurisdictionem ideo dici *mandatam* quia mandato seu commissione confertur; cave tamen ne perperam confundas cum iurisdictione mandata, illam quae antecedenter est adnexa ab iure alicui *officio*, licet *commisso*. Tunc enim, ut diximus, non *iurisdictio*, sed *officium* committitur, et iurisdictio est ordinaria: cum igitur *iurisdictio* ipsa obiectum est mandati, ea procul dubio est delegata. Iurisdictio igitur *mandata* delegata est ex hactenus demonstratis. Discrimen ergo si quod est non potest esse nisi *accidentale* h. e. *quoad modum delegationis*. Hoc posito, facile intelliguntur quae habet Schmalzgrueber *(de Off. et pot. iud. deleg. n. 3. § Porro)*: « Porro multum interest an quis *mandatam* an solum *delegatam* iurisdictionem habeat. Nam 1) Qui « mandatam iurisdictionem habet in multis aequiparatur iudici « ordinario. 2) Etsi mandare iurisdictionem non possit alteri, « potest tamen iudicem dare seu delegare ad particularem ali- « quam causam. *L. Cum praetor 12. v. Iudicem ff. de Iudic.* « 3) Eidem integra iurisdictio, i. e. cum plena potestate exe- « quendi sententiam, adeoque mixtum imperium conceditur, cum « illi qui iurisdictionem delegatam solummodo habet solum « committatur praeter caussae cognitionem, coercitio aliqua seu « simplex iurisdictio absque plena et perfecta potestate exequendi « *Konig hic n. 3.* 4) Ab habente iurisdictionem non recte ap- « pellatur ad mandantem, nisi hic aliquid iurisdictionis sibi

« retinuerit, sed appellari ad huius superiorem debet *L. Quod* « *dicitur 1. ff. Quis et a quo appellatur*, at vero a delegato « ad delegantem appellatio conceditur. *L. un. C. Qui pro sua* « *Iurisd.....* Sed utut haec vera sint, nomine delegati tam is qui « mandatam, quam ille, qui delegatam iurisdictionem habent « apud auctores passim veniunt ». Hactenus Schmalzgrueber.

16°. At vero ni toti fallimur, ex his doctrina quam tuemur mirifice illustratur.

Etenim

1. Patet iurisdictionem *mandatam* si generali quadam formula dicatur eam esse, quae exercetur non proprio nomine sed alieno, tum ea in iure canonico, aeque complecti mandatum constituens in officio, et mandatum constituens in iurisdictione, adeoque in iure canonico non exhibere *essentiam* iurisdictionis, sed *modum* quo habetur.

2. Hinc forte repetenda occasio illius aequivocationis quae caussam dedit disputandi, utrum iurisdictio legati Pontificis vel vicarii generalis episcopalis sit ordinaria vel delegata. Enimvero haec aequivocatio neque concipi potest si seposita appellatione iurisdictionis *mandatae,* retineatur solum appellatio quae in iure nostro est iurisdictionis ordinariae et delegatae. Ex dictis enim semel ac *officium* non vero iurisdictio sola committitur ea est ordinaria.

3. Denique si iurisdictio *mandata,* appelletur ea quae *sola et directe per mandatum confertur,* tunc ea prorsus dici debet et est *delegata* ut ipse Schmalzgrueber concludit, cui tamen peculiaris quaedam qualitas adiicitur mere per accidens in modo et exercitio delegationis. Ius igitur canonicum *directe* in suis formulis *delegati* et *ordinarii iudicis* meminit, et siquidem mandata iurisdictio in medium proferatur, quae ab ordinaria distinguatur, eam delegatam esse statuit. Ex quo patet ita Ecclesiam iure romano uti ut non suas leges illi, sed illud quando vult suis legibus accommodet. Haec interim sufficiunt ad hanc protheoriam intelligendam, quaedam adhuc dabimus ubi inferius de legato et vicario sermo data opera habendus erit.

TITULUS X.

De Summo Pontifice et curia pontificia.

320. Absoluta generali tractatione de potestate ecclesiasticae iurisdictionis, iam dicendum est de personis in quibus ea residet, deque gradu quo singulis competit. Unum tamen tum pro iis quae hic sumus dicturi, tum pro reliquis liceat animadvertere; nos institutionum *textum,* eumque in schola *explanandum* exhibere, hinc neque *omnia* quae dici possunt sed quae magis discentibus necessaria, neque enucleata, sed breviter recensitis allegationibus ac opportunis adscitis praesidiis illustranda, proponere. Quod semel dictum sufficiat, ne quis a nobis exigat aut tractatum de curia pontificia aut *formularium* quod vocant, *practico–legale.*

Iam vero ad tractationem nostram disputationem revocantes, primum locum sibi in ea vindicat Romanus Pontifex, in quo non modo potestas iurisdictionis *universalis* est sed ut alias diximus veluti in fonte residet, a quo in alios omnes ex Christi voluntate dimanat. Patet autem pleraque de Romano Pontifice ad dogmaticam theologiam spectare, quae proinde a nobis hic supponi debent (1). Huc pertinent:

a) institutio divina, perpetuitas, iura primatus, a Christo beato Petro eiusque legitimis successoribus collati;

b) formulae generales atque omnino amplitudine incircumscriptae, quibus oecumenica concilia nominatim florentinum et vaticanum, de hac Romani Pontificis potestate locuti sunt in suis dogmaticis definitionibus;

c) earum applicatio prae triplici potestatis functione *legifera, iudiciaria, coactiva* seu quod idem est, quaenam varia sint obiecta, ad quae eius potestas extenditur quoad *fidem, mores* et *disciplinam.*

321. Priusquam haec obiecta singillatim persequamur, ut

(1) De his cf. Palmieri, Tract. de Rom. Pontifice; Card. Mazzella, de Religione et Eccl. disp. V.

generatim perspecta nobis sit Romani Pontificis potestas, formulae suppetunt in iure notissimae quibus edicitur:

a) excepto *iure divino* quod tamen authentice interpretandi ius habet, omnia subesse *plenitudini apostolicae potestatis;* hinc

b) Romanum Pontificem esse *supra canones,* nullaque ecclesiastica lege in sua iurisdictione posse coerceri si actus intrinseca validitas attendatur: Romanum Pontificem *omnia posse* in Ecclesia (supposita illa unica iam recensita limitatione) adeoque numquam excipi posse contra eius auctoritatem.

Hinc in dubio, utrum aliquid pertineat ad eius auctoritatem, nihil esse ei detrahendum.

Ex quibus formulis apparet quaenam sit Romani Pontificis potestas quoad omnia quae sive legiferam sive iudiciariam sive coactivam potestatem respiciunt. Ut tamen aliquid enucleate magis de his proponamus, ad ea obiecta ad quae potestas universalis iurisdictionis Summi Pontificis extenditur haec in primis pertinent:

a) Eius infallibile magisterium in iis quae ad fidem et mores spectant dogmatice definiendis, tum in iis quae cum iisdem necessario nexu copulantur, uti et ius ea omnia fidelibus praecipiendi aut vetandi quae ad fidei morumque integritatem tuendam requiruntur.

b) Ius leges quascumque pro universa Ecclesia ferendi, constituendi ea quae ad cultum pertinent, dispensandi in generalibus Ecclesiae legibus, approbandi ordines regulares, tuendi custodiam sacrorum canonum, ad honores beatorum coelitum insignes sanctitate in Ecclesia evehendi.

c) Erectio et ordinatio episcopatuum et ecclesiasticae hierarchiae in quibusque orbis regionibus, episcoporum creatio, reservatio beneficiorum, ius concedendi exemptiones a gradibus iurisdictionis inferioribus, recipiendi a singulis episcopis relationes status suarum ecclesiarum atque in iis exercendi immediatam et ordinariam, si velit, potestatem, tum in singulos episcopos, tum in singulos fideles, quemadmodum dogmatice definitum est a concilio vaticano (1).

d) Ius recipiendi appellationes a quolibet ecclesiastico iudicio,

(1) Const. prima de Eccl. cap. 3.

uti et sibi reservandi *causas maiores* ac iudicium nulli auctoritati superiori obnoxium in iis proferendi. Denique ius convocandi, moderandi, confirmandi concilia oecumenica, ita ut absque eius auctoritate nihil in iis statui possit. Haec et alia plura ostendunt quam late pateat Romani Pontificis auctoritas (1).

322. Insuper Romanus Pontifex ut patriarcha occidentis, metropolita provinciae romanae et episcopus ipsius romanae dioeceseos, iis omnibus gaudet iuribus sed eminentiori ratione, quae iis iurisdictionis gradibus competunt.

323. Cum hac incircumscripta amplitudine potestatis, omnino cohaerent singulares prorsus ac maximum praeseferentes honorem appellationes, quibus *Pontifex Maximus, Summus Pontifex, Vicarius Christi, Vicarius Dei, Sanctissimus Pater,* nominatur. Huc etiam pertinent singularia honoris insignia uti *tiara* seu *triregnum,* et *pedum rectum* loco baculi pastoralis et *pallium* quo semper uti potest, ad significandam eius universalem et incircumscriptam iurisdictionem in Ecclesiam, uti et quaedam peculiares honoris significationes quae eidem a fidelibus exhibentur, ex. gr. osculum pedum etc.

324. Ad hoc ut facilius hanc universalem iurisdictionem in Ecclesia exercere possit, varios habet Romanus Pontifex diversa dignitate ac potestate praeditos administros, qui sub generali appellatione *curiae pontificiae* comprehenduntur, de quibus aliquid distinctius dicendum est.

§ I. *De Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus* (2).

325. Sepositis supervacaneis maximaque ex parte commentitiis opinionibus de origine cardinalium, si ea quae magis probanda sunt hac de re attendimus, haec de cardinalibus statui possunt:

a) cardinales qui modo dicuntur, antiquitus *presbyterium* erant romanae ecclesiae, quemadmodum et in aliis quibusvis

(1) Haec fuse proponit Barbosa. I. E. Un. lib. I. cc. 1–3. Cf. ex recentioribus Vecchiotti, op. cit. lib. II. § 14–35.

(2) Cf. Cohellium, *Notitia Cardinalatus* etc. Romae 1653; Hier. Platum S. I., *de Dignitate et officio cardinalis;* Hier. Manfredum, *de Cardinalibus S. R. E.* etc.

ecclesiis obtinebat, hoc solum discrimine, quod cum Romanus Pontifex non modo romanam dioecesim, sed universam Ecclesiam regat, eius presbyterium ab eo adhibebatur ad negotia etiam universalis Ecclesiae administranda. Hoc ostenditur tum ex communi nomine *cardinalium* quod pluribus saeculis iis dabatur qui constituebant clerum ecclesiarum cathedralium, tum ex ipsis *titulis* presbyteralibus qui cum munere parochiali prius erant coniuncti, tum ex *diaconis* quibus peculiaria officia circa egenos, infirmos, *determinatis locis* erant tributa.

b) At vero deinde peculiari modo, ad universalis Ecclesiae negotia cum Pontifice administranda, aliis dimissis muneribus, coaluit coetus ille, qui *Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegium* dicitur, atque ob intimam cum Pontifice coniunctionem ceteris in Ecclesia modo praestat dignitate. Horum numerus varius maxime fuit pro diversis temporibus, sicuti et ipsius coetus compositio non semper fuit eadem; siquidem saeculo IX adiecti iis fuerunt episcopi suburbicarii, et quidem superiori gradu ceteris. Item non ante saeculum XI Cardinales gradum *honoris* habuerunt supra episcopos, eo quod unum veluti faciant cum Sede Apostolica (1).

c) Ius vigens circa cardinales S. Romanae Ecclesiae, continetur tum in decreto concilii tridentini *(sess. XXIV. cap. 1 de Ref.),* tum maxime in Xysti V constitutione « *Postquam verus* » 3 Dec. 1586 et constitutione « *Religiosa Sanctorum* » an. 1587, in quibus ea statuuntur quae ad numerum, requisita, insignia, iura et officia denique cardinalium referuntur.

326. Quae potiora de his habentur, haec sunt:

I. Numerum cardinalium statuit Pontifex ita, ut sacrum cardinalium collegium septuaginta omnino constet: quibus sex (prius septem erant) ex ordine episcoporum, quique ecclesiis praesunt suburbicariis; quinquaginta ex ordine presbyterorum, quatuordecim ex ordine diaconorum. De aetate iam superius dictum est, annum saltem vigesimum secundum cardinales attingere debere.

II. Cardinales deliguntur ex variis nationibus *(conc. trid. sess. XXIV. cap. 1 de Ref.),* et generatim in iis ea omnia

(1) V. tamen Bouix, de Cur. Pontif. Parte I. c. 5.

requiruntur, quae in episcopis adesse debent, imo excellentiori ratione.

III. Ad iura vero quae ad cardinales spectant in suis *titulis,* haec breviter innuere sufficit.

a) Si titulus est constitutus in ecclesia regularium, iurisdictio cardinalis titularis non in personas (quae sunt exemptae), sed in ecclesiam dumtaxat materialem exercetur; itemque a regularibus eas omnes honoris significationes exigere potest, quae eidem conveniunt; adeoque incedere potest cum insignibus honoris sui, sedere in throno, etiam cum circulo et subordinata adsistentia praelatorum, aliaque huiusmodi. Denique quasdam etiam habet iurisdictionis voluntariae partes ex. gr. publicandi indulgentiam centum dierum et impertiendi *solemnem* benedictionem.

b) Si titulus vero constitutus sit in ecclesia saeculari, tunc iurisdictio cardinalis titularis, quae antiquiori tempore longe amplior fuit, licet in praesens sit in pluribus imminuta, haec tamen, iis etiam additis quae modo dicta sunt, adhuc complectitur. Primo, in iis quae pertinent ad servitium ecclesiae aut loci pii, circa disciplinam ecclesiasticam et sibi subditorum correctionem, ius habet. Hoc tamen fieri debet *oeconomice* et *extraiudicialiter,* ut in visitatione episcopali. Secundo, conferre potest beneficia, quae in ipsis titulis instituta sunt, dummodo tamen cardinalis resideat *in curia.*

c) Insuper sive titulus sit in ecclesia regulari, sive in saeculari, cardinalis *presbyter* potestatem habet conferendi suis subditis tonsuram atque ordines minores; quod proinde facere non possunt ii cardinales, qui praesunt ecclesiis suburbicariis: sunt enim extra titulos suos, licet in sacello palatii sui, ex peculiari privilegio, primam tonsuram conferre possint. Item cardinales officio funguntur, ex destinatione Pontificis, protectorum sive ordinum regularium, sive piarum sodalitatum, sive etiam particularium locorum.

d) Denique ad honorum insignia, quae cardinalibus S. R. E. competunt, haec nominatim eorum sunt propria: galerum rubrum, quod iis dedit Innocentius IV anno 1255, itemque biretum rubrum, uti et vestis purpurea, quam iis deferendam praecepit Paulus II anno 1464. Urbanus VIII vero iis tamquam

proprium constituit titulum *eminentiae.* Cardinales dicuntur *creari,* quia *sola* fiunt (ad potestatem quod spectat) voluntate Pontificis.

327. Munera autem seu cardinalium officia duplicis sunt generis; prout scilicet adiutores sunt Summi Pontificis in negotiis universalis Ecclesiae administrandis, vel sede pontificia vacante, potissimum in electione novi Pontificis versantur. Iam vero

a) ad primum quod attinet, cardinales id peragunt, tum omnes simul in *Consistorio,* tum prout a Summo Pontifice assignantur in variis *congregationibus,* vel ecclesiasticis *tribunalibus.*

b) Vacante vero sede pontificia, cardinales sese in Conclave recipiunt, atque iuxta constitutas leges novum deligunt pontificem (1).

328. Quia tamen potissima ratio, qua cardinales Ecclesiae negotia gerunt, in romanis Congregationibus sita est, de his aliquid etiam innuere operae pretium erit.

§ II. *De Congregationibus romanis.*

329. Cardinalium Congregationes aliae sunt *ordinariae,* quae scilicet stabili modo sunt institutae, aliae vero *extraordinariae,* quae scilicet pro aliquo peculiari negotio, et ad tempus, iussu Pontificis constituuntur. De his postremis nihil ulterius addendum est. Ad primas vero quod spectat, hae potissimum numerantur:

I. *Congregatio supremae* et *universalis Inquisitionis.* Haec congregatio, quae etiam dicitur *Sancti Officii,* universalem exercet iurisdictionem, Pontificis nomine et auctoritate, in iis quae pertinent ad tribunal inquisitionis; ac generatim in praesens, ea omnia curat quae ad rectam fidem, bonosque mores tuendos pertinent, uti est procedere contra sortilegos, divinatores, haereticos, suspectos in fide, sacerdotes sollicitantes, aliaque eiusmodi.

(1) De iis quae ad cardinales spectant in electione Pontificis legi potest Seraphinus Camarda O. P. episcopus Reatinus *Synopsis Constitutionum Apostolicarum ad electionem Papae pertinentium.* V. Moroni, Dizion. di erudiz. eccles. art. *Conclave.*

II. *Congregatio Indicis,* cui cura est tum generalibus statutis regulis, tum peculiaribus damnationis sententiis, eorum librorum lectionem fidelibus interdicere, sub variis damnationis formulis, qui fidei aut bonis moribus adversantur, vel periculosi exsistunt.

III. *Congregatio SS. Rituum,* ad quam ea omnia pertinent negotia, quae ad sacros ritus, sanctorum beatificationem et canonizationem, atque alia eiusdem generis referuntur.

IV. *Congregatio concilii tridentini interpretum,* quae instituta est pro executione et interpretatione concilii tridentini. Huic potissimum competit, praeter resolutionem earum controversiarum, quae ad casus peculiares spectant, recipere relationes status ecclesiarum ab episcopis, praesertim cum ad limina Apostolorum visenda Romam sese conferunt, acta conciliorum provincialium recensere licet utrumque a peculiaribus fiat congregationibus eidem veluti adnexis, itemque generatim ea omnia curare, quae ex praescripto tridentini concilii, ad ecclesiasticam disciplinam referuntur.

V. *Congregatio super negotiis episcoporum et regularium,* quae maxime spectat ad eas controversias, quae ob iurisdictionis conflictum, regulares inter et episcopos exoriri possunt, tum etiam ad ea quae ad rectum regularium ordinum statum ordinantur.

VI. *Congregatio de Propaganda Fide,* quae nominatim ea omnia sibi adsciscit quae ad catholici nominis tum inter infideles, tum inter haereticos propagationem atque incrementum pertinent.

His aliae congregationes addi debent, e. g. *De negotiis Ecclesiae extraordinariis, Consistorialis, Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, Immunitatis ecclesiasticae,* de quibus cf. *Moroni op. cit.* In omnibus fere hisce congregationibus praeter officiales habentur *consultores* qui a Pontifice nominantur. V. etiam pag. 65 *e*.

Praeter has congregationes, alia etiam sunt ecclesiastica tribunalia, uti et meri honoris dignitates, ex quibus coalescit ea quae dicitur curia pontificia. De his pauca quaedam subiicimus.

§ III. *De reliquis curiae pontificiae administris.*

330. Quod ad reliquos spectat Summi Pontificis administros, ii ad duplicem classem reduci possunt: ac primo sunt ii qui aliqua ratione in negotiis Ecclesiae gerendis ei praesto sunt, secundo vero ii recensentur, qui aliquo honoris gradu in eius curiam cooptantur.

a) Ad primam classem quod pertinet, apta satis est illa distinctio, quae a quibusdam recentioribus traditur dum triplicem horum ordinem distinguunt, prout vel *iustitiam* vel *gratiam* vel simplicem *expeditionem* veluti proprium munus habent (1). Primi generis sunt *Rota Romana* et *Tribunal Signaturae*. Secundi generis *Dataria* et *Poenitentiaria apostolica*, quarum illa pro dispensationibus in foro externo concessis et beneficiis Summo Pontifici reservatis conferendis adhibetur, haec pro dispensationibus in foro interno et absolutione a casibus reservatis Summo Pontifici. Tertii denique *cancellaria apostolica, secretaria brevium* vel *supplicum libellorum, et secretaria status,* ad bullarum, brevium aliorumque actuum ecclesiastica negotia potissimum cum statibus politicis spectantium, expeditionem.

b) Ad alteram vero classem prae ceteris pertinent *praelati domestici, protonotarii apostolici* sive *participantes* sive *ad instar participantium* sive *titulares, cubicularii intimi,* sive *participantes* sive *honorarii, cubicularii honoris extra urbem,* etc. Ii enim omnes, licet diverso honoris gradu, sub generali veniunt appellatione *curiae pontificiae* (2).

(1) Vering, op. cit. § 129.

(2) Bouix, in suo *Tractatu de Curia Pontificia* ea collegit quae de hac re habentur potiora. V. etiam *Moroni op. cit.*

TITULUS XI.

De personis quibus pars aliqua pontificiae iurisdictionis communicatur.

331. Ut rite intelligatur indoles huius tractationis, animadvertatur, ex *divina institutione* nonnisi duplicem gradum iurisdictionis in Ecclesia haberi, scilicet *universalem* seu in totam Ecclesiam, quae solum est in Romano Pontifice, et *particularem* in aliquam determinatam ecclesiam a Summo Pontifice adsignatam, quae singulis episcopis competit. Reliqui qui habentur gradus, sunt proinde ecclesiasticae institutionis. Hinc si qui sint inter episcopos, qui maiori amplitudine, quam sit propriae ecclesiae ambitus, iurisdictionem exerceant, id profecto ex episcopali dignitate repeti nequit, sed unice ex concessione dimanat Sedis Apostolicae, quae modo vel ordinario vel extraordinario, partem aliquam suae universalis iurisdictionis, ad meliorem Ecclesiae gubernationem, cum ipsis communicat. Tales sunt qui dicuntur *patriarchae, exarchae* seu *primates, archiepiscopi* seu *metropolitani, legati, vicarii apostolici,* de quibus aliquid singillatim dicendum est.

§ I. *De patriarchis.*

332. Luculentissimam demonstrationem originis modo assertae horum graduum hierarchiae episcopalis, habemus in dignitate patriarchali, quae ceteris eminet. Constat enim nonnisi tres ecclesias patriarchales primitus exstitisse: scilicet *romanam,* in qua praeter dignitatem primatus in universam Ecclesiam, erat etiam patriarchalis dignitas quoad occidentem; alexandrinam, antiochenam. At vero

a) rationem huius dignitatis *peculiari modo* repetendam esse a Sede Romana, ostendit ratio loquendi S. Gregorii Magni, qui « *tribus locis unius esse principatum* » asseruit; eo quod B. Petrus et antiochenam tenuerit ecclesiam aliquo temporis spatio, scilicet septennio; alexandrinam ecclesiam vero per B. Marcum

discipulum suum, illuc submissum, *peculiari quodam modo* fundavit ac romanae devinxit (1).

b) Eadem iuris patriarchalis origo confirmari potest ex actis in concilio chalcedonensi, sive ab iis qui ecclesiae constantinopolitanae ius illud tributum volebant eo quod Constantinopolis esset nova Roma; sive ex renisu tum legatorum pontificiorum, tum maxime S. Leonis Magni, eo quod non politica urbis conditio, sed alia omnino causa, alexandrinae et antiochenae ecclesiae dignitatem patriarchalem vindicaret. Ex quibus apparet nonnisi ex romana sede repetendam esse patriarcharum institutionem, eorumque ampliorem iurisdictionem.

333. Iura patriarcharum, quando illi in sua plena iurisdictione vigebant, haec erant praecipua:

a) patriarcha iam a S. Sede pallio donatus, ius habebat confirmandi et ordinandi archiepiscopos sui patriarchatus, eisque dandi pallium post receptam ab iis fidei professionem;

b) ius inspectionis ad tuendam ecclesiasticam disciplinam, in provinciis ecclesiasticis sui patriarchatus, eamque visitandi; item ius *stauropegii* nuncupatum, quo monasteria quaedam ab alia iurisdictione subtracta, sibimet immediate subiicere poterat;

c) ius appellationes recipiendi a sententiis suorum metropolitanorum, eorumque negligentiam supplendi in collatione beneficiorum; uti et querelas adversus eos iudicandi, salva tamen semper Sedis apostolicae suprema auctoritate;

d) convocandi metropolitas et episcopos ad synodum sui patriarchatus, eique praesidendi, ac leges pro toto patriarchatu obligantes ferendi, habita tamen a Sede apostolica talem synodum convocandi facultate.

Verum patriarchae huiusmodi, qui *maiores* dicebantur, ad iurisdictionem quod attinet, in praesens nulli sunt, et qui sedes illas modo obtinet nonnisi titulum et quasdam honoris praeeminentias habent absque iurisdictione. Qui vero *patriarchae minores* dicuntur, titulum meri honoris habent, et iurisdictionem exercent quae ab ea quae metropolitanis competit non discriminatur. V. *Andreucci De patriarchatu in genere* etc.

(1) S. Greg. M. epp. lib. VII. ep. 40.

§ II. *De primatibus.*

334. Patriarchis succedunt *primates,* qui in ecclesia orientali *exarchae provinciarum* dicebantur, ut distinguerentur a patriarchis, qui ante concilium chalcedonense *archiepiscopi exarchae dioeceseon* appellabantur. Si de primatibus loquamur, prout in ecclesia occidentali sunt, haec de iis veniunt animadvertenda.

I. Ad eorum originem quod spectat, prae ceteris tenenda est sententia, ius primatiale in determinatis quibusdam sedibus repetendum esse ex munere *Legati Sedis apostolicae,* eidem sedi inhaerente ex concessione Romani Pontificis. Cum scilicet pro Ecclesiae necessitate Pontifices, quosdam insigniores episcopos vicarios seu legatos suos constituerent in aliqua regione, ut maiori prae ceteris episcopis et etiam metropolitis auctoritate, *ex privilegio apostolico* pollerent, hinc factum est, ut vel eorum praeclaris gestis vel alia quavis de causa, Romani Pontifices illius determinatae Sedis episcopos, pro tempore exsistentes, suos vicarios constituerent; quare sedes illae episcopales, non ex insito iure, sed ex apostolica concessione, potestatem iurisdictionis ampliorem super illas ecclesiasticas provincias exercebant.

II. Quod vero quandoque huiusmodi designatio sedium, quibus ius primatiale tribuebatur, adnexam haberet politicam etiam earum urbium praestantiam, quibus tribuebatur, hoc intelligi debet non tamquam *causa,* sed tamquam *occasio,* ut ad maius ecclesiae bonum, urbes illae insigniores deligerentur.

III. Omissis controversiis, utrum in praesenti Ecclesiae statu veri nominis primates exsistant, multoque magis quid tenendum sit de illis acerrimis et diutinis contentionibus quae in occidente inter primates aliosque archiepiscopos circa hoc ius exarserunt; ad iura quod spectat primatum, prout ex historia Ecclesiae colligi possunt (1); haec in primis sunt recensenda:

(1) Ad eorum quae hic innuimus uberiorem evolutionem conferri possunt, Schmalzgr., *ad tit. 31. lib. I. Decr. n. 20;* Zaccaria, *Onomastic. Rit. v.* Primates; Gonzales Tellez, *Ad cap. Humilis 17 de Maior. et ob.* (I. 33); Thomassinus, *Vetus et nova Eccl. discipl. lib. I. c. 30 sqq.;* De Loaiza, *De prim. Eccl. Tolet.* (in coll. Concc. Hisp. Cardinalis De Aguirre, Tom. II. pag. 437 sqq.); Phillips, I. E. § 72.

a) generatim primates potestatem habebant iurisdictionis, veluti mediam inter patriarchalem et metropoliticam; sicuti enim patriarchis inferiores erant, ita et archiepiscopis anteferebantur;

b) primates nominatim curam habebant earum provinciarum, quae ipsis subdebantur, atque ius inspectionis ut metropolitae in suis provinciis rite officio suo fungerentur; insuper appellationes ab eorumdem sententiis recipiebant, controversiasque sua sententia dirimebant;

c) denique, iisdem potissimum extraordinaria negotia a Sede apostolica committebantur, ut in illis provinciis nomine Pontificis ea exequi curarent;

d) aliud vero est si dignitas primatialis, ut plerumque contingit, *meri honoris* insigne dumtaxat exsistat; quod quibusdam sedibus in aliqua regione tributum constat, annuente vel saltem tolerante Sede apostolica. Tunc enim non de *iurisdictione*, sed de aliqua *praeeminentia* sermo est. Atque hoc pacto nuper, in concilio vaticano oecumenico, primates quidam agniti sunt, et supra archiepiscopos praeeminentiam habuerunt; secus ac factum fuit in concilio tridentino, ubi, salvis cuiusvis praetensis iuribus, nulla tamen ratio habita est, iubente Pontifice, primatialis dignitatis (1).

§ III. *De archiepiscopis seu metropolitis.*

335. Ad gradus iurisdictionis episcopalis superiores, pertinent etiam archiepiscopi seu metropolitae; quamvis inter utramque appellationem discrimen aliquod primitus exstiterit (2).

Metropolitae igitur ii sunt, qui alicui praesunt ecclesiasticae provinciae, in qua proinde dioeceses plures reperiuntur. Porro episcopi harum dioeceseon dicuntur *suffraganei*, et episcopus

(1) Cecconi, *Storia del Concilio Vaticano*, Part. I. vol. I. p. 266 sqq.; Le Plat, *Monum. ad hist. Conc. Trid.*, vol. IV. pag. 795, vol. V. p. 44; Card. Pallav., *Storia del Conc. di Trento*, lib. XV. c. 13.

(2) In Oriente *Exarchae*, antonomastice *Archiepiscopi* appellabantur, quod et in Occidente olim locum habuisse testis est S. Isidorus hispal. *Etym. lib. VII. c. 12. n. 6:* « Archiepiscopus, *graeco vocabulo, quod sit summus episcoporum: tenet enim vicem Apostolicam, et praesidet tam* metropolitanis, *quam episcopis ceteris* ».

cui subduntur, ***metropolitanus***, seu ***archiepiscopus*** appellatur. Si autem sedes aliqua archiepiscopalis dicatur, suffraganeum tamen nullum habeat, iam huiusmodi nomen meri honoris praerogativam exhibet.

Ex dictis initio huius tituli maior potestas archiepiscoporum cum repeti non possit ex insito iure, oriri aliunde non potest quam ex Sede apostolica; adeoque pars est aliqua communicata illius universalis iurisdictionis ordinariae et immediatae, quam Summus Pontifex Vicarius Christi, in omnem Ecclesiam exercet. Quod vero sedes metropolitanae in insignioribus earum provinciarum urbibus plerumque sint constitutae, eodem debet modo intelligi ac paullo ante de primatialibus dictum est.

Cum ius metropoliticum maxime inserviat ad Ecclesiae unitatem tuendam, mirum esse non debet illud a primis Ecclesiae temporibus, licet minori perfectione, exstitisse, quin et ipsis apostolicis temporibus eius semina in Ecclesia reperiri (1).

Iura vero quae metropolitano competunt in sua ecclesiastica provincia, hodierno iure haec sunt:

a) ius inspectionis ne episcopi suffraganei suo muneri desint, quin et ius supplendi eorum negligentiam, et monendi, si quid remedii opus sit, Romanum Pontificem;

b) tertio quovis anno metropolitanus concilium provinciale convocare debet; cui convocationi episcopi suffraganei parere tenentur *(Conc. Trid. sess. XXIV. cap. 2 de Ref.)*;

c) ius etiam ipse habet visitandi dioeceses episcoporum suffraganeorum, prius tamen in concilio provinciali causa cognita et probata; itemque examinandi et probandi causas absentiae episcoporum, et deferendi ad Pontificem eos, qui ultra annum a suis sedibus sint alieni;

d) ius habet supplendi negligentiam capituli quod sede vacante intra octiduum vicarium capitularem deputare omiserit, illumque proinde constituendi; itemque supplendi negligentiam suffraganeorum in conferendis beneficiis et recipiendi appella-

(1) Cf. *Can. Ap. 33;* Euseb., *H. E. lib. III. c. 4:* S. Io. Chrysost., in ep. ad Tim. hom. XV. coll. Tit. 1. 5. 7; Bianchi, *Polizia della Chiesa T. III. lib. 1. c. 2.* §§ *4. 5;* Thomassin., *op. cit. lib. I. c. 40.*

tiones ab iudiciis episcopalibus, modo non sint *ex informata conscientia* (1);

e) insignia vero honoris peculiaria, quae metropolitis cum patriarchis atque primatibus communia sunt, duo prae ceteris recensentur: *crux,* quae ipsis praefertur, et *pallium* de quo mox dicturi sumus.

§ IV. *De legatis.*

336. Sicuti patriarchae, primates, metropolitani, partem aliquam habent, ex dictis, communicatam pontificiae iurisdictionis eamque exercent ordinaria potestate, verum modo veluti immanente atque *attributione perpetua,* (quo sensu hoc vocabulum *perpetua* in iure adhibetur) ita et qui dicuntur legati eamdem iurisdictionem maiori vel minori amplitudine exercent modo extraordinario ac veluti transeunte. Iurisdictio autem legatorum nobis ex scholio III (tit. IX) vero et proprio sensu *ordinaria* est adeoque vero et proprio sensu intelligimus eam in iure nostro ordinariam appellari *cap. Legatos 2 de Off. leg. in 6. iuncta glossa v.* Reputantes. Qui vero aliter sentiunt hi legatos delegatis accensent quoad *naturam* iurisdictionis, quam *mandatam* esse contendunt, quamvis *in exercitio* haberi possit tamquam ordinaria et ita appellari. Quod etsi a nobis etiam alias dictum sit, nunc admittere nullo pacto fas est.

337. De legatis haec innuisse sufficiat:

I. Legatorum origo repetenda est ex potestate ordinaria et immediata, eademque episcopali, quam habet Romanus Pontifex, tum in Ecclesiam universam tum in singulos episcopos. Id luculenter quoque confirmatur ex historia, quae testatur, Romanos Pontifices pro variis Ecclesiae necessitatibus, sive quoad fidem, sive quoad mores et ecclesiasticam disciplinam, legatos in quaslibet christiani orbis partes misisse: (Pius VI. « *De Nunciatur.* » cc. 7. 8).

(1) Cf. Aichner, op. cit. § 110, qui animadvertit: *metropolitanis proprie nullam in suffraganeos competere iurisdictionem sed nonnisi circa quaedam disciplinae capita quoddam inspectionis genus et ius devolutionis.*

II. Legatorum species tres sunt: *legati a latere, legati missi seu nuntii, legati nati.* Huius partitionis desumitur ratio, sive ex dignitate personae quae mittitur, sive ex amplitudine potestatis, qua singuli sunt praediti, sive etiam ex modo quo designantur a Pontifice. Etenim:

III. Legati a latere sunt S. Romanae Ecclesiae cardinales, qui ideo missi dicuntur a *latere* Pontificis, cui assistunt. *Cap. Volentes 8 de Off. leg.; Glossa in cap. 1 de Off. leg. v.* Legationis; *in cap. 9. eiusd. tit. v.* Commissam. Quod quidam dicunt, legatos a latere quandoque, licet perraro, cardinales non esse, hoc ita debet intelligi, ut quandoque legati seu nuntii mittantur *cum potestate legati a latere,* ad aliquod ex. gr. determinatum peragendum negotium, ad quod communiter mittitur legatus a latere. Quare nec proprie veri legati a latere sunt, nec proinde eorum gaudent privilegiis. Legati igitur a latere sunt omnium nobilissimi, et amplissima eorum iura; de quibus haec speciatim notanda sunt:

a) iurisdictio voluntaria legatorum a latere, incipit a die discessus ab Urbe, a qua vix egressi *crucem legationis* evehunt, usque ad diem reditus in eamdem, et exercetur etiam extra terminos suae legationis (secus accidit in nuntiis) et in *quoslibet extraneos.* Sic absolvere possunt excommunicatos ob clerici percussionem, etiam non subditos, et extra suam provinciam, id quod legati nati nunquam, legati vero missi solum in sua provincia facere possunt:

b) item, circa collationem beneficiorum, praeter devoluta ad Pontificem, ratione negligentiae ordinarii collatoris, legati a latere, licet non reservant sibi beneficia vacatura, conferre possunt omnia beneficia, etiamsi sint iurispatronatus ecclesiastici, non vero laicalis; et in hoc concurrunt cum Ordinario, et datur locus praeventioni;

c) ubi episcoporum et abbatum ad praelaturas assumptio fit per electionem, eam confirmant, si tamen non est Rom. Pontifici reservata;

d) intra fines suae legationis, iurisdictionem contentiosam exercent in causis ecclesiasticis, post appellationem interpositam a iudicio episcopali; (cf. tamen Conc. Trid. *sess. XXIV. c. 20 de Ref.*) dispensant in iis omnibus in quibus episcopi et ar-

chiepiscopi, eo iure utuntur, indulgentias centum dierum quandocumque voluerint concedunt, et etiam unius anni, si ecclesiae alicuius dedicationem peragant, itemque praeeminentiam habent supra archiepiscopos, etiam in eorum dioecesi.

IV. Legati *missi* ii sunt, qui inferiori gradu prae legatis a latere, mittuntur in varias regiones a Romano Pontifice, vel ad expediendum peculiare aliquod negotium, vel generatim ad tuendam ac fovendam ecclesiasticam unitatem ac pietatem in fidelibus, ac principum cum Sede apostolica concordiam procurandam. Horum iura potissimum dignoscenda sunt ex pontificio diplomate, quo mittuntur: generatim tamen hoc de iis dici potest, eorum iurisdictionem, etiam voluntariam, extra suae legationis provinciam exerceri non posse, secus ac dictum est de legatis a latere.

V. Legati qui dicuntur *nati,* ii sunt de quibus initio locuti sumus, episcopi scilicet illarum sedium quibus ex privilegio apostolico ius permanens adhaesit *vicariatus Sedis apostolicae* (1). Legati nati, quoad iurisdictionem desierunt saeculo fere XV, atque iis substituti sunt ii nuntii apostolici, qui resident in variis regionibus, ut paullo ante innuimus. Antiquitus amplissima erat horum vicariorum iurisdictio, quippe quae universalem Romani Pontificis iurisdictionem repraesentabat. In praesens non aliud est quam merus honoris titulus, qui adhaeret quibusdam sedibus episcopalibus (2).

338. Circa modum quo desinit legatorum potestas, haec tenenda sunt:

(1) Cf. titulos de Off. legati in Decretalibus Greg. IX. (I. 30) et in Sexto (I. 15) *(conc. trid. sess. XXII. c. 7 de Reform.; sess. XXIV. c. 20 de Ref.; sup. cit. Giraldi, Expos. Iur. pont. p. 1. sect. 174,* et generatim DD. in illos titulos citatos. Vide etiam in Digestis titulum de Officio proconsulis et legati (I. 16. in Cod. I. 35) coll. cap. 2 de Officio legati in 6.

(2) Ab iis vicariis apostolicis qui antiquitus extabant, ex quibus deinde orti sunt legati qui dicuntur nati, omnino differunt ii qui hac aetate *Vicarii apostolici* dicuntur, et ii sunt qui titulum habentes episcopalem, ut dicitur *in partibus infidelium,* deputantur a R. Pontifice vel inter infideles vel inter haereticos, ubi non est constituta proprii nominis hierarchia episcopalis, ad regendos fideles, episcoporum instar, intra terminos unicuique designatos. Leo XIII statuit ut dicantur simpliciter *episcopi titulares* eccles. N. absque apposito *in p. i.,* sed addatur nomen antiquae provinciae ecclesiasticae ad quam pertinebat illa ecclesia.

a) si legatio *ad tempus* vel ad *determinatum negotium* data est, expleto legationis termino, iurisdictionem legati desinere satis patet.

b) Item desinere potest legati iurisdictio voluntate *legantis* idest Romani Pontificis, est enim ad eius nutum; non tamen cessat morte Pontificis, eo quod legatus repraesentat Sedem apostolicam, quae non moritur. Excipitur tamen si legatio sit *ad beneplacitum* legantis. Notandum tamen est, si revocetur mandatum legationis, oportere ut revocatio cognita sit legato, ut iurisdictio eius desinat.

c) Item cessat iurisdictio legati, renunciatione emissa ab eodem muneris sibi commissi, modo sit a Romano Pontifice acceptata.

d) Egressu quoque a provincia cum animo non redeundi. Si hic desit, suspenditur tantum iurisdictio contentiosa, manente voluntaria.

e) Morte denique ipsius legati (1).

§ V. *De usu et auctoritate pallii.*

339. Diximus inter insignia eorum, qui pollent iurisdictione episcopali praestantiore, *pallium* recenseri. Qua quidem in re illud animadvertendum, pallium insigne esse potestatis; hinc fit ut de eo in iure ecclesiastico peculiares sanctiones habeantur. Porro quae ad pallium pertinent, ad tria capita apte revocantur, scilicet:

1) ad materialem et formalem seu iuridicam pallii significationem; 2) ad requisita ad pallii receptionem; 3) ad effectum et usum.

I. Ad primum caput pertinet quaestio de pallii origine. Triplex hac de re eruditorum sententia. Alii enim pallium repetunt ex concessione facta Ecclesiae ab imperatore Constantino Magno, huius ornamenti quod imperatorum proprium erat; alii vero illud repetunt ex more veteris synagogae ac vestibus summi pon-

(1) De legatis data opera scripsit Thomas Turri, *De auctoritate Legatorum a latere,* Romae 1656, tum conferri possunt DD. *ad tit. de Off. leg.* (I. 30).

tificis hebraeorum, ac nominatim ex *Rationali* quod gestabat; alii denique ex B. Petro principe apostolorum, qui primus eo usus est. Quaecumque ex his magis placeat sententia, haec tamen certa sunt:

a) significationem pallii formalem seu iuridicam, qua plenitudinem exhibet pastoralis officii, nonnisi ex Ecclesia oriri posse;

b) indifferens per se esse, utrum forte ex more iudaeorum materialis pallii forma desumpta fuerit;

c) satis validis argumentis ostendi posse, ante Constantinum, pallii usum in Ecclesia exstitisse. Quod vero *analogice* eo designetur *regia* potestas, hoc non officit, quominus ante Constantinum Ecclesia pallium adhibere potuerit.

d) Hinc forte omnibus praeferenda videtur sententia conciliationis, quatenus nempe ex his omnibus simul causis, pallii origo sit repetenda, licet diverso modo, prout forma *materialis*, forma *iuridica in Ecclesia, dignitas in societate civili christiana* considerantur.

Forma materialis pallii et instar fasciae laneae albi coloris, quatuor nigris crucibus distinctae, quae humeris imponitur in formam circuli et ante pectus et in humeros dependet. Hae cruces quatuor cardinales virtutes mystice significare dicuntur. Iuridica vero pallii significatio est *plenitudo pastoralis officii*. Ritus autem peculiares adhibentur circa palliorum confectionem: quos inter ille in primis recensendus, quod pallia unius noctis spatio in altare reconduntur, ubi corpus adservatur B. Petri in vaticana basilica, subdiaconis interim excubias agentibus; ex quo fit ut pallia missa dicantur e corpore B. Petri.

II. De pallii receptione haec notanda sunt:

a) pallium hodie non datur nisi a Romano Pontifice, etiam archiepiscopis, sublato hac in re antiquo patriarcharum iure. Ecclesiae tamen ritus orientalis, quoad suos patriarchas, annuentibus Romanis Pontificibus, hoc iure adhuc utuntur.

b) Pallium in ipso consistorio postulatur enixis precibus, post renunciatas metropolitanorum promotiones. Si promotus sit in *curia*, pallium recipit, post emissum iuramentum, a primo e cardinalibus diaconis, si vero sit absens illud recipit per procuratorem, qui tunc iurat cum reverentia illud se delaturum;

illudque ab aliquo archiepiscopo a Pontifice delegato, recipere debet: idque sub poena nullitatis.

III. Effectus pallii accepti est, ut promotus archiepiscopi veram obtineat cum nomine potestatem, ita ut solum post pallii receptionem, ea quae archiepiscopalis muneris sunt exsequi possit, sive quoad potestatem iurisdictionis sive quoad actus *maiores* potestatis ordinis, ad quos peragendos usus pontificalium requiritur. *Cap. Quod sicut 28 de Elect.*

340. Usus vero pallii, uno excepto Romano Pontifice, certis limitibus adstringitur: eo enim uti archiepiscopus potest dumtaxat intra provinciam, in ecclesiis, inter missarum solemnia, in solemnioribus festis; potest tamen etiam adhiberi in missa inchoativa Synodi et in maioribus actibus ordinis episcopalis.

Usus pallii, personalis omnino est et intuitu certae ecclesiae conceditur; quod omnino cohaeret cum superius recensita iuridica significatione. Amisso pallio, aliud petendum est, itemque si sit vetustate corrosum. Tum vetus comburendum est et cineres proiiciendi in sacrarium. Defunctus episcopus, cum suo pallio est sepeliendus; et siquidem duo habeat, alterum eidem imponendum, alterum vero capiti supponendum. Id autem potest contingere, eo quod si archiepiscopus fuerit ab una ad aliam sedem translatus, novum debet ex dictis pallium obtinere.

341. Cum vero quidam sint episcopi, qui pallio donantur ex apostolico privilegio, ut ex. gr. cardinalis episcopus ostiensis, atque alii nonnulli, satis apparet id meram esse honoris praerogativam absque ulla archiepiscopali iurisdictione (1). *Cf. DD. ad tit. 8. lib. I. de Usu et auct. Pallii.*

TITULUS XII.

De episcopis.

342. Iam de potestate iurisdictionis, quae episcopis competit, dicendum est. Sicuti enim universalis iurisdictio in Ecclesia, ex divina institutione Romano Pontifici tribuenda est, ita ex ea-

(1) Phil. Vespasiani, *De S. Pallii Origine disquisitio, Romae 1856;* Phillips, *I. E. vol. V.* § *220. not. 25.*

dem divina institutione episcopi esse debent in Ecclesia ad regimen particularium ecclesiarum. Quamvis enim fons ipse *immediatus* potestatis iurisdictionis, sit Romanus Pontifex, ea tamen ex divina institutione communicari debet cum episcopis ad regendas particulares ecclesias. Hinc: *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* (1), et episcopi sunt *veri pastores,* potestatem habent *ordinariam,* et praepostere dicerentur *vicarii Romani Pontificis.* Sunt autem et nominantur *successores apostolorum* in munere non *extraordinario,* sed *ordinario;* et in hoc, quemadmodum et ipsi apostoli, semper dependentes a Petro. De potestate ordinis episcoporum iam superius dictum est (283 seqq.); hic unice nobis agendum de potestate iurisdictionis episcopalis.

343. Antequam ad singulos actus potestatis iurisdictionis quae episcoporum propria est, expendendos accedamus, haec principii instar praestituenda sunt:

I. Iura episcoporum, ita sunt *iura* ut simul sint *officia* iisdem imposita.

II. Horum iurium exercitium ita semper dependet a suprema Romani Pontificis auctoritate, ut etiam ab eodem semper possit limitari. Huc pertinet illa *ordinaria* et *immediata* Romani Pontificis potestas iurisdictionis in omnes et singulos episcopos, et in omnes et singulos fideles, *de fide* definita a concilio oecumenico vaticano *(Const. I. de Ecclesia Christi cap. 3).*

344. Hisce praeiactis, potestas iurisdictionis quae episcopis competit, aptissime exhibetur spectata triplici functione *legifera, iudiciaria, coactiva,* iuxta ea quae alias diximus (134). Cum hac enim partitione, ad rem quod attinet, aliae sunt consonae, quas penes auctores reperire est.

I. Cum legiferae potestatis sit, media apta ad finem socialem assequendum *obligatorio modo* proponere, ea sane ad haec obiecta referri possunt: *doctrinam, actiones, bona temporalia,* quibus respondet in episcopo ius *docendi, regendi, administrandi.*

a) Circa ius docendi, illud in primis episcopo competit, ut immediate per se ipsum, populum sibi commissum doceat *(Conc. Trid. sess. V. cap. 2 de Ref.);* ita ut nonnisi legitime impe-

(1) Act. XX. 28.

ditus, alium sibi possit substituere. Ex hoc iure et aliud sequitur, episcopum praecipere posse, ut ipso concionante alii concionem sacram non habeant; quod tamen intelligendum censeo de concione, quae *homilia episcopalis* dicitur. Item ius habet, ut nonnisi eo approbante, aliquis in sua dioecesi munus praedicandi obeat; ita ut si qui sint, qui ius habent nominandi concionatorem nonnisi ab episcopo approbatum possint designare. Quamvis autem quaedam, peculiari ratione, ob privilegium exemptionis hac in re regularibus conveniant in propriis ecclesiis, certum tamen est *episcopo contradicente* neminem posse in eius dioecesi concionari, ut suo loco distinctius notandum erit.

b) Episcopus etiam ius habet, suis legibus lectionem eorum librorum fidelibus interdicendi, qui rectae fidei aut bonis moribus pietatique quoquomodo adversentur; quod de ephemeridibus etiam, nostris maxime temporibus, intelligendum est: quin et antequam typis mandentur ii libri qui de rebus sacris agunt, oportet, ex decreto concilii tridentini, ut prius examinati probatique fuerint ab Ordinario, idque sub poena anathematis nemini reservati (1). At S. C. Indicis 22 Dec. 1880 declaravit: « *censuram nemini reservatam, inflictam iis, qui libros de rebus* « *sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut* « *imprimi faciunt restringendam esse ad libros sacrarum scri-* « *pturarum, nec non ad earumdem adnotationes et commenta-* « *rios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de re-* « *bus sacris in genere, idest ad religionem pertinentibus tra-* « *ctantes* » (apud Bucceroni, Comment. de Constitut. *Apostolicae Sedis* ed. Rom. 1888, pag. 60 coll. pag. 15. n. 29).

c) Ea quoque moderandi quae ad cultum pertinent, potestas episcopo inest: hinc iustis de causis ea vetare potest, quae minus congrua reperiantur in quibusdam orandi formulis, et abusus coercere si qui sint in indulgentiis, reliquiis, imaginibus sanctorum, cultu ecclesiarum, sacramentorum administratione, missarum celebratione, aliisque similibus, nisi de reservatis Sedi apostolicae agatur.

d) Ius etiam inspectionis, in scholas habet saltem negative,

(1) Conc. Trid. sess. IV. Decr. de edit. libr.

quatenus scilicet, nihil in iis tradatur quod rectae fidei bonisque moribus adversetur; omnimodam vero iurisdictionem habet in scholas clericorum ac seminaria, salvis, *qua parte exsistunt*, iuribus regularium.

e) Generatim vero, ius habet leges ferendi, sive in synodo, sive extra synodum; eaeque perpetuae per se sunt et pro tota dioecesi obligationem imponunt, iis dumtaxat exceptis, quae Romano Pontifici reservantur.

f) Circa facultatem dispensandi, praeter ea quae alias dicta sunt, nominatim episcopus iusta de causa dispensare potest cum suis subditis circa ieiunia; non tamen absque indulto pontificio dispensare potest totam dioecesim, aut aliquam civitatem ab ieiunio, lege universali Ecclesiae statuto. Item facultatem concedere potest agendi opera servilia diebus festis, iusta de causa. Circa matrimonii impedimenta, episcopo inest facultas dispensandi ab impedientibus, exceptis impedimentis *ex sponsalibus* et *ex voto* Sedi apostolicae reservato; a quo tamen dispensare potest post matrimonium contractum in ordine ad petendum debitum, si tamen votum non sit ab utroque coniuge emissum. Item dispensare nequit absque speciali facultate ab impedimento haeresis in matrimoniis *mixtis*. Circa vero impedimenta matrimonium dirimentia dispensare potest in casu urgentis necessitatis, ante matrimonium si sint occulta, post matrimonium vero in quibusdam determinatis adiunctis, si item sint occulta. Sunt doctores qui contendunt, episcopum posse saltem ad tempus statuere impedimentum impediens in matrimonio contrahendo, sed hoc ius non videtur admittendum (1). Quid vero competat episcopis circa ordinationes, fuse iam superius dictum est, itemque quaenam eis sit facultas dispensandi circa irregularitates (2). Huc quoque referenda est potestas reservandi sibi quosdam casus, *modo ex iis non sint quos Summus Pontifex sibi reservavit*, ita ut nemini absque episcopi facultate ab iis fas sit absolvere; uti et approbationem impertire sacerdotibus ut licite et valide saecularium confessiones possint audire, exceptis iis qui habent

(1) Vide Ben. XIV. de Syn. dioec. lib. VIII. c. 14. n. 5. ed. rom. 1806. tom. 1. pag. 278.

(2) Cf. tit. 4. et 5. huius libri.

beneficium parochiale: qua lege tenentur etiam regulares quoquomodo exempti *(Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 15 de Ref.)*. Item episcopi potestatem habent ordinariam dispensandi in votis simplicibus a suis subditis emissis, quae non sint vel a iure vel a speciali lege reservata Summo Pontifici; nisi adsint ea adiuncta in quibus haec facultas episcopis etiam conceditur. Indulgentias quoque unius anni in dedicatione ecclesiae, quadraginta dierum in aliis casibus concedere episcopi possunt *in forma Ecclesiae consueta*, non tamen applicabiles pro defunctis, uti et iis ius est et officium recognoscendi authentiam apostolicorum diplomatum quibus novae indulgentiae conceduntur, easque promulgandi. Denique episcoporum est stipendium seu taxam synodalem pro missae celebratione statuere, non tamen missarum onera reducere, itemque et per se precibus insistere, et missae sacrificium pro suis ovibus, hoc est pro populo offerre certis diebus, et publicas persolvendas preces indicere pro variis suarum ecclesiarum necessitatibus. Quae vero episcopis tribuenda sunt iura, sive in capitula canonicorum, sive in personas aut domus regularium etiam exemptorum, sive in loca pia vel confraternitates, melius suis locis discutienda reservantur. Haec autem omnia hactenus recensita, cum media sint ad regimen Ecclesiae, ac bonum aeternamque salutem fidelium ordinata, iure ad potestatem legiferam episcoporum referuntur. Ad quae porro media accensenda sunt etiam bona temporalia ecclesiastica, circa quae episcopo competit ius *administrandi*. Iam vero:

g) in beneficiis conferendis, iam dictum est, episcopum esse in sua dioecesi ordinarium collatorem, iis dumtaxat exclusis, quae sunt vel reservata vel affecta vel alteri legitimo collatori tributa. In erectione vero, divisione, dismembratione, unione, suppressione beneficiorum, plura eidem competunt quae suo loco distinctius ex canonum praescripto proponuntur, ubi sermo est de beneficiis. Quod vero spectat ad alia munia seu ecclesiastica officia, omnia in episcopi sunt potestate, quoad eorum collationem; quemadmodum et ad ipsum pertinent bonorum temporalium quae ad ecclesias et loca pia spectant, cura et tutela, executio piarum voluntatum, paterna charitas erga viduas et pupillos, ac generatim quidquid ad Ecclesiae bona temporalia recte conservanda et eroganda pertinet.

II. Ad potestatem vero episcoporum iudiciariam in *foro externo* (nam de interno ac sacramentali iam dictum est), spectant:

a) ratione privilegii fori, causae omnes clericorum sive criminales sive civiles, nisi per concordata aliquid peculiare sit *legitime* statutum;

b) ratione materiae, causae ecclesiasticae quae fidem, mores, disciplinam, sacramenta, beneficia, aliaque huiusmodi attingunt; tum etiam, qua parte ad forum Ecclesiae spectant, causae quae dicuntur mixtae.

Item *ex iure canonico,* ob peculiarem rationem charitatis exercendae, causae miserabilium personarum etiamsi inter laicos agantur. Quod tamen diximus de causis ecclesiasticis fidei, morum etc. intelligi debet, de iis quae non sunt Sedi apostolicae reservatae, aut etiam concilio provinciali vel non fundentur in consuetudine aut lege Ecclesiae universali. Quae vero sit episcopis iudiciaria potestas in rebus fidei et morum, quando ii *cum* et *sub* Romano Pontifice, in oecumenica concilia conveniunt, alterius loci est expendere.

III. Denique ad coactivam potestatem episcoporum spectat ius quod habent corrigendi atque puniendi sontes poenis spiritualibus, ex. gr. censuris, suspensionibus, interdictis, in eos poenitentiis salutaribus inflictis animadvertendi, quin et spectato iure, mulctas pecuniarias aliasque graviores et afflictivas poenas citra effusionem sanguinis et mutilationem, decernendi. Ad hanc potestatem coactivam referri potest ius quod episcopis tributum est a concilio tridentino *(sess. XIV. cap. 1 de Ref.)* procedendi etiam ex *informata conscientia* ad infligendas quasdam poenas ecclesiasticas iis qui deliquerunt, salvo tamen semper, ut liquet, recursu pro abusu, ad Sedem apostolicam. His quoad potissima capita, universa exhibetur episcoporum potestas, prae sua triplici functione legifera, iudiciaria et coactiva.

345. Iam si peculiaria attendimus episcoporum officia praeter ea quae in ipsis recensitis iuribus iam continentur, ad triplex caput commode reducuntur. Nempe I. ad officium residendi in dioecesi; II. ad officium dioecesim visitandi; III. ad officium visitandi statis temporibus *limina Apostolorum.*

I. De residentia episcoporum tria statuenda sunt; scilicet,

quaenam esse debeat ex lege Ecclesiae; quae poenae sint contra delinquentes statutae; quae denique causae ab ea excusare valeant.

a) Residentia episcopi eiusmodi esse debet, *ut eius persona* intra dioecesis ambitum moretur; ita tamen ut in solemnioribus festis, vel sacris temporibus, in sua adsit ecclesia cathedrali, nisi forte ratione sui muneris, ex. gr. visitationis dioeceseos, alibi in sua dioecesi versetur. Curia tamen episcopalis semper esse debet penes cathedralem ecclesiam, etsi episcopus in alia dioeceseos parte commoretur.

b) Poenae vero adversus episcopos hac in re delinquentes, praeter peccati mortalis reatum, pro maiori absentiae diuturnitate graviores, sive a iure latae sive per iudicis sententiam ferendae, habentur tum in decretis concilii tridentini *(sess. XXIII. cap.. 1 de Ref.* et *sess. VI. cap. 1 de Ref.* coll. *Const. Apostolicae Sedis 12 Octobr. 1869),* tum in pluribus constitutionibus pontificiis (1).

c) Causae vero excusantes dupliciter spectari possunt; scilicet prout vel a lege ipsa statuuntur, veluti indiscriminatim permissae, vel prout in quibusdam adiunctis tamquam legitimae habentur. Ad priores referimus, facultatem factam omnibus episcopis in ipsa lege residendi, ut per duos vel per tres menses sive continuos sive interruptos, iisdem liceat a sua dioecesi singulis annis abesse, quibusdam tamen adhibitis cautionibus. Ad alias vero causas eas reducimus, quae ad necessitatem vel ad charitatem commode revocantur; quamvis concilium tridentinum quatuor recenseat, scilicet *necessitatem, obedientiam, utilitatem, charitatem.* Igitur ad necessitatem pertinet, obedientia superiori praestanda, infirmitas ipsius episcopi, persecutio, aut hostilis incursio; in qua tamen, uti et tempore pestis, episcopum meminisse oportet, si gregis salus id exigat bonum pastorem animam suam ponere pro ovibus suis. Ad charitatem vero spectat utilitas propriae ecclesiae vel Ecclesiae universalis vel etiam reipublicae, quin et utilitas quandoque alterius ecclesiae, modo ecclesia propria nihil detrimenti patiatur. Insuper notandum est, praeter conditiones intrinsecas ad licitam harum causarum ex-

(1) Vide Thesaurum, *de Poenis eccl. v. Residentia cum Giraldi,* ibi.

sistentiam, etiam requiri ut huiusmodi causa sit a Summo Pontifice approbata (1).

II. Episcopo item officium inest dioecesim visitandi: cuius rei scopus est, ut loquitur concil. trid. *(sess. XXIV. cap. 3 de Ref.)* (2) « *tueri orthodoxam doctrinam et bonos mores,* « *cohortari populum ad religionem, pacem et innocentiam, at-* « *que generatim ea providere quae sunt ad fidelium bonum or-* « *dinata* ». Illud proprium est eorum quae in visitatione ab episcopo geruntur, ut non fiant ad modum iudicii: hinc a decretis latis in visitatione non datur veri nominis appellatio. Ex quo etiam sequitur, *causas ordinarias* non esse in visitatione discutiendas. Materia vero, circa quam episcopus dioecesim visitans inquirere debet, tum *personas,* tum *res* complectitur. Personas quidem, ut sive ad varios ordines clericorum pertineant sive etiam laicis adnumerentur, inspiciat utrum omnia in iis recte se habeant, ut possint pro paterna sua cura ac sollicitudine, apta adhibere, si opus sit, remedia. Res vero sacras aut bona ecclesiastica, ut cognoscat an omnia circa ea recte procedant. Tempus vero intra quod dioecesis lustranda est, a concilio tridentino (l. c.) biennium statuitur; hoc tamen non impedit quominus frequentius fieri possit, expensis tamen a visitatis minime repetitis.

a) Visitatio fieri debet ab ipso episcopo vel *per se*, vel ex iusta causa *per delegatum:* nonnullos etiam comites sibi adsciscere potest; scilicet praeter notarium et secretarium visitationis, duo plerumque adhibentur *convisitatores*, sive ex capitulo ecclesiae cathedralis, sive ex aliis e clero. Vitari tamen debet quidquid in comitatu excessum praeseferat, ne nimium visitati graventur. Tum mature moneri debent qui visitandi sunt, ante ipsam visitationem, eamque brevissimo tempore peragi opus est, quoad fieri potest; ad quod citius expediendum convisitatores adhibentur. In omnibus maxime servanda charitas et mansuetudo, licet per se posset episcopus durius in renitentes animad-

(1) Cf. Schmalzgr. ad tit. *de Cler. non resid.* (III. 4) nn. 35. 36. 46. sqq. Bened. XIV. Constit. *Ad universae*, 3 Sept. 1746 (ed. cit. tom. 2. pag. 59).

(2) Totum hoc caput ad visitationem dioeceseos ab episcopis faciendam pertinet.

vertere. Denique referri debent in acta, quae in visitatione gesta sunt.

b) Expensae pro visitatione debent episcopo suppeditari, atque huiusmodi ius *procuratio* dicitur, quae definitur: *Ius visitatoris, pro necessitate, moderata victualia exigendi visitationis tempore ab iis qui visitantur, neque legitime excepti sunt.* Ex quo sequitur, procurationem dandam esse ei qui *actu* visitationem peragit et ad procurationem non pertinere nisi domum ac victum pro visitante, et iis qui eum comitantur, et eorum equis; ita tamen ut, pro dignitate personae, maior vel minor sit procuratio. Integrum tamen est iis qui visitantur, congruam pecuniae summam, loco victualium persolvere. Rationem procurationem exigendi, liquet ex *necessitate* desumi; hinc neque in ipsa urbe episcopali, neque ab iis ecclesiis quae ita propinquae sint ut eadem die episcopus domum reverti possit, exigitur, neque demum si duae ecclesiae una die visitentur, duplex procuratio exigi potest. Insuper innuitur quosdam esse, qui eximuntur a procuratione solvenda; idque contingit vel aequitatis iure ob paupertatem, vel iure consuetudinis approbatae, vel denique apostolico privilegio. Quod si indebitam procurationem exigat episcopus, in duplum condemnatur, praeter alias poenas quibus obnoxius esse potest *(Conc. Trid. l. c.)*.

III. Postremum ex recensitis episcoporum officiis est, statis temporibus sese Romam conferre, seu, ut dicitur, visitationem peragere *sacrorum liminum apostolorum.* Huius scopus est, arctius episcopos inter et Romanum Pontificem vinculum unitatis adstringere, simulque ob relationem status ecclesiarum exhibitam, efficere ut Romano Pontifici omnia plane perspecta exsistant. Ad hanc visitationem asserendam pertinent Sixti V Const. *Romanus Pontifex* 20 Dec. 1585, et Benedicti XIV Const. *Quod Sancta* 20 Nov. 1740; quae postrema constitutio pertinet ad praelatos inferiores qui gaudent iurisdictione quasi episcopali. Porro:

a) visitatio sacrorum liminum fieri debet ab episcopo, et solum eo legitime impedito, ab eius delegato, qui tamen *mitti* debet ex ipsa dioecesi, et instrui *speciali mandato.*

b) *Tempus* quo fieri debet, varium est pro diversis locorum distantiis, et continetur inter triennium et decennium; ut patet

ex ipsis allegatis constitutionibus, a quibus etiam temporum spatia respective computantur (1).

c) *Actus* visitationis sacrorum liminum triplex est: visitatio basilicarum SS. Petri et Pauli, aditio ipsius Summi Pontificis, relatio status ecclesiae.

d) *Poena* omissae visitationis sacrorum liminum, ut patet ex cit. Const., prius erat suspensio ab omni administratione episcopatus, et perceptione fructuum, imo et ab ingressu in ecclesiam, ab ipsa die qua visitationis tempus recurrit, ipso facto incurrenda. Sed haec poena abolita est a Pio IX per constitutionem *Apostolicae Sedis,* adeoque ipsius Summi Pontificis arbitrio permittitur.

Scholion I.

Saepe sermo occurrit penes auctores in hac tractatione, de lege *dioecesana* et de lege *iurisdictionis*. Haec distinctio quae nonnisi serius recepta est, nomine legis dioecesanae designat ius episcopi, exigendi a subditis *ecclesiasticis* certi generis tributa; nomine vero legis iurisdictionis cetera iura omnia superius recensita. At vero antiquitus lex dioecesana ea intelligebatur quae episcopi subditos attingebat, adeoque exempti, uti ex. gr. regulares, ab ea excipiebantur; lex vero iurisdictionis quae etiam ad exemptos pertinebat (2). Iam haec distinctio pertinet quidem ad intelligentiam auctorum, at practice nullum habet usum; manente tamen priore acceptione, qua lex dioecesana ad ius percipiendi tributa (3) dumtaxat refertur.

(1) Ea omnia quae ad hanc visitationem pertinent, et eius occasione ad illustranda omnia capita *Relationis status Ecclesiae* quae ab episcopis debet exhiberi, fuse persequutus est Angelus Lucidi in egregio opere *De Visitatione sacrorum Liminum,* cuius tertiam eamque accuratissimam editionem, tum innumeris mendis purgatam, tum pluribus additionibus valde locupletatam adornavit P. Iosephus Schneider S. I. Romae ex Typogr. Polygl. S. C. de Prop. Fide MDCCCLXXXIII. Voll. 3.

(2) Confer Ben. XIV. de Syn. lib. I. c. 4. §§ 3. 4. cum allegat.

(3) Huc pertinent *cathedraticum, subsidium caritativum, portio canonica, procuratio.* Uberior de his evolutio pertinet ad librum II. ubi de rebus disseritur.

Scholion II.

Ad tractationem de episcopis pertinet etiam evolutio ecclesiasticae disciplinae, circa electionem episcoporum. Vera autem eius notitia habetur ex rite instituta investigatione circa haec tria elementa :

a) principia theoretica ;

b) applicationem historicam ;

c) indolem oppugnationis catholicae veritatis in eadem re.

I. Itaque seposita tantisper historica controversia, haec certa sunt :

a) Episcopatus est ex divina institutione, adeoque modus ipse, quo quis ad eum assumitur est divinitus determinatus.

b) Quaecumque sit sententia de origine potestatis iurisdictionis episcopalis, semper huic insita est dependentia a primatu R. Pontificis.

c) Hinc sicuti Petrus, ita Romani Pontifices in eius primatu successores, illi sunt ad quos pertinet essentialiter et ex divina institutione, constituere pastores in singulis ecclesiis.

d) Absurdum est igitur, alium quemlibet modum inducere, tamquam *essentialem et necessarium*, in episcoporum institutionem, siquidem id manifeste adversatur ipsius Ecclesiae, prout a Christo fundata est, constitutioni.

e) Unde haec consequuntur :

α) elementum *necessarium* in electione episcoporum non est *nisi unicum*, nempe auctoritas Romani Pontificis ;

β) ergo quodlibet aliud elementum, non potest esse nisi ad *utilius*, *facilius*, *suavius* electionem episcoporum peragendam, praesertim spectatis adiunctis historicis locorum, personarum, temporum ;

γ) ergo aliud quodlibet elementum non est *essentiale*, sed *adscititium*;

δ) porro cum *episcopus, clerus, populus* sint, ut patet, termini invicem connexi, apparet fieri potuisse et debuisse, ut in electione episcoporum, etiam clerus et populus aliquam partem haberent.

ε) Sed ex ipsa rei natura, hoc esse non potuit *exercitium insiti iuris*, sed dumtaxat, vel 1) *requisitum ad tutius eligendum*, ex. gr. *testificatione idoneitatis*, vel 2) *petitio*, *postulatio* alicuius personae ut eligeretur, vel 3) si quandoque ipso suffragio christiani populi electio facta est, id nonnisi ex *concessione* quadam, haud vero ex *necessitate* repetendum est.

f) Eo ipso, quod elementum necessarium ab adscititio plane discriminatur, sequitur plane diversos esse utriusque characteres; nempe

α) elementum necessarium est immutabile, universale, et *quoad essentiam* semper idem, scilicet consensio cum Sede Romana;

β) elementum contra adscititium est mutabile, varium pro diversis temporibus, et quandoque eodem tempore, pro diversis locis.

γ) Ratio huius mutabilitatis dimanat tum ex ipsa utilitate ad quam *unice* ordinatur, tum ex abusu qui forte oriatur, tum ex libero exercitio pontificiae iurisdictionis in Ecclesiam universam.

g) Quamvis hac ratione qua diximus, scilicet ex iure *secundum quid* suffragii in ipsa electione, quod forte quandoque extitisse probetur, nihil evinci possit ad ius *absolutum* et *essentiale* sive clero sive populo asserendum; longe tamen probabilius est, in illis iisdem monumentis quae proferuntur ex historia, nil aliud contineri, quam vel 1) concursum in *testimonio* ferendo, vel 2) consuetudinem *postulandi*, vel 3) simplicem praesentiam, ut ipsa electio augustiori solemnitate perageretur.

h) Denique, quemadmodum elementum necessarium nunquam potest suppleri, sed saltem *virtualiter* et *praesuppositive* semper adesse debet; ita adscititium multipliciter suppleri, quin et a legitima auctoritate aboleri potest.

II. Haec quae veluti a priori statuimus, apprime confirmantur ab ipsa historia, si animo praeiudiciis vacuo monumenta inspiciantur quae proferuntur. Id praestiterunt praeclari tum antiqui tum etiam recentes scriptores, qui ex ipsis monumentis nonnisi triplicem modum illum a nobis memoratum *(e, ε; g)* probari ostendunt (1). Tractationis summa ita breviter potest exhiberi.

(1) Cf. Thomassinum *Vetus et nova Ecclesiae disciplina* Tom. II. lib. 2. c. 33. n. 5; Bianchi *Della esterior polizia della Chiesa* lib. I. c. 6.

a) Sunt qui in historia huiusmodi electionum, quinque *epochas* seu *stadia* distinguunt (1), scilicet:

α) ab apostolis ad concilium Constantinopolitanum IV (869); quo tempore electio fiebat ab episcopis comprovincialibus, exquisito cleri ac populi consensu, et eam confirmabat metropolitanus vel exarcha vel patriarcha;

β) a concilio Constantinopolitano IV ad concilium Lateranense I (1123); quo tempore, ad *ius* quod attinet, exclusus fuit populus;

γ) a concilio Lateranensi I ad initium saec. XIV; quo tempore ius eligendi unice tributum fuit capitulo Ecclesiae cathedralis, confirmatio vero electionis ad metropolitanum spectabat;

δ) ab initio saec. XIV ad saec. XV medians; quo tempore electio per *reservationes pontificias*, revocata est ad Sedem Apostolicam;

ε) a saeculo XV deinceps, quo tempore per *Concordata*, plura a Romano Pontifice concessa sunt principibus, ob iis largitum *ius praesentandi* vel *nominandi* (2).

b) At si *vera mutatio* in eligendi modo, attendatur, aptius forte ad triplex stadium res tota revocatur, scilicet:

α) saeculo I ad XII, in quo electio peragebatur concurrentibus in eamdem, licet aliter atque aliter, clero et populo;

β) a saeculo XII ad XIV; quo tempore electio ad solum capitulum ecclesiae cathedralis statuta lege devoluta est;

γ) a saec. XIV deinceps, cum episcoporum electio privative revocata est ad Sedem Apostolicam, licet ex inducto iure concordatorum plura ab ea civili potestati permissa fuerint.

c) Verissime autem animadvertit idem Tarquini (l. c.), stadia hactenus recensita non esse ad vivum resecanda, ita ut in

et recentissimum hac de re scriptorem, Valentinum Steccanella S. I. *Delle elezioni popolari nella Chiesa, Discussione storica, canonica, pratica.* Prato 1878, ubi quae potioris sunt momenti e probatissimis auctoribus collecta et praeclare illustrata reperiuntur. Vide etiam Card. Tarquini S. I. op. cit. lib. II. c. 2. § 2. nn. 17 seqq., quem sequitur cl. Cavagnis *Instit. I. P. E.* Vol. II. pag. 61 seqq. Romae 1883. - Vecchiotti op. cit. lib. 2. c. 10. Vering op. cit. §§ 137. 138.

(1) Tarquini l. c.; Cavagnis *Inst. I. P. E.* Vol. 2. pag. 88.

(2) Iidem ll. cc.

primo stadio primus eligendi modus, in secundo secundus et ita porro *semper* et *ubique* servaretur. Liquet enim tum ex rerum natura extare debuisse, tum ex ipsa historia reapse extitisse plures synchronas, a communi praxi tunc vigente, exceptiones.

d) Id autem praeclare confirmat ea principia theoretica quae proposuimus (heic I).

e) Monumenta vero historica vario ex fonte deprompta, quibus hactenus asserta demonstrantur, penes auctores reperire est, quos in nota allegavimus.

f) Haec autem omnia ad occidentalem ecclesiam in primis pertinent. In oriente enim quo magis haereses sibi succedentes, laxata disciplina, clericorum vitia, schisma multipliciter praeformabant, eo etiam turpior civilis potestatis immixtio ac audacior deprehenditur; donec schismate consummato plenam nacta est hac etiam in re planeque arbitrariam potestatem.

g) Nihil vero addendum hic censemus de varia praxi electionis Summi Pontificis. Si quid enim est quod ad Ecclesiam unice spectat ac alienam penitus respuit immixtionem, electio est supremi Ecclesiae capitis. Facile tamen intelligitur, quo tempore clerus et populus, eo pacto quo diximus, ad alias ecclesiasticas electiones operam suam conferebant, id etiam in hac praestare debuisse. Quin et illud intelligitur, civilem potestatem avidius inhiasse in eam electionem semet ingerere ac dominari. At iure haec electio semper ad *Romanae Ecclesiae presbyterium pertinuit,* licet ad illud pertinerent etiam quidam, uti episcopi suburbicarii ac finitimi, qui urbem ipsam non incolebant (1). Hinc cum magis definita ratione, ut alibi diximus, in sacro cardinalium collegio presbyterium constitutum fuit, eidem electio pontificis unice fuit attributa (2). Quod etiam nunc viget, et luculentissimam habuit confirmationem, cum iam iam concilium vaticanum oecumenicum incoepturus, peculiari edita constitutione, Pius IX edixit, si concilii scilicet coacti tempore Sedes pontificia vacaret, electionem a solis cardinalibus, quolibet alio seposito, fieri oportere (3). Ex quibus et illud patet Romanos

(1) Cf. Schmalzgr. ad tit. de Elect. c. X. n. 92.

(2) Cf. Pii IX Const. *Cum romanis Pontificibus,* 4 Dec. 1869. § *Ad tam funestum.*

(3) Cf. const. cit.

Pontifices ea quae ad electionem hanc pertinent statuendi habere potestatem.

III. Si denique indoles spectetur eorum, qui nostris potissimum temporibus, populi in primis concursum tanquam necessarium requirunt, hi tum ex falsis principiis de regimine Ecclesiae democratico, tum ex insana spe, ob turbas quae necessario excitarentur, ecclesiam destructum iri, huiusmodi popularium electionum commentum totis viribus tueri aggrediuntur. At hoc ipsum ostendit, quam inconsulto quidam catholici has electiones denuo instaurandas propugnaverint.

TITULUS XIII.

De capitulo ecclesiae cathedralis.

346. Iis quae de Episcopis hactenus dicta sunt, sponte veluti sua accedunt quae ad iura capituli ecclesiae cathedralis referuntur. Dicimus autem: *capituli ecclesiae cathedralis,* ut appareat, hic capitulum spectari non qua capitulum est canonicorum, sed quatenus singulari omnino ratione, capitulum est ecclesiae cathedralis. Quare, non quaerimus de iis quae sunt *communia,* sed de iis quae sunt *propria.* Proprium autem est capituli ecclesiae cathedralis, ut sede vacante, vice episcopi fungatur, in iis quae ad iurisdictionem pertinent, licet in *praesenti iure,* per *vicarium capitularem:* sede vero plena, peculiari quadam ratione, episcopo praesto sit, ad ecclesiae administrationem.

Ut illud aggrediamur, quod potissimum est munus capituli cathedralis ecclesiae, ut nempe sede vacante episcopi vices obeat, constat ante concilium tridentinum capitulum ecclesiae cathedralis, quoad spiritualem iurisdictionem plenam potestatem obtinuisse, idque vel *collegialiter,* vel *per delegatos, ad nutum* tamen *revocabiles,* vel partim collegialiter, partim per tales delegatos. Cum exinde graves multiplicesque orirentur abusus, concilium tridentinum *(Sess. XXIV. cap. 16 de Ref.)* aliam substituit in administratione sedis vacantis oeconomiam. Hinc

a) statuit, ut capituli iurisdictio ad vicarium capitularem, intra octo dies a notitia habita vacationis, rite a capitulo ele-

ctum transire debeat, tota quanta est (1), adeo ut nihil penes se retinere possit.

b) Posse tamen si velit, vicarium generalem episcopi defuncti, in munere confirmare.

c) Vicarium eligendum a capitulo, oportere ut habeat doctoris vel licentiati gradum in iure canonico, vel saltem sit quantum fieri potest idoneus.

d) Si capitulum sit negligens, suppletur eius negligentia a metropolitano, a quo vicarius constitui debet. Si id contingat in ecclesia metropolitana, vel exempta, vicarius constituitur a suffraganeo antiquiore in metropolitana, a viciniori episcopo in ecclesia exempta.

e) Si forte simul vacent metropolitana et suffraganea, tum capitulum metropolitanae supplet negligentiam capituli suffraganeae, et nominat in ea vicarium; si vero utrumque capitulum sit negligens, tunc antiquior episcopus negligentiam supplet. Si omnes sint negligentes, electio vicarii devolvitur ad Summum Pontificem, per sacram congregationem episcoporum et regularium.

f) Insuper capitulum, sede vacante, ex praescripto concilii tridentini, *si ei munus incumbit percipiendorum fructuum,* constituere debet unum vel plures Oeconomos, ad bona episcopalis mensae administranda, qui dein reddere debent administrationis rationem episcopo promoto ad eam ecclesiam. Plures tamen et fuerunt et modo adhuc sunt civilis potestatis variis palliatae nominibus iniquae usurpationes in beneficiorum vacantium episcopalium nominatim administratione, uti *ius regaliae, regii oeconomatus* etc.

g) Potestas autem vicarii capitularis ea generali formula continetur, ad ipsum sede vacante devolvi quidquid in *ordinaria potestate iurisdictionis episcopali* continetur, iis dumtaxat exceptis quae a iure ei subtrahuntur. Hinc ei non competunt quae pertinent ad potestatem *ordinis* episcopalis; item quae in potestate iurisdictionis episcopo competere possunt *ratione personae,* aut *ex solo titulo apostolicae delegationis;* quamvis non desint qui censent *delegationem perpetuo* episcopis factam quoad

(1) Pius IX Const. *Romanus Pontifex,* 25 Sept. 1873.

aliqua iura exercenda, ad vicarium capitularem quoque pertinere.

Pariter ex notissimo in iure principio: *ne sede vacante aliquid innovetur (Rubr. tit. 9. lib. III. Decr.)*, ea quoque excipiuntur quibus prior dioeceseos vel cathedralis status immutaretur, aut futuro praelato inferretur praeiudicium; uti alienationes, suppressiones beneficiorum, collatio beneficiorum *uni* episcopo reservata, indulgentias largiri etc. Reliqua quae ad rectam administrationem ecclesiae vacantis requiruntur et ad episcopalem iurisdictionem pertinent, iure suo a vicario capitulari exercentur.

h) Cessat vero iurisdictio vicarii capitularis, cum novus episcopus apostolicas collationis litteras capitulo exhibuerit. Vicarius autem eidem episcopo gesti muneris rationem reddere tenetur.

i) Ad absolvendam hanc tractationem quaedam insuper veniunt animadvertenda:

aa) deputatio vicarii capitularis, nonnisi *sede vacante* fieri potest; quod si episcopus sit e sua sede pulsus, vicarius eius generalis ipsius nomine regere debet dioecesim. Hinc recentissime a Sede Apostolica huiusmodi electiones tamquam irritae et schismaticae vehementer improbatae sunt, et electores et electum censuras ecclesiasticas incurrisse declaratum est. Excipitur tamen ex iure Decretalium *(cap. si episcopus 3. de suppl. nèglig. in 6)* si episcopus a paganis vel schismaticis sit captus. Sed debet tum statim notitia ad Pontificem deferri, ut provideat. At lex illa evidenter spectat ad ea historica adiuncta in quibus lata est ob temporum conditionem.

bb) Item nequit nominatus aut praesentatus a civili potestate ad episcopatum, semet ingerere in administrationem illius tamquam vicarius capitularis. Quod etiam dici debet de electo, ubi per electionem ecclesiae vacanti episcopus datur.

cc) Si vero ipse vicarius capitularis rite deputatus, dein episcopus nominetur, videtur *per se* teneri ad munus illico abdicandum, nisi peculiarem habeat illud retinendi facultatem.

dd) Cum lex prohibens de qua modo agimus, loquatur solum de electo a capitulo, vel nominato a *civili* potestate, non attingit designatum in episcopum ab ipso summo Pontifice.

ee) Vicarius capitularis *unicus* esse debet, ex decreto concilii

tridentini; at consuetudinem plures nominandi, quae alicubi viget, dictum est, *posse tolerari* (1).

347. Brevius ea expediuntur quae ad capitulum ecclesiae cathedralis pertinent sede plena. Eius enim relatio ad episcopum ita potest exhiberi:

a) generatim capitulum cathedrale est veluti ***brachium*** episcopi, qui in administratione ecclesiae, potissimum in rebus gravioribus, eius consilio atque opera utitur;

b) quaedam etiam in iure habentur quae fieri ab episcopo nequeunt, nisi saltem ***audito capitulo***;

c) quaedam vero quae fieri ab eo non possunt nisi habito consensu eiusdem capituli (2).

d) Regula generalis veluti est, in iis quae graviora sunt, exquirendum esse aut consilium aut consensum capituli (3). Iam vero in iis in quibus requiritur consensus capituli, si hic desit res est *irrita*; in iis in quibus requiritur ***consilium,*** res per se est valida, si episcopus consilium exquirere negligat, quamvis suo desit muneri; nisi forte consilium esset requirendum sub conditione actum irritante. Ex dictis hoc etiam pertinet ad vicarium capitularem.

TITULUS XIV.

De praelatis inferioribus.

348. Sicuti divina institutione episcopi ad regendas particulares ecclesias sunt destinati, ita lege ecclesiastica ad maiorem fidelium utilitatem, vel alia legitima ex causa, quaedam personae existunt, quae maiori minorive amplitudine potestatem iurisdictionis veluti episcopalem exercent. Hi in iure *praelati inferiores* appellantur.

349. Praelatorum inferiorum triplex habetur classis, scilicet: *infima, media* et *suprema.*

(1) Confer Petrum Leurenium S. I. *De Vicariis episcoporum* Tract. III. cc. 4-6 incl.; Schmalzgr. ad tit. *De Officio Vicarii* (I. 28) § 3; Vecchiotti, op. cit. lib. II. § 82; Aichner, op. cit. § 119. n. 2.

(2) Cf. tit. *De his quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli* (III, 10).

(3) Cf. Ios. Ferrari, op. cit. n. 194.

I. Praelati *infimae* classis, quae *prima* etiam dicitur, ii sunt qui certo generi personarum, intra septa alicuius ecclesiae, monasterii, conventus, domus etc. praesunt. Tales sunt generales, provinciales, abbates regulares itemque abbates saeculares, immediate Pontifici subiecti. Hi enim omnes, ad personas et eum locum quod attinet, sunt a iurisdictione ordinarii exempti.

II. Praelati inferiores *mediae* seu *secundae* classis sunt illi, qui potestatem exercent in clerum et populum alicuius loci, qui tamen locus in dioecesi alterius episcopi continetur, adeoque *territorium separatum* non habent. Hi proinde magis personalem, quam localem iurisdictionem habere dicendi sunt; neque enim ratione territorii, cum hoc in alia dioecesi sit, sed ratione personarum, in eo territorio iurisdictionem exercent.

III. Deinde praelati inferiores *supremae* seu *tertiae* classis, qui peculiari nomine appellantur *praelati nullius dioecesis,* ii sunt, qui iurisdictionem habent in clerum et populum unius aut plurium locorum, ita ut illud territorium sit a qualibet dioecesi omnino separatum. Ii habere dicuntur vero et proprio sensu potestatem *quasi episcopalem.*

350. Ut aliquid dicamus de tribus hisce recensitis praelatorum inferiorum classibus, incipimus ab ea quae omnium est nobilissima, nempe praelatorum *nullius,* iis enim propositis, quae ad eos pertinent, facilius quae ad alias duas classes spectant, determinantur.

I. Origo praelatorum *nullius* necessario repetenda est, tamquam ex causa *adaequata,* ex privilegio apostolico; neque enim aliter quam ex auctoritate quae sit episcopali maior, eximi potuerunt ab episcoporum iurisdictione. Atqui haec alia esse non potest quam Romani Pontificis. Quare omnes aliae causae nil aliud efficere potuerunt, quam ut facilius tale privilegium Sedes apostolica vel expresse concederet, vel saltem tacite ut existens agnosceret.

II. Iura vero quae competunt praelatis nullius, ex hoc veluti principio desumi debent, eos habere potestatem *quasi episcopalem.* Ex quo sequitur tamquam generalis regula, quidquid est in episcopali potestate *iurisdictionis,* iis concedendum esse, nisi sit *expresse* iis in iure denegatum. Quod vero pertinet ad potestatem ordinis, cum careant ordine episcopali, functiones eius-

dem proprias profecto obire non possunt, quibusdam solum exceptis, quas ex apostolico privilegio possunt exercere, uti est collatio tonsurae et ordinum minorum. Multo vero magis, ex eodem privilegio facultas iis concedi potest, exercendi functiones illas, quae solum *analogice* ad potestatem ordinis episcopalis referuntur; de quibus vide superius dicta *(tit. VIII)*.

III. Nominatim vero ex illa generali regula consequitur, praelatos nullius, eo quod expresse hoc non sit in iure iis denegatum, posse:

a) matrimoniales et criminales causas, inter eos limites qui episcopis competunt, cognoscere;

b) dispensare a proclamationibus matrimonialibus;

c) concedere facultatem audiendi confessiones et concionandi;

d) item reservare sibi aliquos casus;

e) iubilaea et indulgentias *publicare;*

f) vocare *quemlibet* episcopum ad administrandum in *sua quasi dioecesi* sacramentum confirmationis, nec non a quolibet episcopo olea sancta recipere;

g) plenam iurisdictionem exercere in monialium clausuram.

IV. Contra vero *ob claram in iure exceptionem,* praelati nullius, nisi *peculiarem* habeant a Sede apostolica facultatem, vetantur:

a) synodum dioecesanam convocare, adeoque examinatores synodales instituere; unde consequitur eos nec concursus parochiales indicere, nec parochias posse conferre. Haec enim omnia fieri debent ab episcopo viciniore (1);

b) indulgentias *concedere;*

c) absolvere a casibus et irregularitatibus occultis Summo Pontifici reservatis, vi facultatis concessae episcopis a concilio tridentino *(cap. Liceat, sess. XXIV. de Ref.);*

d) clericos saeculares ad ordines promovere;

e) dare literas dimissorias ad ordines;

f) exercere in regulares iurisdictionem, *tamquam delegatos Sedis apostolicae,* in iis in quibus id episcopis conceditur a concilio tridentino;

(1) Episcopus *vicinior* determinatur a distantia inter *ecclesias cathedrales.*

g) ob peculiare tamen privilegium, abbates regulares, qui in sacerdotio sunt et *solemnem benedictionem* receperunt, possunt, ut dictum est, suis subditis tonsuram et minores ordines conferre.

V. Si vero de *officiis* seu oneribus praelatorum nullius inquirimus, haec potissima sunt:

a) residentia, eo prorsus modo ac episcopis imponitur;

b) praedicatio verbi Dei, quoad possunt *per se* facienda;

c) applicatio missae pro *populo,* iis diebus quibus episcopi id facere tenentur;

d) visitatio sacrorum Liminum, ex citata constit. Benedicti XIV *(V. tit. XII);*

e) visitatio suae *quasi dioeceseos.* Notandum tamen, hoc ab iis fieri *cumulative* cum episcopo viciniore, qui et ipse eam visitandi ius habet. Hinc cavere debent, ne quid decretis episcopi contrarium statuant; episcopi enim decreta semper sunt praeferenda.

351. Si vero de aliis duabus praelatorum inferiorum classibus sermo fiat, haec de iis statui possunt:

I. Eorum origo, tum ex apostolico privilegio, tum etiam ex praescriptione quadragenaria cum titulo colorato, repetenda est.

II. Eorum iura non modo limitantur circa ea omnia, quae praelatis etiam *nullius,* ut vidimus, interdicuntur, sed insuper, ea omnia iis denegantur, quae a concilio tridentino *solis Ordinariis* reservantur, et etiam praelatis nullius conceduntur, eo quod vere sunt Ordinarii. Abbates enim primae et secundae classis, *Ordinarii* dici nequeunt, cum territorium omnino separatum non habeant.

III. Onera vero seu officia, eadem sunt ac pro praelatis nullius, his solum exceptis: visitatione sacrorum liminum, itemque visitatione locorum piorum et beneficiorum (Conc. Trid. Sess. VII. cap. 4; Sess. VII. cap. 8; Sess. XXIV. cap. 9) (1).

(1) Praeter DD. ad titulum *de Off. Iud. ord.* (I. 31) conferri possunt Cardin. Petra, *ad const. II. Eugenii III.* « *Sacrosancta* » (Tom. I. pagg. 536 seqq.).

TITULUS XV.

De parochis.

352. Ad absolvendam tractationem de iis ecclesiasticis personis, quae in ecclesia ordinaria iurisdictionis potestate fruuntur, superest ut de parochis aliquid dicamus.

I. Muneris parochialis origo, neque ex iure divino et immediata Christi institutione, neque ex institutione Apostolica est repetenda, sed dumtaxat ex ecclesiastica institutione. Si enim recte loqui velimus unicus in dioecesi particulari, divinitus constitutus praeses est episcopus. Hinc reliqui omnes, si qui sint, nonnisi eius sunt administri; qui *spectata hac solum relatione,* ab eo prout iudicat constituuntur et amoventur. Hinc est quod parochi serius institui coeperunt: et si excipiatur, iuxta quamdam neque ab omnibus receptam sententiam, urbs romana ob *titulos* cardinalium, et alexandrina ob peculiarem eius conditionem, constat ex historicis monumentis (1), prius in pagis quam in urbibus parochos constitutos fuisse, et in ipsis pagis saeculo circiter IV. Hinc subruuntur inania quorumdam commenta, quibus deinde maxime abusa est perfidia iansenianorum, de divina parochorum institutione (2).

II. Indoles potestatis, quae parochi est propria, hoc charactere in primis distinguitur, quod unice ad *forum internum* pertineat, adeoque parochus in foro externo nullam proprie dictam iurisdictionem habeat; eiusque muneris obiectum, praeter sacramentorum administrationem, non sit *publicum* regimen sed *domesticum;* non regat parochiam *instar provinciae,* sed *familiae,* adeoque vera potestate legifera, iudiciaria, coactiva, etiam ecclesiastica, destituatur.

III. Si tamen intimius, quaenam sit parochialis potestatis natura determinari velit, dicendum est, parochorum auctoritatem, *ordinariam* esse, cum officio inhaerens sit et iuxta cano-

(1) Thomassin., op. cit. Par. I., lib. 2. c. 21. n. 10; Nardi, *Dei Parrochi,* tom. 2. pagg. 151 seqq.

(2) Nardi, ib. tom. I., pagg. 288 seqq.; Bouix, *De Parocho,* Par. I. sect. I.

nicas leges, intra limites ab iis statutos, antecedenter eidem adnexa.

IV. Iura parochorum, pro natura potestatis quae iis competit, haec potissimum sunt:

a) administratio sacramentorum, nominatim baptismi, qui regulariter nonnisi a parocho vel eius delegato, solemniter iis qui sunt parochiani conferri debet. Item tempore paschali, ius ministrandi iisdem eucharistiam, adeo ut praecepto non satisfaciant, si alibi, absque parochi facultate, communionem recipiant.

b) Nominatim, quoad sacramentum matrimonii, ius parocho est, ob statutum a concilio trid. impedimentum *clandestinitatis*, ut matrimonium sit *invalidum*, nisi coram ipso contrahatur. Quin imo, id etiam parocho qui simpliciter sit tonsuram competit, cum plenam habeat in hoc iurisdictionem. Ad parochos etiam pertinet, parochianis suis graviter aegrotantibus eucharistiae et extremae unctionis sacramenta conferre, ita ut *licite*, nemo ea possit conferre, nisi forte iis qui ab eorum potestate eximuntur.

c) Item parocho ius competit, quoad funera: sed de his data opera agitur in titulo de sepulturis.

d) Ius quoque parocho est, congruam sustentationem recipiendi, sive ex ipsa parochiali praebenda, sive ex aliis fidelium oblationibus, iuxta locorum consuetudinem, sive ex iis quae *iura stolae* appellantur.

e) Potest etiam, in quibusdam adiunctis, parochianos suos dispensare quoad opera servilia, quando subditus non potest adire episcopum et urget necessitas, idque ad tempus et in casu particulari, ut tradit S. Alfonsus. Sunt tamen qui ex Const. Benedicti XIV. *Si fraternitas* dicunt parochum solum declarare, obligationem opera servilia devitandi vel servandi ieiunia, eo in casu non adesse.

f) Item ius parochi est, domos suorum fidelium, in ambitu suae parochiae, sabbato sancto benedicere.

V. Officia autem, quae parochis ratione sui muneris imponuntur, sunt:

a) professio fidei emittenda intra trimestre ab inito munere, praedicatio verbi Dei, potissimum diebus festis, atque aliis spe-

ciatim recensitis a concilio tridentino (1). Quod nominatim intelligi debet, de erudiendis in christiana catechesi fidelibus, praesertim rudioribus et pueris. Item residentia, iuxta normas statutas (2);

b) administratio sacramentorum, ita ut quoad fieri potest, praesto sit fidelibus ea requirentibus;

c) applicatio missae pro *populo* diebus a iure statutis; *Bened. XIV. Const. Cum semper oblatas;*

d) annunciare festa intra hebdomadam occurrentia, itemque ieiunia; proclamationes facere ad matrimonia ineunda, vel ad ordines, ubi quoad hos viget consuetudo;

e) accurate penes se libros servare baptizatorum, itemque eorum qui coniugio sunt iuncti, atque defunctorum, et in singulis nomina et tempus accurate describere;

f) habere fontem baptismalem in sua ecclesia parochiali, itemque sancta olea, eaque pro debita reverentia servare: quod longe maiori ratione, de iis omnibus quae ad sacramentum Eucharistiae, vel missae celebrationem pertinent, intelligendum est;

g) functiones parochiales rite obire; sed cum de his quandoque controversiae quaedam oriantur, potissimum inter parochum et confraternitates vel etiam regulares, de his attendenda sunt decreta SS. Congregationum. Quae vero in parochis requirantur, superius dictum est (3).

353. Parochis proprii nominis, addendi in hac tractatione hi sunt, qui *vicarii parochiales* appellantur, sive *perpetui* sint, sive *temporarii.* Quamvis enim proprio sensu parochi non sint, imo plus vel minus in ipsa parochiali potestate deficiant, cum tamen parochorum loco sufficiantur, ea quae parochis incumbunt, in bonum animarum exercent. Hi dicuntur vicarii *in divinis,* seu in beneficiis; ut distinguantur a vicariis *in iurisdictione,* de quibus titulo insequenti dicturi sumus. De vicariis in divinis agitur, in decretalibus Greg. IX titulo XXVIII. lib. I. qui

(1) Sess. XXIV. cap. 4 de Ref.

(2) Conc. trid. sess. XXIII. c. 1. de Ref.

(3) De Parochis vide *Nardi, Dei Parrochi, Voll. 1. 2. Pesaro 1829.* qui ea quae potiora habentur ex probatissimis quibusque fontibus accurate collegit et apte explanavit. Item conferri possunt, *Reclusius, De re parochiali,* et *Bouix in Tract. De parocho.*

inscribitur *De officio vicarii*. At qui in Gallia et Belgio *succursalistae* dicuntur, veri parochi sunt licet amovibiles, peculiari ex disciplina invecta post concordatum anni 1801: de hac aliquid dicemus agentes de beneficiis.

Scholion

Cum ex lege concilii tridentini (1), pleraque beneficia parochialia *per concursum* sint conferenda, aliquid breviter dicendum est de modo qui in eo habendo servari debet. Ad hunc pertinent:

a) *indictio concursus* per edictum episcopi, determinatis die, loco, et hora.

b) *Examinatores,* qui *assentiente* synodo dioecesana, debent designari, et ideo dicuntur *synodales;* licet inter unam et aliam synodum, si aliquem substituere necesse sit, id episcopus *de consensu capituli* facere possit. Tunc ita designati *prosynodales* appellantur.

c) *Forma examinis, ad doctrinam quod attinet,* quae *ex iure communi* tum quaestiones dogmaticas quasdam, tum casus morales, tum conciunculam de aliquo Evangelii textu complectitur, et eadem omnino esse debet pro omnibus. Notandum tamen non exinde sequi omnia haec aequo modo *ad essentiam examinis* pertinere, licet profecto concurrant ad iudicium de doctrina ferendum.

d) *Examen circa alia requisita,* uti sunt ex praescripto concilii tridentini, *aetas, mores, prudentia, praeclara merita, ministeria iam obita,* quaecumque scilicet aliquem meliorem parochum *in ea parochia* futurum portendant.

e) *Iudicium,* quo ex requisitis omnibus rite perpensis *dignior eligitur.*

f) *Ius contradicendi,* quod habent concurrentes posthabiti,

(1) Conc. trid. Sess. XXIV. c. 18. de Ref.; Pii IV. Const. *In Conferendis,* 15 April. 1567; Ben. XIV. Const. *Quum illud,* 14 Dec. 1742 et Const. *Redditae nobis,* 9 April. 1746; S. C. C. in Brictinorien. *Concursus,* 20 Ian. 1883; Ben. XIV, *De Syn. Dioec.* lib. 4. cc. 7. 8; lib. XIII. cc. 9. n. 18. 24. nn. 6. 7.

intra decem dies; sed eius effectus non est *suspensivus,* sed *devolutivus.*

Porro hae leges spectant ad beneficia habentia adnexam curam animarum, quae sunt liberae collationis, saecularia, vel iurispatronatus ecclesiastici. Nam quoad beneficia regularia vel iurispatronatus laicalis, qui praesentatur a praelato regulari vel patrono laico examini quidem subiici debet et *dignus* iudicari, at obligatio concursum indicendi non habetur.

TITULUS XVI.

De vicariis.

354. Vicarios, ut modo dictum est, hic spectamus prout ad potestatem iurisdictionis referuntur; hinc dicuntur vicarii in *iurisdictione.* Ii sunt, sede vacante vicarius *capitularis,* sede plena vicarius *generalis* episcopi, et in vicariis dioeceseos partibus illi, qui dicuntur *vicarii foranei.* De vicario capitulari, ob nexum doctrinae, dictum est superius. Superest ut hic aliquid tum de vicario generali episcopi, tum de vicariis foraneis breviter innuamus.

§ I. *De vicario generali episcopi.*

355. Ut ratio habeatur eorum, quae de vicario generali episcopi traduntur in iure ecclesiastico, pro praesenti ecclesiae disciplina, haec statuenda sunt: primo, vicariorum generalium origo; secundo, natura potestatis quae ipsis competit; tertio, eiusdem amplitudo.

I. Si simul conferantur ea quae habentur in decretalibus Gregorii IX in titulo de officio vicarii, cum iis quae eodem titulo habentur in sexto, apparet longe alia ratione, in utroque disseri de vicariis. In decretalibus enim Gregorii IX unice sermo est de vicariis *in beneficiis,* et quae ad iurisdictionem pertinent, vice episcopi propemodum exercendam, tribuuntur vel archidiacono, vel archipresbytero, ut patet ex titulis de officio archidiaconi et de officio archipresbyteri (I. 23. 24). At vero in sexto

decretalium agitur de vicario in iurisdictione, seu, ut modo dicitur, de vicario generali episcopi. Hinc iure infertur, illo temporis intervallo (1233–1298) saeculo XIII, hanc mutationem factam fuisse in antiquiori disciplina, ut quae archidiacono et archipresbytero committebantur, peculiari omnino modo vicario generali ad id instituto tribuerentur.

II. Ex iis quae diximus in scholio III ad calcem tituli IX (n. 11°) patet iurisdictionem vicarii generalis esse *vero et proprio sensu ordinariam*. Quod patet etiam eo quod recentes auctores qui inter notas essentiales iurisdictionis ordinariae recensent *perpetuam* eam esse debere, excogitarunt iurisdictionem *quasi ordinariam* eamque alios inter vicario generali episcopi tribuendam contendunt, nimis enim absonam deprehendunt eam ut delegatam habere. At vero in scholio II *(ibi)* ostendimus hanc intermediam iurisdictionem, admitti nullatenus posse. Quare omnino discedimus hac in re ab iis quae nos ipsi tradidimus in prima huius operis editione, uti iam et de legatis agentes diximus. Character vero omnino proprius huius officii est ut adsit communicatio identicae personae iuridicae, unde vicarius cum episcopo constituunt, ut dicitur in Iure, *unum tribunal* (cap. 2. de Cons. in 6) sunt scilicet una eademque persona iuridica.

III. Ut cognoscatur, quaenam sit amplitudo potestatis iurisdictionis, quae ad vicarium generalem spectat, nosse oportet quaenam facere possit, quaenam vero praestare nequeat. Iamvero,

a) generatim dici potest, vicarium generalem ea posse, quae vel ad episcopum peculiari quodam modo non reservantur, vel ab eodem pro lubito non excipiuntur. Hinc,

b) vicarius generalis ea facere nequit, quae pertinent ad potestatem ordinis episcopalis, non modo si ipse non sit episcopus, quod evidens est, sed etiam in hypothesi quod esset ordine episcopali insignitus; adhuc enim ad hoc indigeret *speciali mandato* episcopi;

c) item ea omnia facere nequit, quae episcopus facit vel *tamquam Sedis apostolicae delegatus* vel ut *talis persona;*

d) denique ea quoque vicarius facere non potest, quae requirunt speciale mandatum, adeoque semper censentur excepta. Hinc 1) *in re beneficiaria*, ea excipiuntur omnia quae sunt *li-*

beralitatis et *gratiae,* ut ex. gr. est collatio beneficii; dum ea potest, quae sunt *necessitatis* et *iustitiae,* ut est institutionem dare rite praesentato a patrono; 2) *in re iudiciaria,* quoad forum *externum* excipiuntur causae criminales et matrimoniales, quoad forum *internum,* absolvendi facultatem; 3) item nequit indulgentias concedere, confraternitates erigere, indicere synodum vel capitulum canonicorum eique praesidere, visitare dioecesim, dimissorias dare ad ordines, nisi forte episcopus diutius in longinquis regionibus moretur.

IV. Verum utut haec vera sint sedulo tamen semper attendatur, officium vicarii generalis episcopi, esse veram et propriam ecclesiasticam institutionem suffectam pro regimine ordinario particularium ecclesiarum antiquiori disciplinae, huic intra quosdam limites adnexam esse *antecedenter* propriam iurisdictionem, adeoque intra eos limites officium quidem esse *commissum,* non item iurisdictionem *commissam* dici posse. Quamvis autem hi limites non sint *in individuo* determinati, adeoque ex episcopi voluntate amplior vel arctior ambitus potestatis vicariae inde exsistat, necesse tamen est ut is sit, ut episcopus et vicarius *unam iuridicam personam* efficiat, secus non vicarius habebitur sed merus delegatus, cum essentiali ex alias dictis personae iuridicae diversitate.

V. Ad requisita quod spectat vicarii generalis, praeter ea quae universim superius dicta sunt (289 seqq.), haec insuper peculiari modo postulantur: 1) aetas esse debet XXV annorum saltem incoeptorum, quemadmodum statutum est pro praeficiendis ad curam animarum (291. *c*); 2) debet esse doctor, vel licentiatus in iure canonico aut in sacra theologia, saltem regulariter; quandoque enim Sacra Congregatio episcoporum et regularium indulsit, ut non doctorem, alias tamen idoneum, in vicarium generalem episcopus assumeret. 3) Item, regularis esse non debet, nec parochus, nec canonicus poenitentiarius vel episcopi consanguineus, vel denique oriundus e dioecesi aut in ea beneficium obtinens. Verum haec omnia potius quam *ad legem exclusionis,* ad *normam prudentiae* referenda sunt.

VI. Vicarii generalis potestas cessat tum cessante quoquomodo episcopi auctoritate, tum vicarii ipsius renunciatione aut revocatione.

§ II. *De vicariis foraneis.*

356. *Vicarii foranei* ii sint, qui extra urbem episcopalem, in diversis dioeceseos partibus sunt constituti, ad facilius tuendam, maxime in clericis, ecclesiasticam disciplinam. Eorum institutio nonnisi ex libera episcoporum voluntate repetenda est, sicuti tota eorum iurisdictio, ab ipsa pendet episcopi voluntate. Hinc non solum est *delegata,* sed neque *generali* verum *determinata* omnino delegatione continetur, et insuper est maior vel minor pro episcopi arbitrio. In praesenti disciplina vicarii foranei id potissimum muneris habent: 1) ut in mores invigilent clericorum, et si opus sit, in eos inquirant et crimen episcopo deferant; 2) ut decreta episcopalia exequutioni mandari curent, in ea, quae singulis tributa est, dioeceseos parte; 3) quandoque, ut leviores quaedam causae civiles ipsis dirimendae committantur; sed cum eorum iurisdictio sit undequaque delegata, ab iis datur appellatio ad vicarium generalem vel episcopum.

In antiquiori ecclesiae disciplina, si quid est quod vicarios foraneos aliquatenus exhibeat, eo continetur ecclesiasticae iurisdictionis gradu, qui *Chorepiscopis* tribuebatur ut videre est penes auctores, qui data opera de veteri ecclesiae disciplina scripsere (1).

TITULUS XVII.

De conciliis.

357. Potestas iurisdictionis, in gradibus hactenus recensitis, singillatim reperitur, quatenus ii qui tali gradu in hierarchia iurisdictionis potiuntur, maiorem vel minorem unicuique respondentem, vel ex divina vel ecclesiastica institutione, habent potestatem. At vero quidam etiam sunt actus iurisdictionis, qui non a singulis distributive sumptis, verum a pluribus collective spectatis ponuntur. Tales sunt qui *conciliares* dicuntur. Ad hos

(1) Utrum hi episcopi fuerint controvertitur, vide Phillips § 74, ubi plures in notis allegantur auctores. Chorepiscopos alicubi saltem aliquando episcopos vere fuisse potest admitti.

enim requiritur, ut vel ecclesia docens ac regens universa, vel eius pars aliqua, simul conveniat ad aliquid statuendum vel definiendum. Huc pertinent concilia, sive *oecumenica,* sive *provincialia,* sive *dioecesana.* Sicuti vero longe diversa est in his ratio coeundi, et amplitudo potestatis, ita et plane diversa est auctoritas. In ecclesiasticum maxime spectat ea quae ad synodum dioecesanam referuntur. Nam theologia dogmatica pleraque sibi vindicat, quae ad concilia oecumenica pertinent. Quae vero peculiariter sunt dicenda de concilio provinciali facile expediuntur. Hinc potissimum nobis immorandum est in iis quae ad dioecesanam synodum pertinent, potioribus praemissis de aliis duabus conciliorum speciebus.

358. I. *De conciliis oecumenicis.* Omittimus ex allata ratione ea omnia quae spectant

a) ad *originem, necessitatem, utilitatem, obiectum,* ac demum *auctoritatem* conciliorum oecumenicorum ;

b) item ad ius exclusivum Romani Pontificis, oecumenica concilia convocandi, iis praesidendi, proponendi ea de quibus agi debet, ac denique eorum decreta aut dogmaticas definitiones confirmandi.

Haec enim omnia a Theologis fuse proponuntur et vindicantur (1).

359. Ad ius ecclesiasticum magis pertinet, determinare quinam sint vocandi, sive *ex iure* sive *ex privilegio,* quaenam sint aptiores methodi quibus discussiones conciliares habeantur, easque moderandi etc. Sed haec omnia occasione ultimi oecumenici concilii vaticani sancita fuerunt in pontificia constitutione *Multiplices 27 Nov. 1869,* qua ordo servandus in concilio praescribebatur ; cui die 20 Feb. 1870 quaedam ad faciliorem negotiorum tractationem decreta addita fuerunt. Porro ea pontificia constitutione, omnia determinantur, quae ad recensita capita referuntur ; sicuti ex historia eiusdem concilii rationes cognosci possunt, quibus nonnulla paullo aliter ac in praecedentibus conciliis, statuta sunt (2).

(1) Cf. praeclare de Conciliis disputantem Palmieri, op. cit. Thess. XVIII et XIX.

(2) Cecconi, *Storia del Concilio ecumenico vaticano,* Par. I. Tom. I. ib. II. cc. 1. seqq.

360. Ut tamen aliquid saltem dicamus de iis qui ad concilium oecumenicum vocandi sunt, distinguendum est inter eos qui *iure* in eo sunt, et eos qui *privilegio* ad illud ita vocantur, ut cum prioribus *veri iudices* sint et suffragium ferant. *Iure* enim nonnisi episcopi, sive actu dioecesim habeant, sive etiam *titulares* sint, membra sunt conciliorum oecumenicorum, unde solemne erat in antiquitate christiana illud effatum: *Concilia esse episcoporum.* Privilegio vero a Sede apostolica concesso, ad concilium vocantur, ob intimum nexum cum Pontifice, cardinales S. Romanae Ecclesiae etiam non insigniti ordine episcopali. Praelati inferiores quoque sedent in concilio, si habeant territorium separatum et iurisdictionem quasi episcopalem: item abbates generales plurium monasteriorum, quae simul efficiant unam congregationem et praepositi generales *Ordinum regularium,* non vero superiores generales congregationum, ut dicuntur, *votorum simplicium,* neque (saltem ut statutum est in concilio vaticano) abbates ad aliquam congregationem spectantes, qui licet alicui monasterio praesint, iurisdictionem non habent quasi episcopalem in territorio separato. Quae quidem praescriptio omnino aptissima censebitur, si animadvertatur, rationem qua tum abbates tum praepositi generales Ordinum regularium admissi sunt, eam praesertim fuisse, ut pars illa in concilio repraesentaretur, cui praesunt (1).

Reliqua quae ad concilium oecumenicum spectant, theologorum sunt.

361. II. *De concilio provinciali.* Sicuti in concilium oecumenicum, universa, saltem iure, convenit ecclesia una cum suo Capite, ad ea statuenda quae ad fidem moresque pertinent, legesque ferendas quae omnibus fidelibus obligationem imponunt; ita in ordinario particularium ecclesiarum regimine sapienter institutum est, ut episcopi singularum ecclesiasticarum provinciarum, statis temporibus cum metropolitano conveniant, ad varia expedienda negotia vel statuendas leges, quae pro variis rerum ac personarum adiunctis, utiles futurae censentur. Huiusmodi concilia dicuntur *provincialia,* eo quod constent ex metropolitano unius provinciae ecclesiasticae, cum suis suffraganeis. Porro:

(1) Cecconi l. c. cap. 1. art. 1.

a) De tempore quo celebrari debet concilium provinciale, concilium tridentinum *(Sess. XXIV. cap. 2 de Ref.)* praescribit, ut singulis trienniis habeatur. Quod quidem vix unquam factum est, varias ob causas legitime probatas a Summo Pontifice, et in praesens etiam, ut facto constat, fieri haud solet. Concilia provincialia, antiquissima sunt in ecclesia, ut patet ex historia ac nominatim ex duplici controversia de die paschatis celebrandi (1), saeculo II, et de baptismo ab haereticis collato, saeculo III, (2) ut alia omittamus exempla. Hinc prius bis singulis annis, serius nonnisi semel quolibet anno, tandem singulis trienniis, iussum est ea celebrari.

b) Iudices in concilio provinciali non alii sunt nisi metropolitanus et episcopi suffraganei: vel praelati habentes iurisdictionem quasi episcopalem (3). Notandum tamen est, iuxta concilium tridentinum (l. c.), eos quoque vocandos esse, qui consuetudine interesse debent; qui tamen nonnisi ad consilium in provinciali concilio adhibentur (4). Nominatim vero praecipit, ut episcopi qui nulli archiepiscopo subiiciuntur aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cuius synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quae ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant, manentibus in reliquis eorum exemptionibus et privilegiis.

c) Obiectum vero, de quo in concilio provinciali agendum est, determinatur ab eodem concilio tridentino *(ibi)* ita, ut concilium provinciale « *de moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, agere debeat* ».

d) Leges provincialis concilii obligant eos omnes qui in ea provincia reperiuntur: constituunt enim ex alias dictis (57, *a*) ius particulare; requiritur tamen, ut intra sex menses concilii provincialis decreta promulgentur, habita prius eorumdem decretorum a Sede apostolica approbatione. Hinc mittenda sunt decreta concilii provincialis ad Summum Pontificem, qui ea per particularem congregationem recognita, sua approbatione rata

(1) Eus. H. E. lib. V. c. 23.
(2) Ibid. lib. VII. 5. 7.
(3) Ben. XIV. *de Syn.* lib. 13. c. 2. n. 5.
(4) Ib. n. 6.

habet; ex qua tamen approbatione nihil aliud sequitur, quam *decreta esse servanda* (1).

362. III. *De Synodo Dioecesana.* Ad ecclesiastica concilia pertinent etiam ea quae in singulis dioecesibus certis temporibus habentur ab earum episcopis una cum viris ecclesiasticis a lege designatis, ut collatis consiliis de iis agant quae pastorale regimen respiciunt. Liquet autem longe aliam esse rationem, qua episcopi sive in concilio oecumenico sive in concilio provinciali conveniunt, et eam qua episcopus alicuius dioecesis, cum viris ecclesiasticis sibi subditis synodum habet. Illi enim omnes veri sunt iudices, dum contra unus episcopus in synodo est *iudex,* et sua *sola* auctoritate synodalia edit decreta, et reliqui nonnisi ad consilium adhibentur.

363. Ea quae pertinent ad synodum dioecesanam, ad haec capita commode redigi possunt. 1) Quinam sint ad synodum vocandi et quo ordine ac ritu sedere debeant. 2) A quibusnam synodus dioecesana possit adunari. 3) Quinam sint officiales synodi sive ad eius celebrationem, sive a synodo eligendi ad dioeceseos administrationem. 4) Quaenam sit constitutionum auctoritas, et de quibus rebus in synodo agi debeat. Porro de iis omnibus, licet non prorsus eodem ordine, fuse omnino disseruit Benedictus XIV in suo percelebri opere *De synodo dioecesana;* quem confer.

364. I. Ad synodum vocandi sunt, et eidem ex lege ecclesiastica, confirmata a concilio tridentino (l. c.), adesse tenentur: 1) *abbates saeculares* intra dioecesim existentes. 2) Item *abbates* quoque et superiores domorum regularium, si non sint exempti; et si exemptione gaudeant, tenentur tamen adesse, si vel curam animarum quoquomodo exercent, vel generali capitulo non subduntur. 3) *Praelati nullius* qui peculiare non habent privilegium convocandi suam synodum; ii enim, ex superius dictis, accedere debent synodo episcopi vicinioris. 4) *Religiosi* etiam, qui ad modum *parochi* vel *vicarii perpetui,* non amovibilis ad nutum a praelato suo regulari, curam animarum exercent. 5) *Vi-*

(1) S. C. C. in Florent. et Ianuen. 24 Iulii 1573 apud Pignatelli Consult. can. Tom. IV. cons. 132. n. 13. — Cf. e recentioribus *Bouix, Tractat. de Concilio Prov.,* ed. II. 1862.

carius generalis episcopi. 6) *Canonici* cathedralis ecclesiae. 7) *Canonici* collegiatarum ecclesiarum. 8) *Parochi* et *curati*, etiamsi beneficium sit manuale. 9) *Beneficiarii* cathedralis ecclesiae non canonici, qui possunt vocari, non tamen constituunt unum collegium. 10) Ceteri etiam *presbyteri* et *clerici*, si Episcopus velit: potissimum si promulgari debeant decreta lata in concilio provinciali. De his omnibus fuse disserit Benedictus XIV, uti et de iis quae ad ordinem sedendi aliasque praeeminentias ab ipsis servandas, referuntur. (Op. cit. lib. III). Cf. etiam SS. D. N. Leonis PP. XIII Const. « *Romanos Pontifices* » VIII Id. Mai. 1881, § *De officio*.

365. II. Cum synodum cogere, eius sit qui dioecesi praeest, sequitur synodum dioecesanam, nonnisi ab episcopo cogi posse. Hinc iam superius animadversum est, praelatos inferiores, nonnisi ex apostolico privilegio, synodum cogere suae quasi dioeceseos. Episcopi autem titulares, cum dioecesi actu careant, synodum cogere nequeunt. Vicarius vero capitularis, cum habeat plenam in dioecesi administranda iurisdictionem, synodum potest convocare, eique praesidere, quamvis Benedictus XIV (1) cum pluribus teneat, id fieri non posse nisi elapsus sit annus, ab ultima synodo ab episcopo congregata. Sed hoc, tamquam omnino certum affirmari non potest. Vicarius generalis episcopi, nonnisi ex *speciali* mandato, synodum potest convocare, quod et quilibet alius, eadem instructus *speciali* episcopi delegatione facere potest, uti revera aliquando factum est (2).

Vicarii vero apostolici, qui tamen licet sint titulares, habent partem aliquam in missionibus regendam auctoritate episcopali, procul dubio synodum facere possunt. Ii vero qui vel sede vacante a Sede Apostolica, loco vicarii capitularis, vel etiam ob peculiares causas, episcopo adhuc vivo quandoque deputantur, non censentur synodum posse convocare, si in litteris quibus deputantur, id expresse non contineatur: quod plerumque fieri solet (3).

366. III. *Officiales* vero qui ad synodum dioecesanam celebrandam ab episcopo deputantur, sunt: promotores synodi,

(1) Operis cit. lib. II. cap. 9. n. 6.
(2) Ben. XIV. op. cit. lib. II.; Bouix, *de Episcopo*, P. 6. Sect. 1. c. 15.
(3) Ita Benedictus XIV. l. c. cap. 10. n. 10.

secretarius, notarius magistri caeremoniarum, iudices querelarum et excusationum, procurator cleri, praefecti disciplinae, praefecti hospitiorum; quorum functiones, licet diversa ratione, ad synodi iuxta canones rectam celebrationem summopere conferunt. Quidam tamen ex huiusmodi synodi officialibus, omnino sunt necessarii, nempe notarius, secretarius, promotor et magister caeremoniarum. Quibus addendus est oeconomus, ubi consuetudo adhuc viget exigendi *synodaticum:* reliqui, pro diversa locorum ratione, retineri vel omitti possunt.

367. At alii sunt officiales, qui eligi debent in ipsa synodo; scilicet *iudices synodales* et *examinatores synodales*. Iudices synodales quatuor communiter eliguntur, iique esse debent vel in dignitate aut personatu constituti, vel saltem canonici ecclesiae cathedralis; licet maxime etiam congruat, ut sint doctores vel licentiati in theologia vel iure canonico; quandoquidem iis a Sede Apostolica delegantur causae ventilandae in dioecesi (1). Iudices synodales eliguntur ab episcopo, *audita tamen synodo*. Episcopus vero, potest consilium synodi haud sectari.

Examinatores autem synodales ii sunt qui specialiter deputantur ad examinandos candidatos in concursibus ad ecclesias parochiales *(tit. XV Scholion)*. Hi eligi debent *cum approbatione synodi,* ita ut si aliquis ex propositis ab episcopo a maiori parte synodi reiiciatur, alius debeat substitui, qui sit adprobatus a synodo. Ad hoc munus deputari debent doctores seu licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, seu etiam saeculares qui ad id videbuntur magis idonei (Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 18 de Ref.). Ii porro neque ultra quam viginti esse possunt. Habentur etiam quandoque iudices et examinatores *prosynodales,* idque duplici ex causa; vel quia intra annum a synodo elapsa, ob mortem alicuius ex synodalibus, numerus requisitus est complendus, vel quia si post annum synodus non celebretur (ut per se ex decreto tridentini fieri deberet) episcopus habita a S. Congregatione concilii facultate, de consensu capituli eos potest nominare. Examinatores synodales iurare tenentur vel in ipsa synodo si adsint, vel coram episcopo aut eius generali vicario, se

(1) Conc. Trid. sess. XXV. cap. 10.

fideliter functuros munere suo: neque aliquid possunt, citra simoniae crimen, ab examinandis accipere.

368. IV. Auctoritas denique legum synodalium, si de iis non agant quae superioris sunt auctoritatis, talis est ut ab iis non detur appellatio, nisi in devolutivo; ut obligent in tota dioecesi, etiam eos qui per se sunt exempti, quando ad ea pertinent obiecta, in quibus *ex canonicis institutis* vel *ex peculiari Pontificis lege,* etiam ipsi Ordinariis subiiciuntur. Episcopus autem solus est *iudex,* adeo ut synodales constitutiones edere possit, absque *consensu* nedum synodi, sed et capituli cathedralis; nisi, quoad hoc, agatur de iis in quibus ex canonibus praescribitur, ut episcopus quaerere debeat *consensum* capituli *ad actus validitatem.* Tenetur tamen episcopus, consilium audire capituli; secus decreta sunt irrita, licet eo audito aliter facere possit.

369. Constitutiones synodales vigent etiam post mortem episcopi, donec a successore in synodo vel extra synodum abrogentur; at vero non idem sentiunt doctores de legibus episcopalibus extra synodum latis. Quae vero materia in synodalibus constitutionibus sedulo cavenda sit, fuse omnino exponit atque illustrat Benedictus XIV (Op. cit. libb. VII ad XII). Constitutiones synodales nulla alia indigent approbatione, sed obligare incipiunt statim ac in synodo promulgantur.

TITULUS XVIII.

De collegiis clericorum.

370. Ad ea quae ad clericos *collective* spectatos referuntur, ea etiam pertinent quae clericorum collegia quaedam respiciunt; haec potissimum sunt: I. capitula, II. seminaria.

§ I. *De capitulis* (1).

371. Ea quae potissima de capitulis canonicorum habentur, ad haec capita redigi possunt: I. ad historicam notionem eorum originis atque evolutionis; II. ad eorum partitionem; III. ad

(1) Eusebius Amort, *Vetusta disciplina canonicorum regularium et saecularium,* Venet. 1747.

eorum officia; IV. ad eorum iura; V. ad varios praeeminentiae gradus, qui in ipsis reperiuntur.

I. Si in primis quaeratur de nomine ipso canonicorum quo iis modo designantur, qui capitulorum sunt membra, notandum est, nomen hoc prius fuisse clericis omnibus commune; tum quia omnes inscribebantur ecclesiae *Canoni* seu catalogo, ad quam pertinebant; tum quia iuxta ecclesiasticas leges, portionem aliquam determinatam bonorum ecclesiae ad propriam sustentationem habebant, *canonis* seu *sportulae* nomine designatam. Deinde peculiari ratione, canonici hi dicti sunt, qui collegium aliquod clericale efformarunt.

II. Historica autem evolutio his breviter potest veluti stadiis adumbrari:

a) Vix quaeri potest utrum tribus prioribus saeculis collegia haec haberentur clericorum qui vitam communem degerent; hoc enim cum insectationum ethnicarum furore componi nequit.

b) At iam ipso saeculo IV plures reperimus sanctos antistites, Eusebium vercellensem, Martinum turonensem, praesertim vero Augustinum hipponensem, cum suo clero communem vitam agentes, quod profecto exhibet veram notionem capitulorum ecclesiarum cathedralium tunc temporis.

c) Saeculo vero VIII, Crodegangus metensis episcopus, collapsam hac in re disciplinam restituere satagens communi vitae addidit nuncupationem votorum, quibus clerici monachorum instar adstringebantur. Haec regula in pluribus recepta est cathedralibus ecclesiis et etiam parochialibus; et qui eam profitebantur, canonici dumtaxat vocati sunt; ita ut *cathedrales* ii essent, qui inserviebant ecclesiae cathedrali; qui vero inserviebant ecclesiae parochiali *collegiales* vocarentur.

d) Saeculo circiter X, iterum collapsa severiori hac disciplina, quidam eam retinuerunt et ii sunt qui appellantur *canonici regulares;* alii vero una cum episcopo, ex bonis ecclesiae constitutis praebendis, *canonici saeculares* dicti sunt, eo quod in saeculo-viverent, propria bona retinerent, nulli quoad vitae genus regulae adstringerentur: capitula inde orta sunt sive ecclesiarum cathedralium sive collegiatarum, nomine retento canonicorum, tum quod unum veluti corpus cum episcopo compo-

nerent, tum quod *aliquo pacto* peculiares quasdam constitutiones seu regulas habeant, quibus ipsa capitula reguntur.

III. Ex iis quae postremo loco innuimus, iam apparet, quaenam praecipuae sint partitiones capitulorum. Praetermissa enim illa in canonicos regulares et saeculares, potissima illa est qua *capitulum ecclesiae cathedralis* a *collegiatis* discriminatur; licet et inter collegiatas, variis ex titulis, aliae aliis praeemineant, adeoque prae ceteris *insignes* dicantur.

IV. Officia vero canonicorum, alia communia sunt, alia vel alicui dumtaxat capitulo, vel etiam nonnullis eiusdem membris singillatim competunt.

a) Officia canonicorum communia, sunt solemnis horarum canonicarum in choro recitatio, et celebratio missae conventualis de festo vel feria currente cum cantu pro benefactoribus; eleemosyna vero pro hac missa desumi debet, ut pluries dixit S. Congregatio Concilii, ex massa distributionum. Ad horarum recitationem memoratam, alia quoque intelliguntur addi debere officia divina, quae item a canonicis sunt persolvenda. Notandum tamen, pro variis capitulorum legibus, canonicos teneri adesse huiusmodi officiis, vel quotidie, vel alternis vicibus, aut hebdomadis, etc. Omnes tamen, etiam quando iis obligatio quotidie non imponitur, tenentur adesse solemnioribus, quin et omnibus diebus festis, ac aliis etiam qui peculiari quadam ratione, in liturgia insignes habentur; ut, adventus, quadragesimae etc.

b) Huc etiam spectant, modo recensitae *distributiones:* quae ita dicuntur, eo quod quaedam pecuniae summa inter eos dividatur, qui praesentes sunt divinis officiis, et amittatur ab iis qui absunt, quique, ob huiusmodi absentiam, a *punctatoribus* rite deprehensam, magis minusve mulctantur. Concilium tridentinum pluries de his loquitur, atque illud nominatim statuit, ut ubi huiusmodi distributiones tenues nimis sint, tertia pars omnium reddituum convertatur in distributiones, quae amittantur ab iis qui praesentes non sint, nisi ex legitima causa aut ex indulto apostolico, excusentur (1). Ben. XIV. De Syn. lib. 4. cap. 4. § 1.

(1) Conc. Trid. Sess. XXI. cap. 3, Sess. XXII. c. 3, Sess. XXIV. c. 13 *de Ref.* et ibi declarat. et resol. S. C. C. in edit. cit.

Sunt tamen quaedam distributiones quae magis proprio sensu *inter praesentes* appellantur, ad quas ius non habet qui quacumque ex causa praesens physice non sit.

V. Officia vero particularia sive quae aliquam canonicorum classem, sive quae singulares personas pertingunt, in primis haec sunt: fidei professio, quam emittere tenentur tum dignitates tum canonici quilibet capituli cathedralis, intra duos menses ab inita possessione, vel suscepta institutione vel collatione. Hanc emittere tenentur, tum coram episcopo vel eius vicario generali, tum coram capitulo. Si tamen episcopus aut vicarius generalis adsint cum capitulo, sufficit ut semel emittatur. Item particularia canonicorum ecclesiae cathedralis officia sunt ea quae quoad episcopum, *Sede plena,* et quoad dioecesim *Sede vacante* praestare tenentur, ut superius dictum est *(tit. XIII).*

VI. Ad officia vero quae singularibus personis imponuntur, aliis minoris momenti praetermissis, sacristae, thesaurarii etc. (1). memoranda nominatim sunt officia canonici *theologi* et *poenitentiarii,* de quibus loquitur concilium tridentinum *(Sess. V. cap. 1 de Ref. et sess. XXIV. cap. 8 de Ref.).* Etenim concilium tridentinum, ut facilius fideles arceantur ab haereticorum fallaciis et sufficientem habeant divinarum literarum notitiam, praecepit, ut in ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, praebenda primo vacatura, praeter quam ex causa resignationis, aut *incompatibilis,* destinaretur ad hoc, ut aliquis specialiter deputatus inter canonicos haberetur, ad Sacras Scripturas populo christiano explicandas. Hic dicitur canonicus *theologus,* et doctor esse debet in S. Theologia, vel intra annum eiusdem lauream suscipere. Item praecepit tridentina synodus, ut eadem ratione in omnibus cathedralibus ecclesiis, *poenitentiarius* aliquis canonicus instituatur ab episcopo, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia, vel iure canonico, simulque quadragesimum annum aetatis habeat, vel saltem sit aptior pro loci qualitate, ut, peculiari munere, fidelium confessiones excipiat. Porro notandum est, tum canonicum theologum, tum canonicum poenitentiarium, lucrari etiam distributiones communes, eodem modo

(1) Vid. in Decretall. titt. 25. 26. 27. lib. I. et ibi DD.

ac si choro adessent, quando *peculiari suo munere* funguntur. Benedictus vero XIV. Const. « *Cum illud* » statuit ut in Italia et insulis adiacentibus praebenda sive theologalis sive poenitentialis conferatur per concursum (1).

VII. Iura vero canonicorum, praeter ea quae ex dictis iam intelliguntur, nominatim ea sunt, ut collegium efformare propriasque constitutiones a Sede Apostolica vel episcopo approbatas, aut legitimas consuetudines habere possint: ita ut, iis exceptis in quibus episcopo subduntur, iure gaudeant sibi proprio quo regantur. Nominatim vero, canonici ecclesiarum cathedralium ius habent, ut in iis in quibus canones praescribunt ut episcopus *consensum* vel *consilium* capituli requirat, hoc munere ab episcopo non priventur. Episcopus vero ius habet convocandi capitulum, quando agatur de aliqua re quae ad dignitatem episcopalem pertineat, eique praesidendi; haud tamen adesse debet conventibus capitularibus, qui de re agant ad ipsum capitulum spectante (nisi peculiaris adsit consuetudo) et etiam in eo casu nullum habet ius suffragii. Item episcopus exigere potest a capitulo observantiam legum canonicarum, itemque singulos capitulares iudicare ac punire. Si vero agatur de capitulo universo, siquidem sit exemptum, procedi debet iuxta dispositionem concilii tridentini *(Sess. XXV. cap. 6 de Ref.)*. Si vero exemptionem non habeat, poterit ab episcopo interdicti poena mulctari.

VIII. Illud quoque in capitulis ultimo loco notandum est, quod ad distinctionem attinet, inter *dignitates, personatus*, et *officia*. Generatim distinctio haec ex praeeminentia oritur, ita tamen ut dignitas praeeminentiam habeat cum iurisdictione coniunctam, personatus merum honorem absque ulla iurisdictione, officium denique absque ulla praeeminentia nudum exhibeat spirituale ministerium. De officiis nihil ulterius addendum est. Dignitates vero cum iurisdictione coniunctae, si excipiantur quaedam peculiaria adiuncta, vix modo exsistunt, nam archidiaconatus, archipresbyteratus etc. in praesenti disciplina, ut meri

(1) *Lucidi op. cit.*, I. 271 et 511; III. 261 et 271, de can. theol. et I. 364. 374. 376. 511 de poen. et I. 83. 38., I. 364, III. 246. 260. edit. Rom. 1883. de utroque.

personatus haberi debent; licet antiquitus archidiaconatus praesertim et archipresbyteratus iurisdictionem haberent, ut patet ex titulis decretalium (I. 23. 24) *de officio archidiaconi et archipresbyteri.* At retinent adhuc nomen dignitatum, et peculiaria quaedam adnexa habent iura honorifica, ex. gr. habere primas sedes in choro, praecedere in sacris functionibus etc.

372. Cum de canonicis sermo fit, aliquid dicendum etiam est de iis, qui sive *coadiutores* sive *honorarii* dicuntur. Discrimen hos inter est, quod coadiutores ius habeant succedendi in praebenda canonicali ei qui ab illis est coadiutus, honorarii vero hoc iure destituantur; utrisque vero commune est, carere sive reditibus beneficii sive iuribus capitularibus, nisi peculiari aliquo privilegio aut conventione, horum aliquid coadiutoribus concedatur. Coadiutores destinantur, sive causa infirmitatis sive quavis alia a Summo Pontifice approbata; cum enim coadiutoria *expectativam* includat, quae a conc. trid. *(Sess. XXIV. c. 19 de Ref.)* sublata fuit, hinc est quod solum a Summo Pontifice in beneficiis inferioribus, coadiutores cum iure successionis conceduntur (1). De coadiutoribus agunt canonistae ad tit. 6, lib. III decretalium *De clerico aegrotante vel debilitato;* infirmitas enim virium ob senium vel aegritudinem, communior causa est, ob quam coadiutores conceduntur. Multo vero magis unus Pontifex dare potest coadiutorem episcopis.

Casus varii qui circa coadiutorias occurrere possunt, exquisitioris sunt tractationis, quae nostrae limites excedit. Conferri possunt Schmalzgrueber ad titulum allegatum, et e recentioribus Bouix *(De capitulis Par. I. sect. 2. cap. 14).*

Canonici coadiutores, cum ob servitium ecclesiae coadiuto substituantur, tenentur choro adesse et sacras obire functiones, quotiescumque id coadiuto obtingeret, quin *per se* ad aliquid ius habeant; supplent enim *personam* coadiuti, cum solo iure futurae successionis.

Honorarii vero, ut nomen ipsum indicat, mero honore ac canonicorum insigniis contenti, neque ad residentiam tenentur, nisi forte ad servitium ecclesiae solemnioribus diebus, ab episcopo, *cum consensu capituli,* sint constituti, neque ullo, ut in-

(1) Cf. Benedictum XIV. Inst. 107.

nuimus, successionis iure fruuntur. De his uti et de *supernumerariis,* V. Bouix *(Op. cit. l. c. cc. 15. 16)* (1).

§ II. *De seminariis.*

373. Quamvis vel ab ipsa ecclesiastica antiquitate luculenter constet, clericos, licet magis minusve perfecta ratione, ad ecclesiastica ministeria sollicita ecclesiae cura praeparatos fuisse atque institutos, *seminaria* tamen clericorum, ut appellantur, a concilio tridentino, ad communem formam communesque leges summa Ecclesiae utilitate ordinata sunt. Patet hoc ex celeberrimo eiusdem sacrosanctae synodi decreto Sess. XXIII. c. 18 de Ref.; in quo forma accuratissime statuitur, qua huiusmodi clericorum seminaria erigi et conservari debeant, quinam in iis sint recipiendi, quasnam disciplinas addiscere, quomodo institui debeant, quinam denique sint, a quibus seminaria, sub episcopi imperio, regi et administrari opus sit. Porro huiusmodi tridentinae sanctiones adhuc eae sunt, saltem quoad potiora capita, quibus seminaria clericorum reguntur. Quae vero ad hanc tractationem pertinent, in duplicem partem commode tribui possunt, quarum prima indolem exhibeat tridentinarum legum circa seminaria, altera vero quasdam insuper peculiares quaestiones attingat quae ad eas illustrandas leges in primis conferunt.

374. Ad rite intelligendam indolem institutionis factae a concilio tridentino, circa seminaria clericorum, haec sunt animadvertenda :

I. Nexus in primis adest *historicus* inter seminariorum erectionem et praecedentem disciplinam de clericorum ecclesiastica institutione, ut ostenditur ex iis quae de *scholis monasteriorum, ecclesiarum cathedralium ac de universitatibus studiorum* habentur, in historicis monumentis (2). Tridentini enim patres, inspectis Ecclesiae necessitatibus, meliorem substitutam voluerunt clericalis institutionis rationem, vestigiis usque insistentes eorum qui illis praecesserant ;

(1) Cf. *Ioannis Iac. Scarfantoni animadversiones ad Lucubrationes canonicales Francisci Ceccoperii etc. Viterbii 1739. 3 Voll. Fol.*

(2) Cf. Bened. XIV. Institut. LIX. nn. 3. ad 8.

II. Scopus autem quem sibi praestituerunt patres tridentini, in hac forma seminariis tribuenda, is fuit, ut quo rectius fieri possit, clerici a primis annis ad pietatem, religionem ac ecclesiasticis ministeriis congruentem scientiam rite informentur.

III. Hinc leges statuerunt, quoad eos qui in seminariis recipi debent, ut aetatem ad minimum duodecim annorum habere debeant, atque ex legitimo sint orti matrimonio, simulque legere ac scribere competenter noverint, et quod potissimum est, spem afferant, ex eorum indole ac voluntate, fore ut digni Ecclesiae evadant ministri.

IV. Maxime vero notanda est ea tridentinorum patrum sanctio, qua *paupéres* potissimum eligi volunt, ita ut ditiores quidem admitti possint, modo suis sumptibus alantur et debita habeant requisita; pauperes vero, si alioquin apti censeantur, ex seminariorum reditibus, congruenti numero debeant sustentari. Hoc enim ostendit quomodo de pauperibus amanter sollicita sit Ecclesia, etiam ea de causa quod facilius in iis morum honestas ac sincera pietas reperiantur.

V. Ad clericorum vero in seminariis institutionem, omnia ut par est episcopo tribuuntur, ita ut et classium divisio et delectus magistrorum et normae disciplinae atque cetera quae sive ad pietatem sive ad morum honestatem sive ad scientiam pertinent, quae virum ecclesiasticum deceat, ab eius arbitrio dependeant. Quia tamen potissimum curandum est, ut ea addiscant clerici, quibus ecclesiasticis ministeriis obeundis aptiores evadant, hinc nominatim synodus memorat Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, formas sacramentorum tradendorum et ea maxime quae ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, notitiam rituum ac ceremoniarum, cantum denique et computum ecclesiasticum: itemque commendat, ut singulis diebus missae sacrificio intersint, confiteantur vero saltem singulis mensibus ac frequenter eucharistiam recipiant, et in cathedrali aliisque ecclesiis diebus festis inserviant.

VI. Sedula patrum tridentinorum cura fuit, ut clericorum seminaria, congruis instruerentur reditibus, pluribus hac in re statutis, circa modum quo ex omnibus beneficiis, pars aliqua detraheretur redituum, seminariis applicanda, quae *taxa* dicitur *seminarii;* tum ut beneficia quaedam simplicia seminariis uni-

rentur, tum etiam aliis ad hoc excogitatis mediis, prout in citato decreto enucleate statuitur.

VII. Quod spectat ad seminariorum administrationem, institutae sunt ab eodem concilio *Deputationes*, sive ad internum regimen, sive ad bonorum temporalium administrationem. De quarum numero, cum aliqua sit auctorum discrepantia in interpretandis verbis concilii tridentini, aliquid distinctius, inter alias quaestiones in secunda parte, attingimus.

Haec potissima sunt, quae patres tridentini de modo quo in posterum seminaria clericorum institui et regi debent, sapientissime decreverunt.

375. Decretum hoc concilii tridentini nonnullas excitavit controversias, circa sensum quorumdam verborum quae in eo continentur. Quaestiones praecipue hae recensentur :

a) cum concilium dicat ut in seminario recipiantur qui ad minimum duodecim annos nati sint, quaesitum fuit, utrum annus duodecimus debeat intelligi incoeptus vel completus. Porro ex pluribus resolutionibus S. Congregationis Concilii, apparet eo sensu esse intelligenda illa verba, ut excludi deberent qui annum duodecimum non attigissent, adeoque liquet annum incoeptum hic etiam sufficere (1) ;

b) maior est controversia, quae circa numerum et auctoritatem deputationum, quae ex mente concilii institui debent, movetur. Ad hoc notandum est, concilium tridentinum praecipere, ut episcopus ad internum regimen seminariorum duos eligat canonicos seniores et graviores sui capituli cathedralis, quorum consilio utatur ad alumnorum institutionem, disciplinam, aliaque huiusmodi moderanda, qui esse debent inamovibiles nisi iusta adsit causa. Insuper episcopus debet aliam deputationem quoque habere, ad ea quae pertinent ad administrationem bonorum temporalium seminarii. Haec deputatio constare debet ex duobus canonicis ecclesiae cathedralis quorum unus ab episcopo, alter a capitulo eligitur ; itemque duobus aliis e clero civitatis, quorum alter item ab episcopo, alter a clero totius dioeceseos eligitur. Denique praecipit concilium, singulis annis

(1) V. *Zamboni, Collectio Declarationum S. C. C. V. Seminarium. Phillips-Vering, Comp. I. E.* § *67. cum allegat. Ratisbonae 1875.*

rationem reddendam esse a seminarii administratoribus, coram episcopo et quatuor deputatis ecclesiasticis viris, duobus electis a capitulo, duobus a clero civitatis. Hinc quaesitum fuit, utrum deputatio ad reddendam rationem eadem esset ac deputatio pro administratione bonorum temporalium, adeoque utrum duo vel tres sint deputationes a concilio tridentino praescriptae. Auctores etiam recentissimi in diversa abeunt; fatendum enim est S. Congregationem Concilii non semel declarasse deputationem ad reddendam rationem eamdem esse, ac eam quae pertinet ad administrationem bonorum temporalium. Putamus autem distinguendum esse inter *sensum* verborum decreti tridentini et *interpretationem extensivam* quam dare potuit *authentice* eadem Congregatio. Si enim verba attendantur decreti, nisi forte quis dicat *a capitulo* et *a clero* idem valere ac *e capitulo* et *e clero*, dicendum est, *tres* esse deputationes. Etenim diverso modo eliguntur deputationes ad reddendam rationem ac pro administratione bonorum temporalium (heic *b*). Si vero spectetur interpretatio illa S. Congregationis, dicendum est eam voluisse minuere numerum deputationum, ut facilius deputati possint reperiri.

c) Quaenam vero sit auctoritas harum deputationum deprehenditur ex ipsis verbis concilii tridentini; scilicet deputatio ad internum regimen non adhibetur nisi ad consilium: episcopus autem illud quaerere *tenetur*, sed non tenetur illud sequi. Deputati vero ad administrationem bonorum ita *audiri* debent ab episcopo ut, non auditis deputatis, acta sint irrita, non tamen tenetur sequi eorum consilium; neque eorum tenetur consilium exquirere, in determinanda taxa solvenda pro seminario. Quod idem valet pro deputatione ad excipiendam rationem ab administratoribus seminariorum.

d) Deputati quoque ad administrationem rerum temporalium, sunt inamovibiles ut superius dictum est. Insuper, si plura in dioecesi sint seminaria, hae deputationes aeque pro omnibus eamdem habent auctoritatem. Demum qui ad deputationes pertinent, dum funguntur munere suo, lucrantur distributiones, iis exceptis quae dicuntur *inter praesentes*.

376. Si vero ab aliquo episcopo seminarium regendum traditur alicui religioso ordini, tum ius insitum episcopo, circa omnimodam seminarii gubernationem, componi debet cum pri-

vilegio personalis exemptionis, atque iis etiam quae spectant ad essentialem dependentiam regularium a suis superioribus. De hac re conferri potest alios inter Bouix *(De Episcopo p. 6. c. 4. § 3)*. Illud quoque animadvertendum postremo est, ea quae hactenus diximus, pertinere ad regimen seminariorum, prout esse deberet iuxta mentem patrum tridentinorum: at vero plura sunt quae in variis regionibus haud sinunt tridentinas praescriptiones adamussim servari (Bouix l. c. §§ 4. 5) (1).

TITULUS XIX.

De regularibus.

377. Universalis illa iurisdictio, qua Romanus Pontifex, ex divina institutione, pollet in Ecclesia, illud etiam sibi adsciscit, ut ad maiorem fidelium utilitatem ac religionis incrementum, quasdam singulares personas, vel etiam quosdam personarum coetus, immediate sibi subiicere possit, eosque subtrahere ab immediata iurisdictione aliorum praesulum. Qui hac ratione immediate Pontifici subiiciuntur, *exemptionis* gaudent privilegio, eo quod saltem in plerisque ab iurisdictione eorum qui inferiores Pontifice sunt, eximuntur. Hos inter potissimum recensentur ii qui *regulares* dicuntur, eo quod, Ecclesia approbante, peculiari quodam vitae genere, evangelica consilia sectantur, et ideo *regulares* seu *religiosi* appellantur.

Haec generalis notio ordinum regularium, quamvis ulterius expolienda, sufficit ut inde colligatur, optimo iure, tractationem de potestate iurisdictionis, ea quae ad regulares pertinent, ultimo loco complecti.

378. Ut in iis sistamus limitibus qui institutionum proprii sunt, tractationis de regularibus potissima capita hic nobis ve-

(1) Cf. Cecconi, *Instituzione dei Seminarii Vescovili,* Roma 1756; De Giovanni, *Storia dei Seminari clericali,* Roma 1741; Bouix, *De Episcopo,* Tom. II. pagg. 67. seqq. *De Capitulis,* Par. IV. cap. 10; Giraldi, *Exp. iuris Pontif.,* Par. II. sectt. CVII-CXI; Lucidi, op. cit. I. 119. 130. 136; II. 349. 361. sqq.; III. 67. sqq. ed. 1883; Ben. XIV. Inst. LIX.; *De Syn.* lib. V. c. 11., Vering, *Lehrbuch* § 70, Aichner, *Comp.* § 142.

niunt declaranda. Sunt autem: I. evolutio historica status religiosi in catholica Ecclesia; II. natura status religiosi; III. status religiosus in *stadio inchoationis* seu de religiosa probatione aliisque cum ea connexis; IV. status religiosus in suo *stadio perfecto*, seu de religiosa professione deque iis quae ad eam quoquomodo referuntur; V. minus perfecta status religiosi ratio seu de congregationibus regularibus *votorum simplicium* nuncupatis; VI. denique praecipuae regularium exemptiones ac privilegia. Ex quibus omnibus satis definitur tituli huius partitio.

§ I. *Status religiosi evolutio historica.*

379. Principii instar habendum est, *sanctitatem*, quam Christus tamquam *proprietatem* simul *et notam* indidit Ecclesiae suae, inter potissimas suas manifestationes hanc habere, ut status perfectioris vitae, qui in sectandis evangelicis consiliis continetur, semper in Ecclesia exsistat, non modo prout spectatur in privatis personis, sed etiam ad modum *socialis institutionis*. Hinc est quod licet prioribus saeculis, ob ethnicorum insectationes, plene non potuerint evolvi, religiosae tamen vitae semina etiam eo tempore satis habeantur. Etenim

a) vel a primis Ecclesiae saeculis, quin et fere apostolicis, iam commemorantur *ascetae*, potissimum in ecclesia alexandrina, aliisque locis: praeter quam quod, perfectior ipsa christianorum vivendi ratio religiosam veluti vitam praeseferebat. Saeculo vero III *eremitae* potissimum ab historia memorantur, atque ita ut maiori usque numero sensim augerentur.

b) Saeculis vero IV et seqq. pace Ecclesiae reddita, in Oriente primum, auctore S. Basilio ac deinceps in Occidente praeeunte S. Benedicto, Coenobitarum varii ordines ita ubique instituti atque propagati sunt, ut a saeculo IV ad X plures omnino commemorentur.

c) Saeculo X his additi sunt canonici qui dicuntur regulares, supra memorati (369, II, *c*, *d*). His innectuntur ordines *militares*, qui instituti sunt adversus turcas aliosque infideles ad tutelam christianorum.

d) Saeculo vero XIII, per S. Franciscum assisinatem ordines

in ecclesia esse coeperunt, qui ob arctissimam paupertatem, qua Christi nomine gloriantur, *mendicantes* appellati sunt.

e) Cum vero adversus Ecclesiam, pseudoreformatores insurgerent saeculo XVI, Luthero ac Calvino praeeuntibus, adversus horum conatus, Deus praesidium novum dedit Ecclesiae in iis ordinibus, qui *clericorum regularium* vocantur.

f) Denique quo magis a saeculo XVIII exeunte socialis politicorum regiminum apostasia completur, ex qua infensissimum bellum etiam adversus religiosos ordines infertur, Deus pro sua in Ecclesiam cura, congregationes illas multiplices excitavit, quae licet minus perfecta ratione religiosam vitam profiteantur, pro temporum tamen ac societatum conditione, maximam fidelibus pariunt utilitatem et Ecclesiae bonum tum apud christianos, tum apud infideles impensissimo studio procurant.

380. Ex hac vel levissima religiosae vitae publicae in Ecclesia evolutione, mira apparet Dei providentia erga Ecclesiam suam, qua pro vario oppugnationum modo ac diversis fidelium necessitatibus, multiformi ratione per religiosos ordines eidem opitulatur.

§ II. *De natura status religiosi.*

381. *Regularis, seu religiosus, est persona quae emissis votis paupertatis, castitatis et obedientiae, in approbata aliqua religione vivit ut perfectionem sectetur.*

Ex hac notione elementa in primis dignoscuntur quae statum religiosum constituunt. Etenim

a) finis status religiosi est *perfectio evangelica,* quatenus non iam actu possessa concipitur, sed religiosus in iugi tendentia erga ipsam reperitur. Hinc discrimen est, *spectata rei natura,* inter episcopatum, et statum religiosum, quod episcopatus dicitur *status perfectionis,* vita vero religiosa status *tendentiae ad perfectionem.*

b) Media vero quibus efficaciter ad huiusmodi perfectionem tenditur, sunt tria vota *substantialia,* quibus continetur executio consiliorum evangelicorum, et a communi christianorum vita religiosi discriminantur.

c) Modus vero quo huiusmodi evangelica consilia ad actum reducuntur, per determinatam aliquam vivendi rationem, variam constituit indolem diversorum ordinum regularium; ac inde divisiones oriuntur ordinum *vitae contemplativae, activae* et *mixtae.* Sicuti autem ad essentiam status religiosi tria substantialia vota necessario requiruntur, ita ad essentiam talis determinatae rationis vitae religiosae, methodus aliqua vivendi, seu ut dici solet *regula* et vita communis, postulantur.

d) Si dumtaxat finis inspicitur seu *vita perfecta,* fundamentum iuridicum status religiosi *divinum* est, scilicet ab ipsa immediata Christi institutione repeti debet. At si modus determinatus attenditur, hic ut sit legitimus et ex eo constituatur verus *ordo regularis,* omnino requiritur ut sit ab Ecclesia approbatus, atque proinde dici debet *ecclesiasticae institutionis.*

e) Hinc sequitur fieri nunquam posse ut *publica* (licet forte non civiliter agnita) consiliorum evangelicorum professio desit in ecclesia, adeo ut clerus ille qui dicitur *saecularis,* quatenus *talis,* per se non sit simpliciter *necessarius.* Ecclesia enim posset, si id expediret, coniungere sacros ordines professioni consiliorum evangelicorum quod ad paupertatem et obedientiam attinet, sicuti et iam illos coniunxit cum professione castitatis: tum idem esset *historice* pertinere ad hierarchiam ecclesiasticam, et ad vitam religiosam. Ceterum si hoc fieret, iam illud restitueretur quod ipso Ecclesiae initio, apostolis praeeuntibus, factum fuisse constat.

f) Media vero seu vota quae diximus substantialia, maiori minorive perfectione spectari possunt, ex qua diversa etiam oritur vitae religiosae conditio. Sunt enim ratione qualitatis vel *solemnia* vel *simplicia.* Vota dicuntur solemnia, si acceptentur *nomine Ecclesiae* ab habente legitimam potestatem, si inducant perpetuum et mutuum vinculum inter voventem et ordinem in quo vota nuncupantur, si denique quosdam habeant effectus ecclesiastica lege iis adnexos, ut ex. gr. quod matrimonium *ratum* dissolvant, et constituant impedimentum *dirimens* ad matrimonium contrahendum. Simplicia vero dicuntur vota, si his conditionibus essentialiter destituantur. Insuper vota esse possunt vel *perpetua* vel *temporaria* prout ipse vovens se perpetuo obligat vel dumtaxat ad aliquod tempus.

g) Approbatio vero Ecclesiae quae semper requiritur, saltem aliquo modo, ut *publica* vitae professio in Ecclesia, sit *legitima*, multiplex esse potest; quatenus I. dumtaxat declaratur modum illum vivendi pium esse nihilque habere rectae fidei aut moribus adversum; sed haec potius est approbatio *negativa*. II. Vero, cum insuper *positiva ratione*, coetus illarum personarum in communitatem erigitur proprie dictam religiosam. Haec approbatio inter *causas maiores*, uni Pontifici reservatas, *modo* recensetur.

h) Illud quoque notandum est, cum *ordo religiosus* commemoratur in Iure, eum intelligi coetum qui perfectam habet status religiosi rationem hoc est praeter positivam approbationem, votorum perpetuitatem ac solemnitatem; itemque gaudet iis omnibus privilegiis, quae ex lege ecclesiae, veris religiosis ordinibus tribuuntur. Hinc est quod de congregationibus votorum simplicium, ultimo loco nobis disserendum erit, alia in pluribus ratione.

i) Oeconomia legislationis ecclesiasticae circa regulares, desumi debet triplici ex fonte potissimum, scilicet I. ex iure decretalium, praesertim in titulis *De regularibus* (III. 31), *De statu monachorum et canonicorum regularium* (ibid. 35), *De religiosis domibus* (ibid. 37), *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis*, etc. (ibid. 50). II. Ex concilio tridentino, quod data opera de iis egit Sess. XXV. de regularibus et monialibus, XXII capitibus, in quibus accuratissime ea omnia quae ad statum regularium pertinent, sapientissimis legibus constituuntur. III. Ex nuperis Sedis apostolicae decretis, quibus aliqua ex parte tridentinae sanctiones immutatae sunt. Nobis autem antiquiore iure dimisso, in legibus tridentinis ac recentioribus maxime insistendum erit. Qua quidem in re, iuxta datam partitionem, agemus primo de stadio inchoationis, hoc est de religiosa professione.

§ III. *De religiosa probatione aliisque cum ea connexis.*

382. Arduum perfectionis opus, ad quod tendit natura sua status religiosus, sedulam exigit praeparationem, tum ad dignoscendam veram vocationem, tum ea supposita, ad rite tirones

instruendos. Huc pertinet ea quae dicitur *religiosa probatio* seu *novitiatus,* quo stadium veluti *inchoationis* religiosae vitae continetur. Quamvis autem in omnium ordinum regularium constitutionibus, ea quae ad probationem pertinent, licet maiori minorive amplitudine ac perfectione, statuta semper fuerint; ante concilium tamen tridentinum, nulla erat lex ecclesiastica quae ita determinatum probationis tempus statueret ut eo non expleto professio subsequens irrita prorsus existeret. Porro idem concilium Sess. XXV. cap. 15 praecepit, ut nullus in quacumque religione, tam virorum quam mulierum, valide professionem emittere possit ante expletum annum integrum probationis et qui decimum sextum aetatis annum completum non exegerit. Ex quibus concilii tridentini sanctionibus, saltem *negative,* quaenam aetas requiratur ad ingressum in religionem, et quodnam tempus ad probationem sit requisitum aperte colligitur. Neque enim exinde sequitur aut professionem serius emitti non posse aut aliquem prohiberi citius ingredi religionem, modo nisi expleto decimosexto anno professionem non emittat. Quinam vero sint modi, in novitiorum institutione rite adhibendi, generali quadam ratione nonnisi admodum indeterminate potest exhiberi, oportere scilicet ut in ea et tiro religionem, et religio tironem plene cognoscat, antequam ab eo religiosa professio emittatur. Reliqua vero, pendent ex peculiari vitae ratione, quam in perfectione sectanda quilibet regularis ordo persequitur, ac proinde ab eius constitutionibus accurate debent determinari. Tempus tamen probationi praestitutum, omnino debet esse continuum nullamque interruptionem admittere, adeo ut si animo egrediendi e religione novitius etiam ad paucas horas exeat e domo religiosa, teneatur denuo annum probationis ex integro percurrere ita ut professio subsequens secus irrita haberi debeat. Hoc probationis tempore, plenissima gaudere debet libertate religionem deserendi qui in ea detinetur, ad quod etiam ordinatur alia eiusdem concilii tridentini praescriptio (ibid. cap. XVI), quo cavetur « *ut nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum iu-* « *ramento vel in favorem cuiuscumque causae piae valeat nisi* « *cum licentia episcopi sive eius vicarii fiat intra duos menses* « *proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effe-* « *ctum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter vero facta*

« *etiamsi cum huius favoris expressa renunciatione etiam iu-* « *rata, sit irrita et nullius effectus* ». Quae quidem verba ostendunt, qua sollicitudine concilium cavendum duxerit, ne qui in probatione versantur, inconsultis donationibus inopiae metu veluti adigantur in religione manere. Huc etiam refertur illud quod subiungitur, nihil exigi posse a parentibus vel curatoribus, praeter expensas necessarias ad vestitum et victum ipsius novitii, multoque minus ut aliquid retineatur eorum quae ad novitium spectant, si ante professionem religionem relinquat. Praeter has tridentinas sanctiones, aliae recentissimis temporibus additae sunt leges, a quibus non leviter tridentini concilii decreta immutata sunt, tum circa admittendos in religionem, tum circa tempus probationis ante professionem, de quibus aptius est ultimo loco disserere.

§ IV. *De religiosa professione deque iis quae ad eam quoquo modo referuntur.*

383. Religiosa probatio, veluti ad suum scopum, ad religiosam professionem ordinatur. Est autem religiosa professio: *promissio rite et libere facta legitimeque acceptata, qua quis se adstringit ad vota paupertatis, castitatis, et obedientiae, iuxta proprii ordinis constitutiones observanda.* Haec tamen professionis notio, ut notat Schmalzgrueber (de Regg. n. 149) rem latius exhibet. Hinc si strictius accipitur, dici debet: *contractus ultro citroque obligatorius, quo quis per vota solemnia se Deo et religioni tradit, et religio vicissim huiusmodi traditionem acceptat, cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tamquam filium iuxta regulas et institutum religionis tractandi.* Ita idem Schmalzgrueber l. c.

384. Ad hoc, ut quis proprie religiosus sit, requiritur ut uno vel altero modo, hoc est solemnia vel simplicia, tria substantialia vota emittat, eaque perpetua atque insuper ordo in quo vota emittuntur, *positive* sit a Sede Apostolica approbatus. Votis autem solemnibus in ordine religioso privilegium coniungitur exemptionis ab Ordinariorum iurisdictione, et immediatae Romano Pontifici subiectionis. Attamen, vero et proprio sensu,

professio vota solemnia emitti supponit, et de his tantummodo usurpatur.

a) Professionis solemnis effectus sunt: I. tollere irregularitatem ortam ex illegitimis natalibus, verum ad ordines suscipiendos dumtaxat; II. dissolvere matrimonium *ratum*, et dirimere *contrahendum*; III. obligationem inducere perpetuo manendi in ordine in quo emittitur; IV. perimere omnia vota in saeculo nuncupàta; V. eluere infamiam forte contractam, ac veluti haberi ut secundum baptismum, quod pertinet ad poenas peccatorum; VI. vacatio omnium beneficiorum obtentorum et inhabilitas ad alia in posterum obtinenda, uti et incapacitas privati dominii, adeo ut vel monasterium, si capax sit, succedat, vel heredes ab intestato substituantur. Quod alia formula dici potest, eum qui solemniter profitetur vota religiosa veluti civiliter mortuum haberi.

b) Plures tamen sunt qui ecclesiastica lege vetantur ad professionem religiosam admitti, scilicet, spectato iure tridentino, et antiquiori, professionem emittere non possunt;

aa) qui decimumsextum aetatis annum non expleverint, aut integrum nulloque modo interruptum probationis annum non exegerint;

bb) episcopi, nisi habeant a Romano Pontifice facultatem; quod tamen ad alios clericos comparate ad episcopum, *per se* extendi non potest;

cc) antiquiori iure, servi prohibebantur professionem emittere, nisi domini haberetur consensus; sed de hac ecclesiae oeconomia alias satis dictum est (Tit. I. in Scholio);

dd) qui coniugii vinculo detinentur, nisi ante eius consummationem religionem intra spatium duorum mensium alteruter coniugum amplectatur. Hoc enim ius cuilibet conceditur;

ee) item qui metu vel minis vel violentia, necessaria carent libertate, nec voluntarie proinde professionem emittunt: professio enim talis est invalida;

ff) denique et illud addi potest, requiri ut professio a legitimo superiore acceptetur, est enim ex dictis verus contractus ultro citroque obligationem inducens.

385. Huc quoque pertineret ea quae professio *tacita* appel-

latur, quae in eo differt ab *expressa,* quod non oretenus facta votorum nuncupatione, sed *facto* aliquo continetur ; ex. gr. quod quis post probationem in religione permaneat, cum professis versetur, eorum in censu habeatur eorumque iuribus gaudeat, religione annuente ; haec enim omnia assumuntur, veluti facto ipso significent et illum religiosae vitae obligationem contraxisse, et vicissim religionem illum ut vere sibi devinctum agnoscere. Haec tacita professio, iure antiquo, quin et tridentino, saltem *negative* admittebatur. At cum in praesenti disciplina, ex recentioribus Sedis apostolicae decretis abolita fuerit, nil de ea ulterius addendum est.

Unum adhuc animadvertimus, opus esse ut tria vota substantialia superius dicta in professione contineantur, vel *explicite,* si nempe in ipsa formula singillatim efferantur, vel *implicite,* si ex. gr. dicatur, ut in quibusdam Ordinibus obtinet: *profiteor obedientiam secundum regulam.* In hac enim formula alia etiam duo vota intelliguntur.

386. Iam deveniendum est ultimo loco, ad ea recentiora Sedis apostolicae decreta, quibus ius tridentinum non minimum immutatum est. Triplex enim decretum prodiit a S. Congregatione super statu regularium, scilicet:

a) die 25 Ianuarii 1848 pro Italia et insulis adiacentibus statutum est, ut nullus in religionem admittatur, absque literis testimonialibus, tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans, post expletum XV annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit ;

b) item altero decreto « *Regulari disciplinae* » regulae ac leges statutae sunt, sive quod ad modum probandi eos qui postulant religionem ingredi, sive quod ad modum eos admittendi ad professionem ;

c) denique die 19 Martii 1857 per decretum quod incipit « *Neminem latet* », statutum est, ut peracta probatione, iuxta legem concilii tridentini, novitii vota simplicia emittant, si tamen decimumsextum aetatis annum expleverint vel aetatem habeant maiorem, forte a constitutionibus requisitam ; quoad laicos vero aut conversos, postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in constitutione Clementis VIII, quae incipit « *In supremo* »,

praefinita est (1). Tum vero professi votorum simplicium, post triennium, si digni habiti fuerint, ad votorum solemnium professionem admittantur; nisi forte, ex constitutionibus Ordinis, longius tempus requiratur. Item superiori conceditur, si iusta adsit causa, ultra triennium professionem differre, modo ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum, id non fiat.

Ex quibus decretis apparet, quantum immutatae sint leges tridentinae, quoad nonnulla capita in hac materia; quod multo magis liquet ex declarationibus datis ab eadem S. Congregatione die 21 Iunii 1858 et 6 Augusti eiusdem anni, tum 9 Decembris 1859 itemque ex constitutione Pii IX, *Ad universalis* 7 Septembris 1862, in qua statuitur: Solemnem professionem irritam esse, nisi simplicia vota iuxta decretum a S. Congregatione latum anno 1857 praemittantur. Quibus addenda est et illa superius memorata declaratio, qua professio tacita omnino abrogata edicitur (2).

387. Ad ea quae ad religiosam professionem referuntur, illud etiam pertinet, ut si quis de eius validitate, ob vim et metum vel ob defectum aetatis aut alterius necessarii requisiti, dubitationem moveat, iudicium de ea institui possit ac debeat. Concilium tridentinum *(Sess. XXV. cap. 19 de Ref. Reg.)*, generaliori quidem ratione, normas praestituit quibus hoc iudicium instituendum sit; ut scilicet I. iudicium fieri debeat tum a superiore regulari, tum a loci Ordinario; II. vero ut nemini fas sit e monasterio discedere, antequam invaliditas professionis fuerit declarata; potissimum vero III. ut nemo ad impugnandam suam professionem admitti possit, nisi id faciat intra quinquennium ab eius emissione: si enim maius temporis spatium elapsum sit, censeri potest per tacitam illam professionem, de qua diximus, facto ipso vere religiosum esse, etiam admissa prioris professionis invaliditate. At vero Benedictus XIV constitut. *Si datam, IV nonas Martii 1748,* magis determinata ratione, normas con-

(1) Aetas pro his requisita est annus vigesimus primus, expletus. Cf. Instruct. iussu Clem. VIII. edit. 19 Mart. 1603 (apud Lucidi, *Op. cit. Vol. III. pag. 442 § Tempore; edit. 1883*).

(2) Cf. *Acta S. C. super Statu Regularium ab archiepiscopo philippensi collecta; Lucidi op. cit. Vol. II. pagg. 83 sqq. ed. 1883.*

cilii tridentini explicavit, atque definivit, variis perpensis casibus qui possunt occurrere, et ratione praestituta processus hac in re perficiendi. Nominatim praecepit, ut habeatur *defensor* professionis religiosae *ex officio*, sicuti in causis matrimonialibus defensor habetur vinculi matrimonialis. Insuper si in hoc primo iudicio professio irrita declaretur, defensor teneatur omnino appellare, et nonnisi habita duplici sententia conformi pro nullitate professionis, regularis e claustris egredi queat.

388. Remedium tamen *restitutionis in integrum*, quandoque adhibetur, ubi iustis de causis aliquis admittitur ad impugnandam suam professionem etiam post elapsum quinquennium. Id autem nonnisi auctoritate Sedis apostolicae fieri potest. Tum vero duplex movetur quaestio: I. utrum detur locus restitutioni in integrum post lapsum quinquennium; II. utrum constet de nullitate professionis. Denique ex eadem auctoritate apostolica aliud adhibetur remedium *dispensationis ad cautelam*, quando nempe satis non constat *iudicialiter* de nullitate professionis, aliunde vero tranquillitati conscientiae prospiciendum est simulque graves sunt causae ob quas de validitate professionis dubitari possit (1).

Scholion

Pauca subiicimus de monialibus, quatenus peculiari modo quaedam de iis in iure statuuntur praeter ea quae generatim regulares attingunt.

1) Generalis instar regulae haberi debet, moniales, proprii nominis significatione, eas intelligi quae vere solemnia vota profitentur.

2) Hinc quae lege ecclesiastica de monialibus statuuntur, ad has dumtaxat *per se* pertinent; cum tamen hisce praesertim diebus plurima exsistant foeminarum instituta votorum simplicium, quaedam iis etiam debita proportione conveniunt.

3) Moniales pressi nominis (heic 1) non subiacent novis iis legibus, quas regularibus postremis hisce temporibus latas memoravimus (386).

(1) Accuratissime quae ad clerum regularem spectant collegit Lucidi Vol. II. pagg. 3 sqq. ed. cit.

Id enim aperte evincit ratio ipsa loquendi, quae eas leges unice ad viros pertinere ostendit. Quare iis solum exceptis in quibus expresse nominantur, reliqua ad eas minime spectant.

4) Recte igitur infert Iosephus Ferrari (1), monialium receptionem, probationis ac professionis tempus adhuc regi dispositione iuris communis, ante nupera haec decreta vigentis.

5) Porro ad receptionem quod attinet, duo maxime notanda sunt, *examen* scilicet *vocationis* et *dos* quae ad monialium congruam sustentationem constitui debet cum eae religionem ingrediuntur.

Examen enim statutum est a concilio tridentino (2), ut plene explorata sit puellae voluntas, utrum libere vel coacte religionem ingrediatur. Cogentes autem anathemate feriuntur.

Hoc examen fieri debet ab episcopo aut eius vicario, vel ab alio quem episcopus designaverit.

Dos vero constitui debet, etiamsi monasterium in quo novitia profitetur, iam reditus habeat sufficientes ad congruam sustentationem monialium, eaque transit in dominium monasterii post novitiae professionem.

6) Item ad moniales proprie dictas seu votorum solemnium, leges arctissimae pertinent de religiosa *clausura*.

Verum de his aptior disserendi est locus libro insequenti, quando agendum erit de monasteriis.

7) Si quae sint monialium instituta, quae puellas educationis gratia recipere possunt, animadvertendum est, oportere ut puellae habitent loco a monialibus seiuncto, et insuper servent statutas clausurae leges.

8) Monasteria monialium visitari debent ab episcopo, vel a praelato regulari si monasterium sit exemptum.

9) Moniales de quibus hactenus dictum est, neque expelli e monasterio possunt, neque in aliud monasterium transferri absque Sedis apostolicae auctoritate.

Reliqua quae magis practica sunt, conferri possunt penes auctores qui data opera de monialibus scripserunt (3).

(1) *Summ. Instit. cann. num. 228 nota 3 in fine.*

(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. cc. 17. 18. de regul. cum Resol. S. C. C. in edit. Richter.*

(3) *Pelizzarius Franciscus S. I. de Monialibus edit. correcta a Ioan.*

§ V. *De statu religioso minus perfecto, seu de congregationibus votorum simplicium nuncupatis.*

389. Hactenus de veri propriique nominis religiosis ordinibus locuti sumus. Necesse tamen est pro praesenti potissimum Ecclesiae statu aliquid addere, de iis congregationibus utriusque sexus, quae minus perfecta ratione religiosam vitam profitentur; quatenus tum carent votorum *solemnitate*, tum etiam, saltem in quibusdam, eorum *perpetuitate*. Aliae ex his denique sunt quae nulla prorsus habent vota, licet communem vitam sectentur; sed hae saecularibus personis profecto sunt accensendae, non vero regularibus, nisi sensu quodam latissimo.

390. Redeuntes modo ad illas congregationes quae vota habent simplicia, hae dividuntur iuxta quosdam recentiores canonistas, in congregationes regulares *proprie* dictas, et in congregationes regulares *improprie dictas*. Prioris generis congregationes *substantiam* habent status religiosi, tum quod vota habeant perpetua, tum quod haec emittantur in religione aliqua approbata, tum quod ea a legitimo eiusdem religionis superiore acceptentur, haec enim tria requiruntur ex praesenti ecclesiae disciplina, ut aliqua congregatio religiosa proprie dicta haberi possit. Diximus autem his contineri substantiam status religiosi, quia ad eam habendam, licet modo minus perfecto, ex communi doctorum sententia votorum solemnitas non requiritur. Alterius vero generis congregationes, cum his requisitis omnibus non gaudeant ac nominatim votorum perpetuitate, nonnisi sensu minus proprio congregationes regulares dici possunt.

391. Circa huiusmodi congregationes, prout ab *ordinibus* regularibus discriminantur, haec tenenda sunt:

a) quae in iure de regularibus continentur, *per se* iis applicari non possunt; in iure enim nonnisi ordines qui habent vota solemnia, considerantur;

b) hinc privilegia quae ex iure regularibus tribuuntur iis communia nullatenus sunt:

Franc. Montani eiusd. Soc. Romae 1761; Lucidi op. cit. Vol. II. pagg. 129-344 etc.

c) sunt tamen quaedam ex huiusmodi congregationibus, quae ex *peculiari apostolico privilegio*, eodem *exemptionis* iure ac ordines religiosi fruuntur; tum vero si id constet, in eodem sensu *quoad illud* habendae sunt;

d) reliquae Ordinarii iurisdictioni *per se* subiiciuntur, iis dumtaxat exceptis quae ad superiorem pertinent auctoritatem; ex. gr. si constitutiones alicuius congregationis licet non exemptae fuerint a Sede apostolica approbatae, Ordinarius facultatem non habet aliquid in iis immutandi inconsulta Sede apostolica: neque etiam in id potest se immittere quod ad internum earum regimen pertinet. Confer de his alios inter, Bouix (1).

e) Quod vero spectat ad erigendas novas domus, approbatione indigent episcopi quemadmodum et ipsi ordines regulares, ex decreto concilii tridentini et Const. SS. D. N. Leonis XIII quae incipit « *Romanos Pontifices* » VIII. Id. Maii MDCCCLXXXI. § *Quum res.*

§ VI. *De regularium exemptionibus ac privilegiis.*

392. Cum regulares inter personas quae ad hierarchiam iurisdictionis pertinent numerentur, ea nominatim de causa quod exempti sint ab aliquo gradu inferioris iurisdictionis, et immediate Sedi apostolicae subiecti; hinc aliquid de huiusmodi exemptionibus et privilegiis dicendum est. Inutile tamen foret ea persequi, quae peculiari quadam ratione singulis religiosis ordinibus a Romanis Pontificibus concessa sunt: hinc ea solum spectanda veniunt quae generali modo omnibus religiosis ordinibus conferuntur. Haec inter, primum obtinet locum exemptio regularium ab iurisdictione Ordinariorum (2).

393. Exemptio regularium qua fit ut *immediate* Romano Pontifici subiiciantur, si in tota sua amplitudine spectetur, illud contineret ut episcopi nihil possent circa regulares. At vero Ec-

(1) *De iure Regularium Tom. II. pag. 350 seqq. Edit. 2.*

(2) Cfr. « *De exemptione Regularium conservanda et confirmanda* », *Commentarius Victoris De Bruck e Soc. Iesu;* Bruxellis 1869. Egregium est opus doctissimi maximeque laudandi scriptoris, omnino legendum.

clesia ita huiusmodi privilegium in serie temporum moderata est, ut plura ademerit huic exemptioni, et regulares quoque in iis auctoritati episcopali subiecerit. Nominatim vero concilium tridentinum duplici modo id confecit, tum primo quaedam directe episcopis tribuendo erga regulares *auctoritate ordinaria*, tum plura iisdem concedendo *tamquam Sedis apostolicae delegatis*. Nominatim vero in haec recensenda sunt :

a) episcopus tamquam delegatus Sedis apostolicae corrigere potest et punire religiosos degentes extra claustra, si deliquerint (*Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 14*);

b) item si regulares etiam in claustris degentes *notorie* sint rei, episcopus exigere potest ut a superioribus suis puniantur, et si id neglexerint per semetipsum punire (*ibid.*);

c) regulares absque episcopi *approbatione*, fidelium saecularium confessiones audire non possunt, neque absque eius facultate absolvere a casibus ab episcopo reservatis, etiamsi facultatem habeant absolvendi a casibus et censuris reservatis a Pontifice, *dummodo in iis non contineantur;* itemque *in aliena* ecclesia, episcopo non *approbante*, concionari nequeunt, nec *in sua* episcopo *contradicente*;

d) in iis vero quae ad curam animarum, et sacramentorum administrationem pertinent, parochi regulares episcopo subiiciuntur : item regulares servare debent censuras, interdicta, dies festos ab episcopo in sua dioecesi statutos, etc. Plura etiam huc spectant quae iuribus parochialibus accensentur, quaeque a regularibus, nonnisi iis qui de coenobio et familia sunt et intra septa domus regularis habitant, praestari possunt ;

e) denique ad publicum quod attinet cultum, nihil etiam in suis ecclesiis absque episcopi approbatione inducere possunt.

394. Privilegia autem regularibus conceduntur, duplici ratione scilicet vel *immediate*, concessione quae ipsis fit a Sede apostolica, vel *communicatione* (1) cum privilegiis alterius ordinis, cui immediate sunt concessa. Ubi tamen notandum est :

a) si quaedam sint privilegia, quae expresse clausulam contineant, ut immediata concessione opus sit ut quis eis fruatur,

(1) De hac praeclare disserit alios inter Reiffenstuel, *ad tit. de Privil.* (V. 33) § III.

haec in quacumque generalissima communicatione non contineri.

b) Iuxta communiorem sententiam, exemptionem a iurisdictione ordinarii haberi non posse per meram privilegiorum communicationem, sed requiri ut immediate et in individuo concedatur.

Ceterum, ut initio animadvertimus, privilegia regularibus concessa ob gravissimas causas et maximum ecclesiae bonum, atque in primis ut universalis luculenter appareat potestas iurisdictionis in Romano Pontifice, tot tantaque sunt ut ea hic singillatim persequi impossibile simul ac supervacaneum foret. Insuper quilibet ordo regularis privilegiorum sibi concessorum accuratissime quo fieri potest ex authenticis monumentis compactam syllogen habere omni studio contendit, quo facilius ea, ubi opus sit, probare ac tueri rite valeat.



LIBER SECUNDUS

DE REBUS ECCLESIASTICIS

TITULUS I.

De rerum ecclesiasticarum divisione.

395. Iuxta generalem partitionem alias (44. 134. seqq.) a nobis traditam potestatis in *legiferam, iudiciariam, coactivam,* potestas legifera ea est quae proponit *obligatorio modo* media socialia, quibus ecclesia uti debet ut suum finem assequatur. At vero media haec tum *personis* tum *rebus* continentur. Actum est a nobis de ecclesiasticis personis sive generatim, sive in duplici hierarchia ordinis et iurisdictionis consideratis. Iam vero ad absolvendam tractationem eorum quae pertinent ad exercitium potestatis legiferae ecclesiae, de *rebus ecclesiasticis* dicendum est.

Ut id rite perfici possit, statuenda est in primis, accurata rerum ecclesiasticarum divisio. Non eadem tamen est apud auctores scientifica methodus qua huiusmodi partitio statuitur. Etenim

I. sunt qui triplex statuunt rerum ecclesiasticarum genus scilicet:

a) quae spectant ad animarum salutem, quas proinde *spirituales* appellant, easque dividunt *in spirituales corporeas et spirituales incorporeas,* prout corporea quadam substantia obteguntur vel ea carent. Melius diceretur, eas distingui in *sensibiles* quae signo aliquo sensibili efferuntur uti ex. gr. sacramenta, sacrificia etc., et *insensibiles,* uti sunt gratia sanctificans, virtutes theologicae etc.;

b) quae ad cultus divini exercitium sacrorumque ministrorum sustentationem ordinantur;

c) quae pertinent ad exercitium religionis vel charitatis. Ita cum aliis Ferrante (1).

Verum plura sunt quae minus placent in hac divisione.

Etenim omissa illa plane incongrua appellatione rerum spiritualium *corporearum et incorporearum*, illud primo minus rectum videtur, quod rebus *spiritualibus*, *temporales* non opponantur.

Insuper in secundo recensito rerum genere ea ponitur divisio, quae vix non est mera *tautologia*, cum aliquo sensu sacrorum ministrorum sustentatio ad cultus sacri exercitium iure possit revocari.

Denique in tertio rerum genere tum idem habetur vitium, tum etiam exercitium religionis spectatur tanquam diversum a cultu, qui tamen est pars eius praecipua.

II. Alii vero res ecclesiasticas dividunt *in spirituales*, quae nimirum ad animarum salutem *proxime* diriguntur; *sacras*, quae sacris usibus, Deique cultui addictae sunt; *temporales* denique, quae alendis clericis et pauperibus et divino cultui peragendo destinantur (2).

Res autem *sacras* subdividunt in *sacras*, *antonomastice* appellatas, quae solemni ritu ab episcopo consecrantur; *sanctas*, quae sanctione legis vel benedictione aliqua e profano usu eximuntur; *religiosas* quas etiam *ecclesiasticas* vel *pias* vocant, eaeque sunt quae vel auctoritate ecclesiae vel fidelium pietate, religionis usui dicantur. Verum quamvis haec rerum sacrarum divisio eadem tradatur in iure romano (3), minus tamen ea, in re nostra, apta videtur, quia ea distinguit quae omnino sunt coniungenda, adeo ut non perspicuitas sed confusio inde oriatur.

396. Longe melius simulque simplicius, nostra quidem sententia, dividit res ecclesiasticas Iosephus Ferrari *(Op. cit. lib. II. Tit. 1)* in *spirituales* et *temporales*. Priores illae sunt quibus, ut ipse inquit, spiritualis animae vita fovetur, ut sacramenta, preces, ritus; quibus accedunt, ex communi sententia, ecclesiae, altaria, etc. Temporales vero illae dicuntur quibus corporalis

(1) *Elem. I. C. lib. 2. tit. 1.*
(2) *Vecchiotti Op. cit. lib. 3. tit. 1.*
(3) *Instit. lib. II. tit. 1. § 7 Nullius.*

clericorum pauperumque vita temporalis sustinetur, et divini externi cultus expensae fiunt, uti sunt praedia, domus, beneficiorum fructus, ecclesiarum reditus etc.

Iam vero hanc, ad rem quod attinet, ut rectissimam retinentes summam rerum ecclesiasticarum divisionem, eam sic illustrandam arbitramur, ut in duplicem classem res omnes ecclesiasticas tribuamus, et *prima* classis ea complectatur quae *ad sanctificationem quacumque ratione ordinantur,* vel ex se vel ex positiva Christi voluntate, quatenus sanctificationem vel *gignunt* vel *iuvant,* vel *significant;* secunda vero classis eas complectatur res quae *temporales sunt, et ex persona potissimum clericorum ad quas pertinent, et ad usum ecclesiasticum in quem destinantur, ecclesiasticae et ipsae dici debent.* Hoc pacto arbitramur et omnes res ecclesiasticas comprehendi, et unius ab altera classe diversam indolem accurate repraesentari, ut ex dicendis patebit. Accedit partitionem hanc, ex fine Ecclesiae desumptam, qui proxime in fidelium sanctificatione situs est unde aeterna beatitas gignitur, ex hac ipsa habitudine maxime illustrari.

TITULUS II.

De sacramentis et de sacramentalibus.

397. Potissimum inter ea media quae ad sanctificationem ordinantur, locum obtinent sacramenta novae legis, quippe quae *causae* sunt *instrumentales* gratiae conferendae. Hinc mirum non est, quod canonistae, cum agunt de rebus ecclesiasticis, de sacramentis primo loco fuse disserant, quemadmodum et de iis sermo est sive in decreto Gratiani sive in libris decretalium (1).

Haud minimum in ancipiti haesimus, utrum in hisce Institutionibus de sacramentis singillatim ageremus, cum plura de iis in iure nostro reperiantur, et insuper exemplum in veteribus canonistis, quin et in nonnullis e recentioribus nobis suppeteret, ut eamdem methodum de iis disputandi sectaremur. Verum cum in praesens etiam illa quae ad disciplinam iuris nostri pertinent,

(1) Cf. in Decreto P. III. *de Consecr.;* in Decretalibus, III. 41 seqq.

theologia tum dogmatica tum moralis ob nexum doctrinae sibi vindicent, quando disserunt de sacramentis, visum nobis omnino est ne actum ageremus, tractationem omittere de sacramentis sive in genere sive in specie; quod et ab aliis recentioribus iuris ecclesiastici tractatoribus factum conspicimus (1).

Hoc valet etiam de sacramento matrimonii. Illa enim quae in eo ad leges canonicas spectant, in theologia potissimum morali accuratissime pertractantur. Duo tamen sunt quae magis ad nos pertinent: primo potestas dispensandi sacramenta; sed de hac iam dictum est in libro primo, quando egimus de variis gradibus hierarchiae sive ordinis sive iurisdictionis. Secundo, aliquid est notandum speciatim de matrimonio; hoc enim spectari potest, prout materia est *iudicii ecclesiastici,* ad quod pertinent *exclusive* causae matrimoniales. Sed haec tractatio evidenter revocanda est ad partem *specialem* tertii libri institutionum, qui est de iudiciis ecclesiasticis.

398. Dimissis ergo sacramentis novae legis, aliquid de sacramentalibus breviter attingamus.

Nomen ipsum sacramentalium ex vi vocis significat aliquid quod ad sacramenta refertur et de ipsis veluti participat. Iam vero dupliciter potest intelligi; vel 1) quatenus in ipsa sacramentorum administratione adhibentur, uti sunt externi illi ritus qui, ex *praecepto ecclesiae,* frequentantur cum sacramenta *divinitus instituta* conficiuntur; vel 2) quatenus licet gratiam proprie dictam sacramentalem, ceu causae instrumentales non conferant, *imitantur* tamen virtutem sacramentorum, eo quod peculiari ratione res quaedam ab Ecclesia institutae et consecratae sunt, ad quosdam effectus spirituales producendos. Utroque modo sacramentalia ab auctoribus describuntur, ad rei summam quod attinet, licet in ipsa definitione tradenda non leviter differant inter se.

399. Insistentes potissimum illi analogiae qua sacramentalia imitari dicuntur virtutem sacramentorum, arbitramur ex ea intelligendam esse illam doctrinam quam communiter tradunt de sacramentalium effectu: etenim

a) Sacramentalia communiter vulgato illo versiculo exhibentur:

(1) Ita ex. gr. Aichner op. cit.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Quibus continetur 1) oratio Dominica ac generatim preces solemniter in liturgia recitatae; 2) usus aquae benedictae; 3) panis benedictus seu *eulogia;* 4) confessio generalis nuncupata quae fit in missa et in quibusdam horis canonicis; 5) eleemosyna ab Ecclesia specialiter praescripta; 6) benedictio episcoporum et abbatum, imo et sacerdotum in fine missae. Putamus autem ipsam unctionem regum, aliasque quae ab episcopis fiunt consecrationes ecclesiarum, altarium, oleorum sanctorum etc. ex illa analogiae lege ad sacramentalia quoque referri posse.

b) Effectus sacramentalium hi praecipue numerantur: 1) remissio peccatorum venialium; 2) impetratio gratiarum praevenientium et piorum motuum; 3) beneficia quaedam corporalia; 4) virtus fugandi daemones quae speciatim in quibusdam sacramentalibus, verbi gratia exorcismis, reperitur.

c) Si vero quaeratur quo pacto huiusmodi effectus producantur, profecto liquet non eo sensu dici posse sacramentalia ex *opere operato* effectum suum producere, quo id dicitur de sacramentis. Verum neque simpliciter *ex opere operantis* quidam effectus omnino dependent, ex. gr. vis fugandi daemones. Hinc dicendum est, quoad haec sacramentalia, Ecclesiam suam potestatem a Christo supra daemones acceptam, alligare *licet non infallibiliter* usui harum rerum. Quod vero pertinet ad remissionem peccatorum verior ea sententia videtur, quae tenet, ex usu sacramentalium verbi gratia aquae benedictae, eos pios motus doloris aut charitatis in anima excitari, quibus peccata venialia remittantur. Haec nobis de sacramentalibus satis superque sunt.

400. His potius addenda putamus, quae tradunt canonistae, *de purificatione post partum,* ad titulum XLVII. Lib. III. Decretalium. Haec enim ad ius ecclesiasticum pertinet, quatenus functio est communi saltem usu *parochialis,* quamvis per se a quolibet sacerdote possit exerceri et hoc etiam titulo pertinet ad sacramentalia, quod benedictio sit mulieris puerperae: benedictiones autem ad sacramentalia ut diximus referuntur.

TITULUS III.

De ecclesiis (1).

401. Ad res ecclesiasticas quae ad sanctificationem ordinantur, ecclesiae quoque referri debent, idque duplici de causa: 1) quia in iis religiosus cultus exercetur sive eucharistici sacrificii celebratione sive sacramentorum administratione; 2) vero, quia per ipsam materialem structuram ecclesia christiana determinatis ritibus consecrata vel benedicta, sanctificationem ipsam animae christianae quae templum est Dei apprime significat. Quamvis autem hoc pacto quilibet locus specialiter ad divina mysteria celebranda deputatus, ecclesia dici possit, usu tamen receptum est ut nomen ecclesiae iis detur sacris aedibus in quas populus christianus *publico modo* convenit, ut eucharistico intersit sacrificio, praedicationem excipiat verbi Dei et sacramentorum particeps fiat. Ex hac ecclesiae notione apparet discrimen inter eam et *oratoria* sive *privata* sive *publica*. Privata enim, ut ipsum nomen indicat, in publicum usum non destinantur; publica autem non tam in populi christiani quam in singularis familiae alicuius aut coetus commodum, principaliter eriguntur, licet aliis etiam pateant.

Ea quae ad ecclesias pertinent, hisce praecipuis capitibus continentur: I. de ecclesiarum aedificatione; II. de ecclesiarum consecratione; III. de ecclesiarum reparatione; IV. de ecclesiarum reconciliatione; V. denique de ecclesiarum immunitate.

§ I. *De ecclesiis aedificandis.*

402 Cum ecclesia aedes sacra sit religioso cultui specialiter destinata, lege ecclesiastica aedificari non potest absque episcopi auctoritate, adeo ut sine ipsa ille etiam qui ecclesiam aedificat suis sumptibus, iure patronatus privetur. Episcopus autem lo-

(1) Ad hanc materiam pertinent tituli 40. 48. 49. libri III. Decretalium ad quos cfr. DD. nominatim Pirhing.

cum designat et primum lapidem rite benedicit (V. in Pont. Rom.). Id etiam ex eo patet quod ecclesia, ut *licite* divina mysteria in ea celebrentur, consecrationem vel saltem benedictionem debeat habere; quarum altera solum ab episcopo, altera nonnisi auctoritate episcopi dari potest. Episcopus vero hanc concedere tenetur facultatem nisi iusta obsit causa. Quod si arbitrio suo, quin ulla iusta habetur causa, veniam deneget ecclesiam aedificandi, datur recursus ad superiorem auctoritatem, a qua vel adigi potest episcopus ad consentiendum, vel potest eius consensus suppleri.

403. Causae vero quibus potest episcopus ecclesiae aedificationem interdicere, hae potissimum sunt:

a) carentia dotis necessariae ad ipsius ecclesiae conservationem et expensas cultus divini. Qua quidem in re illud lege ecclesiastica cautum est, quod si episcopus *scienter* ecclesiam, quae congruam non habet dotem, aedificare permittat, tenetur ex suis sumptibus quod deest supplere;

b) violatio iuris legitimi alterius personae, ex generali principio (1): *nulla ecclesia in praeiudicium alterius est construenda. Cap. 1. de N. O. N.* Dicimus autem violationem iuris legitimi, ut intelligatur, praeiudicium illud quod ex novae ecclesiae aedificatione oriri potest pro iis quae iam exsistunt, puta ex diminutione oblationum, decimarum aut aliorum iurium, esse debet primo *grave,* et secundo *maius* eo bono vel *convenienti,* vel multo magis *necessario,* quod ex aedificatione novae ecclesiae haberi debet.

404. Ex his iam apparet quaenam sint iustae causae, et quaenam cautiones sint adhibendae ad ecclesiarum aedificationem. Etenim

a) si tale habeatur populi fidelis incrementum, ut antiqua aedes parochialis illum continere haud valeat, nova profecto est aedificanda vel antiqua amplificanda;

b) magna item locorum distantia vel difficultas, adeo ut praesertim quibusdam anni temporibus non sine magnis incommodis aut etiam vitae discrimine, magna pars fidelium alicuius paro-

(1) Huc pertinet in Decretalibus titulus « *De novi operis nuntiatione* » (v. 32) et ibi DD.

chiae ecclesiam adire possit, causa est legitima cur nova aedificetur ecclesia; servatis tamen quibusdam ex iure statutis conditionibus, quibus ecclesia haec quae *filialis* tunc dicitur, *dependentiam aliquam* a prima quae *matrix* appellatur, agnoscat.

c) Cautiones vero adhibendae eae potissimum sunt, ut episcopus 1) rite inspiciat an ecclesia congruam habeat dotem; tum 2) an ex novae ecclesiae aedificatione praeiudicium alicui generetur; vocatis ad id tum rectoribus aliarum ecclesiarum, tum aliis quorum interesse potest, ut si legitima eorum iura inde detrimentum habeant, aedificationi obsistat; si vero iniuste renuant, illis etiam invitis ad novam erectionem procedat.

d) Hoc etiam servandum est quando agitur de ecclesiis regularium sive quoad parochos, sive quoad alios regulares in quorum viciniis ecclesia sit aedificanda: praeter enim veniam a Sede apostolica, indigent quoque regulares ad construendam novam ecclesiam episcopi facultate; qui si eam iniuste deneget, datur in devolutivo recursus ad Sedem apostolicam, quae poterit, si id expedire iudicet, episcopi consensum supplere (1).

§ II. *De ecclesiarum consecratione.*

405. Ut in ecclesia, sacra officia rite persolvantur, ea peculiari quodam ritu, ecclesiastica lege sancito, consecrari debet. Duplex porro est huius consecrationis ratio: alia solemnior quae proprie *consecratio* dicitur, altera minus solemnis quae *benedictio* appellatur.

Consecratio quae *Ecclesiae dedicatio* dicitur, nonnisi ab episcopo *iure ordinario* peragi potest, in ea enim praeter alios ritus, sacra etiam unctio chrismatis adhibetur, adeoque inter episcopalis ordinis actus *analogice* continetur (284 *d*). Hinc fit quod episcopus hanc facultatem simplici presbytero delegare non possit, et si id fiat, consecratio ipsa sit invalida atque iteranda. Secus vero si Romanus Pontifex hanc delegationem faciat, hoc enim in eius est potestate. Consecratio fit iuxta illum ritum qui continetur in Pontificali Romano. Potest autem fieri quolibet die vel festo, vel etiam feriato, et peragi debet ab episcopo illius

(1) Cf. Leonis XIII. Const. « *Romanos Pontifices* » cit. § *Quum res.*

dioecesis in cuius territorio ecclesia consecranda sita est, adeo ut nonnisi vel episcopo impedito vel ex peculiari privilegio apostolico, ecclesia possit ab alieno episcopo consecrari; secus illicita quidem, valida tamen erit consecratio *(Cap. 2, de Cons. eccl.)*. Consecrationis seu dedicationis ecclesiae memoria, quotannis fit iuxta ecclesiasticam liturgiam. Ecclesia vero consecrata iterum consecranda non est nisi in casibus in iure recensitis; quibus fit ut nova indigeat consecratione. Hi autem sunt 1) si ecclesiae parietes incendio aut vastatione diruantur vel etiam abradantur ex toto vel ex maiori parte. Nam consecratio, unctione chrismatis repraesentata, censetur extimo parietum linimento veluti adhaerere; 2) si tota simul vel maiori ex parte ecclesia destruatur et denuo reaedificetur. Ubi animadvertendum est hanc destructionem vel totius ecclesiae vel maioris eius partis *simultaneam* esse debere: si enim ecclesia successive etiam quoad omnes suas partes, aliis interim remanentibus, reficiatur vel denuo construatur, consecrationem non amittit.

406. Cum ecclesiae consecratione sponte sua iungitur altaris consecratio, licet separatim fiat in praesenti ecclesiae disciplina. Huius ritus habetur etiam in Pontificali Romano et eadem ratione ac de ecclesia dictum est, a solo episcopo peragi potest. Altare autem consecrandum fixum esse debet, hoc est eius pars superior cum inferiori, seu cum sua basi coniungi ita debet, ut amoveri non possit. Consecratio altaris non amittitur, nisi vel frangatur, vel a basi, cui affixum esse debet, evellatur.

Praeter consecrationem hanc solemnem, alia quandoque adhibetur minus solemnis, quae *benedictio* vocatur, eo quod in ea non chrismatis unctio, sed dumtaxat aquae benedictae aspersio adhibeatur. Haec fieri potest ex delegatione episcopi, etiam a simplici sacerdote, et spectatur veluti provisoria quaedam consecratio, ad hoc ut rite in ea ecclesia sacra officia peragi valeant, donec ritu solemni possit consecrari.

§ III. *De ecclesiarum reparatione.*

407. Sicuti ecclesias ad divinum cultum aedificari, ita et conservari opus est. Huc pertinet ecclesiarum reparatio. Unum est de hac quaerendum, quinam scilicet et quonam ordine ec-

clesiam reparare teneantur. Porro hac in re necessario distinguendum est inter ecclesiam cathedralem, collegiatam, parochialem, et simplicem. Quamvis enim generatim dici possit, sumptus ad ecclesiae reparationem faciendos esse, primo ex redditibus ecclesiae ad id destinatis si habeantur, secundo ab iis qui lege vel consuetudine tenentur, tertio a beneficiatis ipsius ecclesiae licet non eodem modo, quarto ab aliis etiam iuxta modum a iure canonico praescriptum; hoc tamen nimis indeterminatum est et peculiarem pro singulis casibus requirit applicationem. Itaque

a) si de reparanda ecclesia cathedrali agatur, quo nomine omnes intelliguntur ecclesiae, in quibus cathedra habetur episcopalis, licet insuper metropolitanae vel primatiales vel patriarchales esse possint; primum id ex redditibus ecclesiae fieri debet, si pars aliqua eorum vel lege vel consuetudine ad id sit destinata: si id non habeatur, tenetur episcopus ad id concurrere pro quarta parte fructuum sive praesentium sive futurorum suae mensae episcopalis, dein canonici pro rata ex suis beneficiis, tum post hos alii etiam beneficiati. Quin et clerus universus, habito consensu a maiori parte capituli, ab episcopo ad concurrendum adigi potest, dein ipse populus. Hoc profecto intelligitur, si vel ex lege vel ex consuetudine, municipia aut politicum regimen ad id iam non teneantur.

b) Collegiatae vero ecclesiae reparatio, praeter eos qui vel lege vel consuetudine tenentur, attingit ipsius collegiatae ecclesiae beneficiarios, ordine superius dicto; quin et si consuetudo adsit, ipsum episcopum.

c) Ad reparandam ecclesiam *parochialem* (quod et de domo parochi intelligendum est) post *fabricam* ipsius ecclesiae, tenentur ii qui lege vel consuetudine ad id obligantur, tum parochus ipse, iis deductis quae ad congruam sustentationem requiruntur, uti et ii qui pensiones vel beneficia etiam simplicia in ea obtinent; item patroni, nisi iuri patronatus velint renunciare, ad quod terminus aliquis ipsis praefigitur. Denique populus ipse parochiae, qua parte citra grave incommodum id praestare potest, concurrere debet. Simplex vero ecclesia aut a patrono, aut a rectore, aut demum piorum oblationibus reficienda est. Praeter hos ordinarios modos, alii etiam haberi possunt extraordinarii,

qui potissimum hisce temporibus plerumque prae aliis ordinariis adhibentur (1).

d) Ad reparationem faciendam ecclesiarum sive cathedralium sive collegiatarum pertinet *media annata*, quae ex praescripto Benedicti XIII. *Const. Pius et misericors 12 Maii 1725*, solvenda est ab omnibus beneficiatis in Italia et insulis adiacentibus (2).

Dicitur autem media annata, quia constat ex dimidia parte redituum beneficialium primi anni ab inita beneficii possessione. Sunt tamen plures exceptiones, quae in eadem constitutione conferri possunt.

§ IV. *De ecclesiarum reconciliatione.*

408. Ecclesia quandoque polluitur, adeo ut reconciliatione indigeat ut iterum cultui sacro deputetur. Causae autem ob quas ecclesia polluitur, hae recensentur:

a) iniuriosa humani sanguinis effusio vel homicidium voluntarium. Ubi notandum est requiri ut effusio sanguinis copia satis magna contingat, tum ut crimen in ea sanguinis effusione admittatur, tertio ut in ipsa ecclesia sanguinis ipsa contingat effusio vel homicidium. Hinc ecclesia non polluitur, si aliquis stans intra ipsam, alium interficeret extra ipsam situm, vicissim vero pollueretur, si aliquis stans extra ecclesiam, aliquem qui intra ecclesiam reperitur interficeret;

b) *criminosa* et *publica* humani seminis effusio;

c) sepultura infidelis aut excommunicati; his enim lege ecclesiastica sacra sepultura interdicitur.

409. Ecclesia ita polluta reconciliatione indiget, et siquidem consecrationem habuerit, ab episcopo debet reconciliari, licet ex peculiari apostolico privilegio id quandoque a simplici sacerdote fieri possit. Si vero sit solum ecclesia benedicta, a simplici sacerdote reconciliatur. Utriusque reconciliationis ritus habetur in pontificali et rituali romano *(Cf. Pirhing ad tit. 40 lib. III. Decr. § 3)*.

(1) Cf. Bened. XIV. Inst. 100.

(2) Apud Lucidi, *Op. cit. Vol. III. App. V. edit. cit.* 1883.

410. Fieri tamen etiam potest, ut quandoque ecclesia quacumque de causa inepta evadat sacris officiis celebrandis: tum vero in usus profanos sed non sordidos, erecta tamen ibi cruce, converti potest *(Pirhing ad tit. 48 lib. III. Decr. num. 24).*

§ V. *De immunitate ecclesiarum.*

411. Immunitas de qua hic sermo est, non *personalis,* sed *realis* dicitur, iuxta alias statutam partitionem (164. v. *At longiorem*), cum rebus ipsis ecclesiasticis inhaereat. Verum cum de ecclesiis aliisque sacris locis praedicatur, peculiari significatione *localis* dicitur. Immunitas autem hoc sensu recte definiri potest: « Ius quod Ecclesiis aliisque sacris locis competit ne in iis aliquid fiat quod eorum sanctitatem minime deceat, sive ex actibus in iis patratis, sive iniuria eisdem illata ».

Ex qua definitione duplex exsistit immunitatis effectus: 1) Ut quidam sint actus qui in ecclesia locum habere non possunt. 2) Ut in ecclesia ius habeatur *asyli,* adeo ut iniuria fiat ecclesiae, si aliquis ab ea etiam reus extra casus a iure exceptos violenter extrahatur.

412. Generale fundamentum immunitatis ecclesiarum reperitur tum in ipso iure naturali, tum in ipso iure christiano. Communis enim omnium gentium persuasio semper peculiari reverentia prosecuta est loca illa, in quibus publicus cultus exercetur adeo ut ab iis quidquid indecens esset removeretur. Peculiari vero ratione sanctitas ecclesiarum vel ab ipsis christianis originibus a fidelibus agnita fuit, et religiose custodita.

413. Iam si de iis actibus sermo fiat, qui in ecclesiis interdicuntur ob loci ipsius sanctitatem, ii in primis recensentur:

a) quaecumque negotiatio, aut venditio; non tamen irritantur contractus, si fiant;

b) saecularia iudicia tum civilia tum criminalia;

c) conciones civiles, publica comitia, ac generatim quaecumque ad civilem administrationem pertinent, uti et convivia, ludi, etc. *(Cap. Decet de im. Eccles. in 6).*

414. Praecipuum vero locum obtinet alter immunitatis localis effectus, qui iure asyli continetur. Porro quoad hoc, triplex debet considerari modus, quo exsistere potest hoc privilegium:

scilicet 1) ita ut lex ecclesiastica plene vigeat *iure et facto*; 2) ut peculiaribus conventionibus aliquid, ecclesia annuente, legi communi sit derogatum; 3) denique ut iure quidem exsistens, facto tamen ob iniquam violationem penitus immunitas desierit.

Si primum, ius asyli, prout lege ecclesiastica sancitur, attendatur, tum distingui debent eius indoles et exceptiones ab iure admissae. Indoles huius privilegii localis immunitatis exurgit ex his veluti elementis; reverentia debita sanctitati templorum, simulque materna pietate ecclesiae, quae etiam sontes quantum fieri potest salva iustitia tuetur, denique obsequio societatum civilium christianarum erga ipsam ecclesiam. Ex his enim omnibus idea illa exurgit complexa, qua localis ecclesiarum immunitas iuri simul divino ecclesiastico et sociali tribuenda est. Ius autem asyli in eo est ut sontes non excepti a lege, si ad ecclesiam confugiant vel loca sacra, inde extrahi non possint vi aut dolo, sed dumtaxat in casibus exceptis annuente ecclesia. Huiusmodi iure ex lege ecclesiastica gaudent ecclesiae sive consecratae sive benedictae, imo et pollutae, modo ad usus profanos conversae non fuerint; item sacraria, porticus, atrium, turris campanaria, coemeterium, aedes episcopi et cardinalium, hospitalia, publica oratoria, monasteria cum iis omnibus locis quae intra eorum septa continentur; quin et ius huiusmodi ad certam distantiam circa ecclesiam extenditur. Sacerdos demum eucharistiam deferens, asylum etiam praestat ei, qui comitantibus se adiungat.

415. Haec quidem omnia si parumper seponantur abusus qui ex hominum vitio oriri possunt, non modo nihil incongruum praeseferunt in societate christiana, quin imo cum eius natura et indole maxime consentiunt. Attamen ipso iure, ne quibusdam gravioribus sceleribus impunitas daretur, ius asyli quoad graviora quaedam crimina limitatum est. Hinc excipiuntur: 1) Qui publice viatores armis aggrediuntur, ac bonis suis exspoliant, vel privatas domus vi invadunt, vulneribus in eos qui resistunt saevientes. 2) Agrorum depopulatores. 3) Violantes immunitatem loci sacri ob patratum in eo homicidium, vel mutilationem. 4) Qui alieno mandato mortem alicui inferunt ob conventam mercedem, uti et mercedem paciscentes si mandatum fuerit impletum. 5) Homicidae voluntarii et criminosi, modo aetatem

excesserint annorum XX. 6) Rei laesae maiestatis, vel qui crimen falsi admiserunt in literis apostolicis, vel in *Montibus pietatis* tali furtum fecerint aut falsi crimen, ut poena capitis plecti debeant. In his enim casibus, postquam determinatum fuerit a iudice ecclesiastico agi de casu excepto, reus traditur curiae saeculari, requisito tamen iuramento, reum restituendum esse ecclesiae, si forte innocens dignoscatur.

416. Quia tamen hominum vitio fieri poterat, et pluries factum est, ut graves orirentur abusus ex huiusmodi iure asyli, alia vero ex parte politica regimina magis magisque obsequium Ecclesiae debitum detrectabant, hinc ad plura praecavenda mala, et arcendas calumnias, Ecclesia benigne permisit, ut ius asyli per peculiares conventiones, seu concordata multiplicem reciperet modificationem; quae autem sint pro singulis regionibus, dignosci debet ex ipsis textibus singularium concordatorum.

At vero maxime nostris hisce temporibus, ex consummata regiminis civilis apostasia, immunitas localis sicut et alia quaevis ecclesiastica immunitas iniquissime violatur. Hinc ad factum quod attinet huiusmodi privilegium nullum est. Ecclesia tamen, seposita peculiari illa concessione, quae concordatis rite initis contineatur, ius suum adeo aperte prosequitur, ut statutis etiam gravissimis poenis (1) adhuc vigentibus contra immunitatis violatores, hanc usque tueatur.

417. Ecclesiarum de quibus hoc titulo diximus, variae sunt *species,* unde oriuntur partitiones, quarum fundamentum ex maiori vel minori earum dignitate vel ex maioribus vel minoribus iuribus desumitur. Hinc ecclesia est *episcopalis,* si in ea habeatur cathedra episcopalis, itemque *metropolitana,* si in ea sit archiepiscopus, *primatialis* si primas, *patriarchalis* si patriarcha in ea sedem habeat. Si collegium habet canonicorum, *collegiata* appellatur, si vero coetum habet clericorum vel saecularium vel regularium qui in ea resident, *conventualis* dicitur; si autem territorium habet adnexum et populum alicui sacerdoti in spiritualibus subiectum, *parochialis* vocatur. Si denique ecclesiam aliquam sibi subiectam habeat quoad iura quaedam, ecclesia

(1) *Const. « Apostolicae Sedis »; inter censuras latae sententiae Romano Pontifici reservatas n. 5.*

quae subiicitur *filialis* dicitur, quae vero superior est *matrix* appellatur. Ad formam vero ecclesiae quod attinet, liquet paullo diversam antiquitus eam fuisse ac modo est, quemadmodum traditur ab iis qui data opera de christiana antiquitate scripsere. Generatim tamen dici potest duplicem esse in ecclesia partem distinguendam, quarum una quae *Sanctuarium* dicitur, clericis *unice* ceu locus proprius tribuitur (163); altera vero quae ecclesiae *navi* vel *navibus,* si plures sint, continetur, reliquis fidelibus destinatur. *(Cf. tit. sup. cit. lib. III. Decr. et ibi DD.).*

TITULUS IV.

De oratoriis publicis et privatis.

418. *Oratoria,* quae etiam *cappellae* seu *sacella* appellantur, ea loca sunt vel in agris vel in civitatibus posita quae *extraordinario* modo sacris deputantur. Haec statui potest veluti ultima differentia, qua oratoria ab ecclesiis discriminantur. Ecclesia enim ordinario modo, publico cultui in usum fidelis populi destinatur, dum oratoria in quarumdam personarum aut etiam quorumdam coetuum utilitatem eriguntur.

419. Oratoria sunt vel *publica* vel *privata,* prout omnibus patent, vel ad privatum dumtaxat usum sunt.

I. Oratorium *publicum* externo aditu patere omnibus debet, vel quia fores ipsae in via publica reperiuntur, vel quia saltem aditus liber omnibus permittitur. Oratoria publica auctoritate episcopi eriguntur et benedicuntur, atque *modo permanenti et irrevocabili,* cultui sacro deputantur. Quod vero a quibusdam dicitur, opus esse ut oratoria publica campanam habeant ad convocandos fideles, non ita debet intelligi ut necessarium prorsus sit, quamvis communiter fiat. Oratoria publica ab episcopo vel eius delegato, sicuti alia pia loca visitantur. Sunt autem vel saecularia vel regularia, prout a clero saeculari vel regulari iure proprio administrantur.

Nonnulli sunt qui distinguunt oratoria publica in quasdam classes. Prima est eorum, quae licet contineantur intra privatas aedes, adnexum tamen habent *beneficium* ecclesiasticum. At haec

vix modo obtinet. Altera classis est eorum quae vere et proprie *consecrata* fuerunt; aequiparantur enim veluti ecclesiis. Sed S. Congregatio Concilii statuit, tum ut fores atrii de die essent apertae, tum ut oratorium congrue dotaretur. Tertia denique classis ea complectitur, quae superius a nobis recensita sunt.

II. Oratoria vero privata seu *domestica,* sunt vel *episcopalia* vel *religiosa* ac *pia,* vel denique strictissimo omnino sensu *domestica.* Priora in domibus episcopalibus reperiuntur, secunda in monasteriis, seminariis, hospitalibus, aliisque piis locis; tertia denique in domibus quibusque privatis, non solum ad preces Deo persolvendas, hoc enim omnibus licet, sed ut in eo missa celebrari possit. Porro

a) episcopi praeter oratorium in suis aedibus, facultatem habent altaris *viatici* seu *portatilis;* scilicet ubicumque *morantur* in altari portatili sacrum facere possunt;

b) regulares mendicantes, ante concilium tridentinum amplissimis gaudebant facultatibus, non solum in suis domibus, sed etiam in domibus quibusque privatis altare viaticum erigendi et in eo missam celebrandi; at concilium tridentinum (Sess. XXII. Decr. de observ. et evit. in celeb. Missae) has facultates maxima ex parte de medio sustulit; licet non omnino conveniant auctores intra quos limites decretum tridentinum debeat intelligi quoad ipsas domos regularium. Certum tamen est iis fuisse ademptam facultatem altare viaticum in alienis domibus erigendi;

c) episcopi non possunt concedere laicis, nisi *forte* per modum *actus,* gravi urgente causa, facultatem, ut in eorum oratorio domestico missae sacrificium celebretur; sed haec facultas solum a Sede apostolica conceditur, atque ita ut dumtaxat praesentibus *indultario,* aut *indultariis* (1) aeque principaliter nominatis, id fieri possit.

420. Nominatim vero iis solis, qui in brevi apostolico nominantur, licitum est diebus festis, non tamen exceptis, praecepto audiendi missam satisfacere (2).

(1) *Gattico, De Orat. dom. c. 21. nn. 23. 24.*

(2) *Ben. XIV. Const. « Magno cum animi » 2 Iunii 1751;* et *Decretum Clem. XI,* 15 Dec. 1703. Cf. Lucidi Op. cit. Vol. I. pag. 114 et Vol. III. pag. 46 seqq. ed. rom. 1883.

421. Insuper ex peculiari legis dispositione habentur tamquam *publica:*

a) Oratoria quae sunt in residentia episcoporum et cardinalium.

b) Oratoria domorum regularium.

c) Oratoria locorum piorum *ecclesiasticorum.*

d) Imo locorum piorum quorumcumque.

In iis proinde, quamvis circa duas ultimas classes id a nonnullis in dubium revocetur, licitum unicuique est praecepto audiendi missam satisfacere, saltem eo quod lex id vetans certa dici nequeat (1).

TITULUS V.

De sepulturis.

422. Cum iis quae de ecclesiis dicta sunt, ea connectuntur quae ad ecclesiasticam sepulturam pertinent, cuius occasione ea etiam pertractantur quae ad iura parochialia circa funera referuntur (2).

423. Sepultura autem hic spectatur, non quocumque modo, sed prout est *sacra,* imo *ecclesiastica,* scilicet ut in loco constituitur *auctoritate Ecclesiae ad id deputato.* Hoc significat sepulturam hic a nobis spectari, non solum ut sacram quocumque modo, sed ut eo determinato modo sacram, quo catholicae Ecclesiae leges talem efficiunt.

Constat enim ex ipsa humani generis historia qua late patet, *sepulcri religionem* vel apud barbaras nedum excultas gentes sancte usque servatam fuisse; hinc et *violatores sepulcrorum,* ceu sontes gravissimi criminis, civiles leges saevis poenis mulctarunt (3): sed longe augustior ea est sepulcri reverentia, quam catholica Ecclesia multiplicem ob causam praesefert, atque inde

(1) De Oratoriis cf. Gattico Op. cit.

(2) De sepulturis inscribitur titulus XXVIII. Decretalium ad quem cfr. DD.

(3) *Tit. De Sepulcr. viol.* D. (XLVII. 12).

ecclesiastica dicitur, quod Ecclesiae auctoritate, institutis ac legibus constituitur.

424. Varia in primis fuit Ecclesiae disciplina *circa determinationem locorum,* in quibus fidelium corpora condenda essent: siquidem

a) coemeteria primum extra urbes constituebantur, iuxta eam consuetudinem, quae civilibus etiam romanorum legibus fulciebatur (1).

b) At vero praesertim post saeculum quartum, cum plures extructae essent ecclesiae, coemeteria prope ipsas, potissimum si parochiales essent, exstrui coeperunt.

Factum testantur ipsa historica monumenta (2): ratio vero facti ea maxime fuit, quod facilius fideles qui ecclesias adibant, precibus suis aliisque suffragiis pias defunctorum animas iuvare sic poterant.

Quod vero parochiales praesertim ecclesiae deligerentur, congruum omnino fuit, ut prope eas ecclesias fidelium corpora conderentur, in quibus sacramentorum participes dum viverent efficiebantur.

c) Quin imo in ipsis ecclesiis fideles sepulturam deinceps habuerunt, non tamen continuo absque ullo discrimine; sed primum imperatoribus, episcopis, presbyteris, religiosis viris, sacris virginibus, aliisque dignitate conspicuis personis, id concessum fuit; dein serius omnibus indiscriminatim fidelibus; facile enim intelligitur honori maximo a fidelibus reputari quod ibi eorum conderentur sepulcro corpora, ubi Sanctorum exuviae publice coluntur.

Hinc non nisi peculiaribus de causis id primitus concessum; at serius ad pietatem fovendam, omnibus permissum fuit.

d) Praeter autem parochiales ecclesias, ius tumulandi regularium etiam ecclesiis fuit apostolico privilegio attributum. Ex quo tamen privilegio regularibus concesso necessitas orta est accuratius determinandi, quae ad iura parochialia circa funera referuntur (3).

(1) *L. 3. D. De Sep. viol.* § *D. Hadrianus.*

(2) *L. 2. C. de Sacros. Eccles.* (1. 2.) Concil. Bracar. II. c. 18. Coll. Labb. VI. col. 522.

(3) *Clem. Dudum. de Sepult.*

e) Insuper omnibus optio data fuit, ut quam mallent sibi sepulturam eligerent.

425. Ut hoc intelligatur notandum est, triplicem sepulturam in iure ecclesiastico distingui, scilicet *electivam, gentilitiam, parochialem*.

Electiva ea dicitur, quam quivis a *iure non prohibitus* arbitrio suo sibi eligit.

Gentilitia ea est quae ad personas alicuius familiae pertinet.

Parochialis quae in parochiali ecclesia defuncti, vel coemeterio sita est.

Porro omnes eligere sibi possunt sepulturam, exceptis *impuberibus et religiosis.*

Religiosi enim utpote voluntate privati, in ecclesia sui monasterii vel in proprio coemeterio condi debent, nisi forte extra monasterium moriantur, neque ad illud commode deferri possint.

Impuberes vero iure quoque eligendi sibi sepulturam privantur, et parentes pro iis eam eligunt, si tamen id fiat ante eorum obitum; secus vel in gentilitia vel in parochiali conduntur.

Uxor vero in sepulturam nullam sibi elegit, et maritus ei est praemortuus, sepulcrum idem cum eo habere debet et si plures maritos habuit in ultimi sepulcro tumulanda est. Si vero maritus uxori sit superstes et sibi iam elegerit sepulcrum, vel gentilitium habeat, in hoc etiam uxor tumulanda est, nisi sibi propriam elegerit aut maritus voluntatem suam circa sepulturam non declaraverit. In hoc enim postremo casu uxor, vel gentilitiam si ei suppetat, vel parochialem sepulturam habere debet. At contra maritus, non in uxoris sepulcro, sed vel in parochiali vel in gentilitio condi debet.

Ad parochialem sepulturam quod attinet, id quoque animadvertendum est, eam semper esse praeferendam, si quis gentilitiam non habeat.

Insuper si quis duplex habeat domicilium, in ea parochia est sepeliendus, in qua vivens sacramenta percepit; si id in utraque factum est, locus datur praeventioni, vel ea deficiente episcopus rem componere debet.

426. Cum iis quae sepulturae iura respiciunt, ea etiam coniungenda sunt, quae ecclesiae leges statuunt de iuribus parochialibus circa funera. Porro

a) si defunctus in paroecia sepulturam habere debet, parochus ius habet eas recipiendi lege statutas oblationes fidelium, quae pro iustis funebribus persolutis dantur, et iura *stolae nigrae* appellantur;

b) si vero defunctus tumulandus sit in aliena ecclesia, tunc parochus ius habet benedicendi et associandi cadaver, atque insuper percipiendi *quartam funebrem;* quo nomine non quarta pars proprio sensu, sed generatim ea pars intelligitur, quae ab episcopo pro varia locorum consuetudine statui debet, atque parocho solvitur ex iis quae occasione funeris ab alia ecclesia percipiuntur. Verum magis determinata horum iurium funebrium ratio ex cuiusque dioeceseos peculiaribus statutis dignoscenda est.

427. Sunt tamen quidam, quibus ecclesiastica sepultura interdicitur vel in poenam, vel alia de causa. Hinc

a) ecclesiastica sepultura interdicitur *ob defectum ecclesiasticae communionis* iis qui vel nunquam Ecclesiam ingressi sunt per baptismum, vel ab ea egressi sunt, sive *voluntarie* ut apostatae, haeretici, schismatici manifesti, sive in *poenam,* ut *excommunicati vitandi,* aut *nominatim interdicti.*

b) Item aliis *ob praesumptam eorum perditionem.* Ii sunt suicidae, fures et latrones in actu criminis interfecti, item decedentes cum reatu criminis publici et notorii aut in iure expressi cui tanquam poena privatio ecclesiasticae sepulturae irrogatur, e. g. omissi praecepti paschalis.

c) *In odium criminis sive ad tempus, sive perpetuo:* ad tempus interdicitur sepultura sacra usurariis et raptoribus bonorum Ecclesiae, licet mandaverint damna compensari, donec reapse id factum sit; perpetuo vero iis qui in duello occubuerunt, etiamsi ante obitum signa dederint poenitentiae; quod etiam valet pro iis qui in torneamentis, ut dicuntur, aliisque ludis quae periculum instans mortis habeant, mortem oppetant. Verum pro modo practico quo hae leges Ecclesiae servari debent, attendendum est plura licet iniuria prohiberi in praesenti rerum statu a lege civili, quaedam etiam esse toleranda ad vitanda mala maiora. At cum leges Ecclesiae circa ius sepulturae servari nequeunt, coemeteria proprio sensu sacra non sunt, et tunc antequam cadaver tumuletur ipsum sepulcrum singillatim benedicitur (1).

(1) Cf. *Barbosa Iuris Ecclesiastici universi Lib. II. cc.* 9 *et* 10.

428. Pauca ob peculiaria praesentis nostri temporis adiuncta subiicimus de *crematione*. Crematio potest spectari, *in se*, et *in praesentibus rerum adiunctis*. Iam vero

a) in se; ab ea sensus humanus magisque christianus abhorrere videtur, usu nunquam universalis fuit, licet perraro vix necessaria; hinc ea desiit statim ac christiana religio coepit *publice* exerceri.

b) Huius autem christianorum traditionis multiplex eaque gravissima exstitit ratio; scilicet reverentia erga ipsum cadaver christiani demortui, spes futurae corporum resurrectionis, odium denique ethnicismi in quo consuetudo obtinebat corpora cremandi.

c) At vero longe aliud est, si cremationis instauratio in praesentibus rerum adiunctis consideretur. Neque enim aliud est, quam unum ex dolendis maxime indiciis iam magis magisque succrescentis socialis apostasiae a christiana religione. Id autem patet, sive

aa) personae attendantur, quae eam nunc maxime promovent, sunt enim hostes religionis manifesti; sive

bb) argumenta expendantur, quae a cremationis patronis proferuntur, quae tum materialismum, tum antichristianismum aperte praeseferunt, praeter quam quod pleraque nihil prorsus evincant. Quae vero *inhumationis* incommoda obtruduntur, tum ea omnino exaggerantur, tum non minoribus cremationis incommodis eliduntur (1);

cc) si denique effectus perpendantur, qui ex huiusmodi instaurato usu exsistere coeperunt, satis apparet religionis detrimentum exinde dubio procul secuturum. Hinc facile intelliguntur quae de crematione edita sunt a S. C. S. Officii decreta die 19 Maii 1887.

(1) Potissima quae a cremationis assertoribus proferuntur argumenta, expenduntur ac refutantur singillatim in ephemeride *La Civiltà Cattolica Serie 9. Vol. X. pagg. 287-303, 552 segg.*

TITULUS VI.

De reliquis ad priorem rerum ecclesiasticarum classem pertinentibus.

429. Praeter ea quae hactenus recensita sunt, quaedam supersunt quae et ipsa aliquo modo ad sanctificationem ordinantur, adeoque ad priorem classem pertinent rerum ecclesiasticarum. Ea autem sunt: I. *Utensilia sacra*. II. *Imagines et reliquiae sanctorum*. III. *Ius liturgicum* in tota sua amplitudine consideratum, prout festos dies, ieiunia et abstinentias ecclesiastica lege praescriptas, ac generatim quascumque ecclesiasticas observationes complectitur.

§ I. *De sacris utensilibus.*

430. Ea quae ad sacra utensilia, pro institutionum nostrarum ratione, pertinent, ad haec capita apte possunt revocari:

I. Utensilium nomine, aliis praetermissis huius vocis significationibus, intelliguntur ea omnia quibus sacra supellex constituitur ad altaris potissimum sacrificium rite celebrandum. Hac significatione utensilia dicuntur in iure canonico:

a) vestes sacrae sacerdotum, aliorumque ministrorum;

b) vasa sacra quae in re divina peragenda adhibentur;

c) alia demum altaris et ecclesiae ornamenta seu instrumenta. Liquet autem, quo propinquius atque intimius ad altaris sacrificium pertinent, ex iis alia aliis augustiora exsistere.

II. Ad sacerdotales vestes quod attinet sunt, qui distinguunt eas quae ad *privatum* sacrificium, eas quae ad *solemne* et eas quae ad *pontificale* spectant. Sed ratio sacrorum utensilium, quae a nobis hic unice spectatur, eadem in omnibus est. Vasa sacra quaedam *consecratione,* chrismatis adhibita unctione, ad altaris sacrificium destinantur, quaedam vero simplici *benedictione.* Quae consecratione indigent ab episcopis eam recipiant oportet, cum huiusmodi consecrationes *analogice* ad potestatem episcopalem ordinis referantur (284. d.); quamvis ut ibi animadvertimus, apostolico privilegio id fieri possit etiam ab iis qui episcopali

ordine non sint insigniti. Quin imo etiam **benedictiones communiter ab episcopo dari debent**, quamvis facilius iis qui episcopi non sunt facultas tribuatur sacras vestes benedicendi. (Bened. XIV. Inst. XXI).

III. Circa institutionem sacrorum utensilium, distingui debet inter generalem quamdam determinationem earum rerum quae ad sacrificium pertinent, etiamsi ad eius essentiam proprie constituendam non referantur, et particularem determinationem quae in variis ritibus adhibetur. Sicuti enim quae ad essentiam spectant, uti panis et vinum ad Christum institutorem immediate referri debent, ita quae ad rem sacram faciendam generatim spectant, ad apostolicam traditionem procul dubio sunt referenda. Haec porro traditio, ideo quia indeterminatam quamdam rei sacrae faciendae rationem exhibet, quoad potissima quaedam capita plus minusve universalis est in Ecclesia. Peculiaris vero illa, quam diximus, determinatio maiorem diversitatem admittit, unde et variorum rituum qui in Ecclesia sunt etiam in utensilibus sacris, exsistentia explicatur. Sed haec ad aliam remittimus disciplinam. Inter alias huiusmodi res sacras memorandae sunt campanae, eo quod peculiari ritu qui in Pontificali romano describitur, solemniter ab episcopo iis benedictione impertita ac indito nomine alicuius sancti, ad ecclesiasticum usum deputentur.

IV. De materia sacrorum utensilium, omissis iis quae ad rem nostram minus sunt necessaria, illud unum animadvertere sufficiat, vasa quae immediate Eucharistiae sacramentum excipiunt, ex pretiosa materia per se esse oportere. Hinc ea sunt vel aurea vel argentea, quin et gemmis varioque ornatu distincta esse possunt. Ratione tamen necessitatis minus pretiosa etiam admittuntur quoad materiam, requiritur tamen ut interior pars saltem sit inaurata. Quod vero spectat ad materiam sacrarum vestium aliorumque ecclesiasticorum instrumentorum, adeantur ii qui data opera de rebus liturgicis scribunt.

V. Forma vero exterior sacrorum utensilium maxima ex parte pendet ex locorum consuetudine, iis exceptis quae lege universali Ecclesiae vel universali consuetudine innituntur.

VI. Potissimum vero pertinet ad disciplinam iuris in re de qua agimus, lex ecclesiastica quae determinat tum quibus onus

incumbit sacris utensilibus ecclesias instruere, quod aliqua ex parte, ius patronatus attingit; tum quale ius est ecclesiarum aliquid pro utensilium expensis ex eleemosyna pro missarum celebratione detrahere; tum denique quibusnam attribuenda sint sacra utensilia Sanctae Romanae ecclesiae cardinalium et episcoporum post eorum mortem, qua de re consulenda est recens constitutio Pii IX quae incipit, *Quum illud* 1 Iunii 1847. *Cf. Tit. de Cons. Eccl. vel alt. (III. 40) in Decretal. et ibi DD. (De Sacris utensilibus data opera scripsit Fabius De Albertis Vol. I. II. Romae 1783, quem confer).*

§ II. *De sacris reliquiis et imaginibus.*

431. Res inter sacras, quippe quae ad sanctificationem et ipsae suo modo ordinantur; locum habent etiam Sanctorum reliquiae, sacraeque imagines. In his autem haec spectari possunt:

a) *fundamentum,* scilicet ratio illa ob quam *sacrae* fiunt, quae in dogmate catholico reperitur de cultu Sanctorum eiusque veritate et natura. Sed huiusmodi tractatio ad theologiam dogmaticam pertinet;

b) *peculiaris ratio,* qua eiusmodi cultus ab Ecclesia tribuitur; quae in ritu consistit sive *beatificationis* sive *solemnis canonizationis* (Cf. Bened. XIV. *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*);

c) *leges ecclesiasticae* ad liturgiam spectantes quibus statuitur, quaenam legitimae Sanctorum reliquiae haberi debeant, quaenam ex his aliae prae aliis sint *insignes,* quaenam publico cultu, quaenam vero privata tantum devotione coli debeant. Itemque huc pertinent ecclesiasticae leges liturgicae de *sacris imaginibus* prout scilicet earum materia, exterior forma, publica veneratio determinantur. *(Tit. de Reliquiis et veneratione Sanctorum III. 45 et ibi DD.).*

d) Patet autem auctoritatem universim statuendi in his rebus, uni Summo Pontifici tribui oportere, pro eius universali in Ecclesia iurisdictione. Sunt tamen unicuique episcopo in sua dioecesi circa haec in ecclesiasticis canonibus quaedam iura tributa. Sed de hoc alias disseruimus (344 I. *c*). *(Cap. Cum ex eo. De reliq. et ven.; Conc. Trid. Sess. XXV. De invoc. SS.) Cf. Ferraris, Bibl. can. v. Cultus SS.*

§ III. *De iure liturgico.*

432. Ultimo loco ius liturgicum generatim spectatum ad priorem rerum ecclesiasticarum classem referimus. Hoc autem nomine quodcumque ad sacras observationes pertinet, sive leges respiciat sacrorum rituum, sive dies festos, sive ieiunia et abstinentias ecclesiastica lege praescriptas, aliasque ecclesiasticas quascumque ceremonias complectimur (1).

433. In his etiam haec breviter innuenda veniunt:

a) eorum *fundamentum,* quod dupliciter spectari potest prout generalem Ecclesiae disciplinam refert, vel particularem locorum consuetudinem. Primum enim procul dubio ex apostolica traditione dimanat, quod patet etiam ex disertis testimoniis (2). Alterum vero licet quandoque ab uno vel altero etiam ex apostolis originem habere dicatur, plerumque ex multiplici causa pro varietate locorum repeti debet;

b) hinc etiam intelligitur quid sibi velit effatum illud « *lex credendi lege supplicandi statuitur* ». Nimirum publicus ecclesiae cultus intime nectitur cum ipsa fidei doctrina cuius in pluribus est *realis expressio* (3). Huic etiam accedit mystica sacrorum rituum significatio, ac generatim earum, quae in Ecclesia frequentantur, observationum *moralis* ac *socialis* utilitas;

c) *auctoritas* vero liturgici iuris statuendi pro Ecclesia universa ad unum Romanum Pontificem pertinet, quamvis quaedam etiam pro suis dioecesibus episcopis competant ut dictum est (344. I. *c*).

d) *Organum* vero quo *ordinario modo* hanc auctoritatem exercet Pontifex, est Congregatio sacris ritibus praeposita: cuius tamen decreta, uti superius animadversum est (56. *e*), paullo aliter spectanda sunt, prout *generalia* nuncupantur, et pro universa promulgantur latina ecclesia, vel privatis consultationibus respondent quaeque *ius faciunt* pro iis qui ea postularunt. De iis confer ex recentioribus *Bouix de Iure Liturgico p. II. Sect.* 2.

(1) Cf. DD. Ad titulos, De Observatione ieiuniorum (III. 46). De celebr. Miss. (III. 41); Bouix *De Iure Liturgico, 1873, ed. 3.*

(2) Bouix Op. cit., Par. III. c. 1.

(3) Ib. Par. 1. c. 7.

c. 6. Patet autem nos a clarissimi auctoris sententia discedere, quod attinet ad decreta *particularia* congregationis eiusdem, quibus ipse vim *legis universalis* tribuit.

TITULUS VII.

De ecclesiae iure in bona temporalia.

434. Iuxta initio statutam partitionem, ad res ecclesiasticas referenda quoque sunt quaelibet bona temporalia quae Ecclesia habet sicuti quaecumque alia societas. Licet enim haec natura sua humana prorsus sint, ac nullam per se habent cum fine Ecclesiae habitudinem, quia tamen *res Ecclesiae* fiunt, et ab ea adhibentur ad sui finis *plenam* assecutionem, ecclesiastica evadunt et nominantur. Pro diversa autem ratione, qua huiusmodi res temporales ab Ecclesia habentur, variae oriuntur species bonorum ecclesiasticorum. Liquet autem tum ad tractationis perspicuitatem, tum ad demonstrationem ipsius veritatis maxime conferre, si prius quam de singulis determinatis speciebus disseratur, nonnulla generatim praemittantur de Ecclesiae legitimo iure in bona temporalia. Id autem ad triplex caput commode redigi potest, scilicet ad ius *possidendi, administrandi, alienandi*. His enim quilibet actus, qui circa temporalia bona ab Ecclesia poni potest, procul dubio exhibetur; siquidem vel ad *acquirenda*, vel *conservanda*, vel *alienanda* bona temporalia necessario ordinari debet.

§ I. *De iure possidendi.*

435. Vix opus est Ecclesiae ius vindicare possidendi bona temporalia: id enim tum Ecclesiae *doctrina*, tum Ecclesiae *historia* apertissime constat. Etenim

I. Ut brevissime aliquid dicamus de Ecclesiae doctrina, constat *primo* Ecclesiam pluries hanc proprietatem rerum temporalium sibi ita vindicasse, ut iis quae in eius erant potestate *rerum sacrarum* characterem inditum ediceret ac peculiare *immunitatis* privilegium: simulque in varios haereticos, proprietatem hanc ei abiudicantes, veluti Evangelio ac Christi exemplis adversam,

anathematis etiam poena animadverteret. Itemque *secundo* constat, Romanos Pontifices pluries editis constitutionibus gravissimas statuisse poenas contra usurpatores quoscumque bonorum ecclesiasticorum, ac numquam omisisse solemniter protestari, quotiescumque nedum a privatis hominibus, sed etiam a civilibus societatibus quocumque obtentu Ecclesia suis temporalibus bonis per summum nefas expoliata fuit. Atqui hic profecto evidens continetur de hoc legitimo iure aperta ecclesiae doctrina (1).

II. Doctrinae accedit factum constans quod ipsa Ecclesiae historia luculenter testatur. Quemadmodum enim vel in ipso sui exordio (2), Ecclesia fidelium facultatibus sponte ab iisdem oblatis ditata fuit, ita per continentem saeculorum seriem ad haec usque tempora, vario quidem modo pro maiori minorive qua frui potuit libertate, huiusmodi res temporales possedisse atque adhuc possidere omnibus notum est. Verum quia huiusmodi historica evolutio ecclesiasticae possessionis aptissime connectitur cum tractatione de beneficiis ecclesiasticis de quibus nobis paulo inferius sermo erit, eam hic solum innuisse sufficiat.

III. Si autem fundamenta inquirantur, quibus et doctrina Ecclesiae et historia innituntur, haec tria sunt, prout nempe ius possidendi, quod ecclesia habet, consideratur comparate ad ius *naturale*, ad ius *sociale*, ad ius *divinum positivum*. Iam vero

a) cum constet ex iure naturae legitimam haberi multiplicem causam ex qua ius illud exoritur, quod *proprietatis* dicitur, quumque *per se* nulla sit ratio quae ab Ecclesia ex positiva Christi voluntate hanc possessionem excludat, dicendum est, quo iure naturali individuum quodlibet sive *physicum* sive *morale* legitime possidet, eo etiam Ecclesiam legitime bona sua possidere (3).

b) Si vero Ecclesia ut societas spectatur eaque perfecta adeoque ab alia qualibet independens, multo magis ei tribuendum est ius illud possidendi quod cuilibet perfectae societati procul dubio asseritur (4).

(1) *Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 11 de Ref.* « *Pius IX. Const. Ap. Sedis 12 Oct. 1869* » *Syllab. prop. 26. etc.*

(2) *Act. Ap. II. 45.*

(3) Cf. *Taparelli. Saggio teoretico* etc. nn. 399-419.

(4) *Taparelli* Op. cit. nn. 1470-1473.

c) Si demum potissimum attenditur, Christum ita Ecclesiam suam instituisse, ut eam tum ex eius natura, tum ex positiva sua voluntate, societatem independentem, perfectam atque supremam esse statuerit, iam illud ius quod tamquam mere sociale hactenus spectavimus, *ius divinum positivum* evadit. Bona enim temporalia in hac hypothesi pertinent ad ea media, quibus Ecclesia, quae *hominibus* constat, ad plenam utitur finis sui *supernaturalis* assecutionem. Hinc Ecclesia rationem veluti *spiritualis,* bonis iisdem impertitur, ac sacra quasi constituit, adeo ut eorum usurpatio, nedum iniusta, sacrilega evadat. Liquet igitur ius Ecclesiae possidendi bona temporalia negari non posse, quin hoc ipso, non tantum christiana dogmata, sed ipsa naturalia principia inficiari quis velit.

IV. Si vero quaeratur quodnam proprie sit subiectum huius iuris, scilicet quis proprie bona Ecclesiae possideat, arbitramur ideis maxime distinctis, hac in re opus esse omnem aequivocationem adimere. Itaque

a) Si de omnibus qui in Ecclesia praesunt, uno dempto Romano Pontifice, imprimis sermo fit, manifestum est, eos ecclesiastica bona quaecumque non ita possidere ut *plenissimo et adaequato iure* eorum sint *domini.* Praeterquam quod enim pro eorum *alienatione* legibus Ecclesiae obstringuntur, non solum *quoad liceitatem,* sed etiam quoad *validitatem* actus; ex ipsis Ecclesiae legibus constat, *usum* quoque eorum non esse undequaque in arbitrio positum. Non igitur dici potest, bona ecclesiastica eo sensu ab iis possideri qui ea obtinent, ut *plenissimum* ius in ipsa habeant.

b) Si vero agatur de ipso Romano Pontifice, a quo ceu fonte ex Christi institutione omnis potestas iurisdictionis in ecclesia dimanat, dici debet, ad Eum aliquo pacto etiam pertinere quidquid ad ius possidendi bona temporalia refertur, prout *Ecclesiae Christi* vindicatur. Hinc est quod plenissimum illi competit ius quomodolibet administrandi, et alienandi, quae duo profecto cum iure possidendi intime nectuntur.

c) Quia tamen id fieri debet *in bonum Ecclesiae,* ad cuius supernaturalem finem bona quaecumque temporalia ordinantur, hinc dicendum est etiam ipsum Romanum Pontificem in bona Ecclesiae dominium ita habere, ut semper finem ac bonum Ec-

clesiae prae oculis habere debeat. Haud tamen inde sequitur, nostra quidem sententia, fieri posse, ut *quilibet actus* qui ab eo, *tamquam Pontifice* ponatur, circa bona temporalia ecclesiastica, argui possit tamquam limites excedens suae potestatis. Accedit nullam profecto esse auctoritatem humanam quae, praeter ipsum Pontificem, iudicare possit ac debeat, an aliquid Ecclesiae bono conveniat nec ne circa acquisitionem, administrationem, alienationem bonorum temporalium, quae sunt in Ecclesiae potestate.

d) Hinc intelligitur, quonam sensu dominium propemodum bonorum omnium ecclesiasticorum temporalium, etiam summo Pontifici, tamquam *subiecto eminentiori* vindicemus. Non enim contendimus, bonorum ecclesiasticorum dominium, ad particulares personas aut coetus vel si *complexive,* ut dicunt, spectetur, ad Ecclesiam universalem non pertinere, sed cum quaelibet societas apte repraesentetur quoad sua iura, per auctoritatem ipsam socialem, id etiam dicendum est de Christi Ecclesia, eam scilicet per Romanum Pontificem, qui eius visibile caput a Christo constitutum hac in re repraesentari. Hoc pacto censemus apte componi discrimen inter nostram sententiam, et eam quae tenet summum Pontificem verum ac proprium dominium non habere bonorum ecclesiasticorum, quod aliquatenus veritati consonum est. Cum enim ambiguum esse possit, quid veri ac proprii dominii nomine intelligatur, ac si summus Pontifex aliter, quam in bonum Ecclesiae de rebus temporalibus posset disponere, hinc diximus, eum nonnisi iuxta Ecclesiae finem, dominium illud habere bonorum ecclesiasticorum. Quando igitur quidam dicunt, Pontificem habere quidem plenum ius administrandi bona temporalia, possessionem vero eorumdem esse penes particulares personas aut coetus vel complexive penes Ecclesiam vel ipsum Christum, quod sane idem est ac *iure divino,* non re sed verbis dumtaxat a nobis differunt (1). Cum enim Ecclesia iuridice a Summo Pontifice repraesentetur, etiam in nostra sententia dici potest ac debet, ius possidendi penes Ecclesiam esse.

e) Neque obest, ni fallimur, quod titulo aliquo *iure etiam naturae legitimo,* ex. gr. *testamenti, donationis, iurispatronatus* etc. peculiari adiecta aliqua conditione, bona illa Ecclesiae

(1) Ita ex. gr. Schmalzgr. *De pecul. Cler. (III. 25) n. 3.*

tribuantur, ita ut esse debeant in possessione alicuius determinati ecclesiastici coetus saecularis aut regularis. Censemus enim, si modeste sententiam nostram aperire fas sit, *implicitam* semper contineri, in quacumque hypothesi, hanc conditionem: *nisi Summus Pontifex de plenitudine potestatis in Ecclesiae bonum, cuius ipse unicus iudex est, aliter disponat.* Hoc etiam potest hac illustrari animadversione, bona huiusmodi, *ecclesiastica* eo pacto evadere, quod ab Ecclesia acceptentur. Verum autem repugnans, ut Ecclesia aliquid acceptet aliter quam *in bonum suum.* Hoc igitur a dantibus semper praesupponitur.

f) Si vero nulla sit conditio ab eis apposita qui bona sua temporalia Ecclesiae largiuntur, multo magis id intelligi debet.

g) Ceterum haud nos latet nonnullos esse qui a nostra hac discedunt sententia; at non eae sunt rationes quibus innituntur, quae nos moveant ut nostram deseramus; potissimas enim ex his iam expendimus (heic *c. d. e.*) (2).

Scholion

Sententia quam tuemur, quae Romano Pontifici tribuit *ius eminens possidendi omnia ecclesiastica bona,* eius momenti est, ut uberiorem aliquam declarationem mereatur.

Ad ea vero rite intelligenda quae dicturi sumus, haec in primis notanda:

I. Ius possidendi bona temporalia ita Ecclesiae tribuendum est ut *negative,* si ita loqui fas est, quodlibet subiectum in antecessum excludatur quod ad Ecclesiam *formaliter* spectatam non pertineat, ac nominatim civilis potestas; *positive* vero quodlibet generatim includat iuris subiectum quod vel ipsa Ecclesia *universalis* sit sive *formaliter* sive *aequipollenter* (hoc est Romanus Pontifex) vel *pars aliqua eiusdem Ecclesiae.*

II. In hac disputatione universa prae oculis habendus potissimum est Ecclesiae finis, tum sedulo relatio est perpendenda quam bona temporalia ad huiusmodi finem prae se ferre in comperto est.

(1) Cf. *Schmalzgrueber, De Peculio cleric. (III. 25) n. 3,* et *De Testam. (III. 26) n. 213 § Si primum.*

Si enim Ecclesia Christi spectetur, prout revera est, ut institutio divina, iam ius illud possidendi bona temporalia quod eidem asseruimus ex iure naturae tum individuali tum sociali, *divinum* etiam *positive,* ut superius diximus est et dici debet. Tunc enim

a) sicuti finis *supernaturalis* tum proximus in *hominis* sanctificatione tum ultimus in *hominis* aeterna beatitate procuranda, est Ecclesiae divinitus praestitutus, ita et divinitus ei collatum fuit ius ad media huic assequendo *quacumque ratione* necessaria. At vero

b) bona temporalia, ex hac ordinatione licet remota et extrinseca, novam qualitatem induunt qua aliquid de ratione finis supernaturalis et spiritualis participant et formula illa effertur: *ea bona res sacras fieri;* adeo ut iniusta eorum usurpatio, nedum furti sed et sacrilegii scelere probrosa evadat.

c) Multo vero magis ex hoc profluit, ius huiusmodi quippe longe excellentius, a qualibet aliena potestate extra Ecclesiam omnino independens esse et dici oportere.

d) Porro luculenter id confirmat Ecclesiae catholicae constans et solemnis doctrina sive thetica sive polemica. Etenim

α) Ecclesia bonorum temporalium usum ac proprietatem semper sibi vindicavit, ex ipsa lege divina, Christi ipsius et apostolorum exemplo firmata;

β) rebus huiusmodi utpote sacris *immunitatis* privilegium attribuit, illudque *generatim* divinum edixit;

γ) *universalem* negationem *theoreticam* iuris non solum ut falsam sed ut plane haereticam proscripsit;

δ) *practicam* vero *iuris violationem* tum a privatis hominibus tum ab ipsis civilibus societatibus *quocumque obtentu* admissam sanctionibus suis ac gravissimis poenis coercuit atque mulctavit, et nunquam omisit adversus eam solemniter protestari (435).

III. Hinc etiam sequitur, notiones *proprietatis, usus, dominii, administrationis,* etc. ita ex iure naturae seu individuali seu sociali esse desumendas, ut *pro natura Ecclesiae quae societas est divinae positivae institutionis eiusque finis* sint explicandae ac circumscribendae.

IV. Attamen non eo pacto id est faciendum ut una cum al-

tera praepostere misceatur ex. gr. *dominium* cum *administratione* sed singulorum conceptuum vera ac essentialis natura servetur. Unde consequitur, facta hypothesi, societatem perfectam ius suum in bona temporalia triplici *essentiali* functione *possidendi, administrandi, alienandi,* evolvere debet, id etiam Ecclesiae Christi quae perfecta societas est esse tribuendum.

V. His praemissis animadversionibus ad tractationem accedimus *de subiecto iuris possidendi bona temporalia Ecclesiae.* Qua in re proferemus primo praeclariorum doctorum in iure nostro sententias, tum modeste quae nobis veriora videntur proponemus. Disputant de hac re DD. NN. nominatim ad titulum XXV. libri III. Decretalium qui est *De peculio clericorum.*

VI. Schmalzgrueber *(de pec. cler. nn. 1. sqq.)* haec habet:

a) praemittit (in prooem.) *peculii* nomen latiori significatione usurpari prout significat *quodcumque patrimonium*, sive bona alicuius etiam qui sui iuris est *Leg. Cogi 16 princ. D. S. C. Trebell.* tum bona quae clericis obvenire possunt triplicis esse generis: *patrimonialia* quae haereditario aut alio quolibet legitimo *civili* iure obvenire possunt; *quasi patrimonialia,* quae a clericis acquiruntur ut talibus sed intuitu sui laboris (concionum, missarum, iurium stolae etc.) vel parcius (non tamen sordide) vivendo et peculiari appellatione *parsimonialia* dicuntur: *ecclesiastica* quae vel *beneficialia* sunt vel *simpliciter ecclesiastica.*

b) Beneficialia sunt « *reditus seu proventus annui, quos clerici ratione alicuius dignitatis vel beneficii in titulum collati percipiunt* ».

Ecclesiastica vero simpliciter appellantur et sunt « *bona ac res mobiles vel immobiles ipsarum ecclesiarum aliorumque locorum sacrorum et religiosorum, quibus clerici serviunt vel praesunt, impendenda in eorum fabricam, ministrorum salaria, eleemosynas pauperum, infirmorum curam, quibus accensentur villae, praedia et fundi ex quibus reditus beneficiales proveniunt* ».

c) His statutis definitionibus, aggreditur Schmalzgrueber directam quaestionem « *quis dominium bonorum ecclesiasticorum a beneficialibus distinctorum habeat* ».

Recenset primo sententiam eorum qui dominium illud Christo tribuunt eorumque argumenta; tum vero

d) distinguit inter dominium *particulare,* seu quod eodem redit, partis alicuius bonorum ecclesiasticorum, et dominium *universale* scilicet « *in omnia ecclesiarum et monasteriorum bona* ». Porro

e) ad dominium particulare quod attinet dicit communem esse sententiam illud esse penes ipsas ecclesias, collegia, et capitula clericorum aut si haec desint penes communitatem fidelium ad ecclesiam spectantium, si ecclesia sit secularis, si vero sit regularis penes monasteria ipsa seu conventus et communitates religiosorum si illa dominii sint capacia. Maxime vero notanda sunt quae sequuntur n. 5: « addidi dominium particulare, « si ecclesia sit regularis esse penes ipsa monasteria, si haec « dominii sint capacia, nam si incapacia sint dominii, domi« nium *etiam particulare rerum ipsis oblatarum erit penes Se« dem apostolicam* vel etc. ».

At vero ratio ipsa loquendi « *etiam* etc. » innuere videtur, dominium *universale* iam esse *penes Sedem Apostolicam,* adeoque loquutiones, *penes Christum, penes Ecclesiam universalem, penes Sedem apostolicam* aequipollentes esse.

f) Quod vero spectat ad dominium *universale,* hoc inquit, *Ecclesia universalis habet.*

Hae formulae, uti et alia dominium bonorum esse penes Christum, si rite intelligantur, maxime ut videbimus conferre possunt ad hanc controversiam dirimendam.

VII. Pirhing (eod. tit.) data opera nec meminit dominii illius quod *universale diximus,* sed ex iis quae habet de duplici controversia, utrum clerici beneficiarii ex lege iustitiae teneantur reditus superfluos beneficiorum erogare in pios usus et *ad quem* pertineant bona adquisita a clerico beneficiario et meliorationes factae in rebus ecclesiae, num ad ecclesiam an vero ad ipsum beneficiarium, satis patet cum iis quae ex Schmalzgrueber retulimus consentire. Cf. etiam quae habet ad tit. V. de praeb. et dignit. Sect. III. § 1. n. 74.

VIII. Reiffenstuel (ad tit. XXV. de pec. cler.) nn. 47, 48 post expositam sententiam negantem clericos dominium habere redituum superfluorum beneficiorum proponit obiectionem contra hanc sententiam et solvit. En eius verba: « Obiiciunt adhuc: « non potest ostendi, sub cuius dominio existant bona ecclesia-

« stica superflua vel quisnam eorum dominus sit, si clerici eo-
« rum dominium non habent. Ergo.

« Respondeo negando ant. Quia dominus eorum optime di-
« citur esse Christus non quidem universali illa ratione quia
« *Domini est terra et plenitudo eius* (Psal. 21) sed speciali et
« quidem hac: quia eidem eiusque intuitu offeruntur ac sub nul-
« lius alterius dominio exsistunt. Et ob hanc rationem toties in
« iure vocantur patrimonium Iesu Christi *Cap. Cum secundum*
« *de praeb. Cap. Cum ex eo de Elect. in 6*. Eadem ratione
« dicuntur *Res Dei* Conc. Trid. Sess. XXV. c. 1 de Ref. item
« *Pecunia Christi, can. 1. ca. 12. q. 2* »...

« Et sane mirari non debent adversarii, quod doctores se-
« cundae sententiae quaedam bona superflua nempe ecclesiastica
« constituant *extra omne humanum dominium* eorumque domi-
« num solum Deum asserant, quia id ipsum fateri et ipsi de-
« bent de bonis ad fabricam ornatumque ecclesiarum proprie
« designatis. Cum enim haec bona non sint in dominio laico-
« rum, ut certum est, nec clericorum, utpote qui iuxta omnes
« adversarios illorum tantum dispensatores exsistunt, neque do-
« minus eorumdem sint ipsi lapides et ligna seu materialis ec-
« clesia, consequens est, praefata bona in penitus nullo *homi-*
« *num,* sed *solius Dei,* cui et intuitu cuius offeruntur dominio,
« existere ».

IX. At vero plura hic nobis veniunt animadvertenda: Etenim

a) statuitur in primis generale principium, bona ecclesiastica *qua talia* in alicuius *dominio* esse debere;

b) ratione, ut dicunt, *exclusi medii,* hoc dominium Christo adscribitur, quod inferius explanabimus;

c) exclusio *dominii humani,* prout fit ab auctore, supponit dominii notionem mere naturalem et cuilibet rei ac personae communem, secus ac in praenotionibus diximus esse faciendum (heic III.);

d) at simul ex his patet eatenus invicem adversari notiones *dispensatoris* et *domini,* quatenus non quodlibet subiectum multoque magis *eminens* excluditur sed illud quod *mero humano modo* dominium habet in rem quam possidet. Haec animadversio nobis usui erit in nostra sententia statuenda.

X. Ex recentioribus conferri prae ceteris possunt Aichner

(Compend. I. E. § 218, coll. 102 init.) Phillips (Comp. I. E. edit. a Vering, 1875 ed. tertia §§ 207, 208), et Hirschel (in Archiv. Iuris Eccl. cath. ed. a Vering, ann. 1875. Vol. 28 novae seriei § 26, pag. 327) qui censent Ecclesiam universalem dominium universale de quo agimus habere. De quibus idem ac de superioribus allatis doctoribus dici potest.

XI. Reliquum est ut breviter eam quam amplectimur proponamus sententiam. Quod ut clarius ac validius exsequamur, primo argumenta afferemus quibus innititur; secundo, nonnullas rite explanabimus formulas quae ad hanc controversiam pertinent; tertio demum principia indicabimus, pro solutione difficultatum. Sedulo tamen prae oculis habendae sunt animadversiones quas consulto praemisimus.

XII. Ad primum haec faciunt:

a) certum est Ecclesiae tribuendum esse ius *adaequatum* in bona temporalia;

b) item certum est ius adaequatum *tres essentiales* functiones complecti possidendi, administrandi, alienandi;

c) ergo certum est etiam ius possidendi Ecclesiae esse tribuendum;

d) porro subiectum immediatum et *visibile* omnium iurium Ecclesiae quando ea non partim sed universaliter spectatur unus est Romanus Pontifex. Is igitur aliquo modo sed necessario, subiectum *visibile* esse debet iuris possidendi;

e) at simul certum est modum quo ius inest in Romano Pontifice non quovis arbitrio sed determinari pro ratione finis Ecclesiae cuius is est caput visibile;

f) hinc notiones dominii, possessionis, proprietatis non possunt desumi ex conceptu naturali philosophico et iuridico absque aliqua correctione;

g) id autem vera simul ac concinna formula effertur, qua Romanus Pontifex *subiectum eminens iuris possidendi* appellatur.

h) Aliud argumentum pro hac sententia habetur ex eo quod notio supremi dispensatoris quam adversarii urgent non differat a notione *eminentis iuris possidendi* nisi ut *actus secundus ab actu primo*. Suprema enim dispensatio est actuale exercitium *eminentis iuris possidendi*.

i) Item longe aptius ea explicantur et intelliguntur quae de

bonis ecclesiasticis sacrilegis direptionibus usurpatis, ad maiora mala devitanda Romani Pontifices statuerunt in concordatis initis hoc saeculo XIX nominatim in concordato gallico anni 1801.

k) Neque demum huic nostrae sententiae deest suum ex DD. auctoritate praesidium, de qua re conferri potest Fagnanus in Comm. *ad cap. Relatum 7. Ne clerici vel Monachi n. 26 sqq. (III. 50).*

XIII. Iam patet quo pacto intelligendae et explicandae sint formulae quae hunc pertinent vel enim

a) *negative,* Romano Pontifici negant dominium et possessionem bonorum ecclesiasticorum et hae tum comparatione facta cum alia eum esse supremum dispensatorem, tum ex modo ipso loquendi ita explicantur, quatenus conceptibus mere philosophicis et communibus dominium et possessionem exhibent, vel

b) *positive,* supremam dispensationem adscribunt et iam diximus quid significent; (XII. *h*) aut Christo tribuunt dominium et id solum significat ius non esse *humanum* sed *divinum;* (IX. *c*) aut illud tribuunt Ecclesiae *universali,* et hoc spectat solum *ad factum materialis possessionis* cuius *forma* est supremum ius eminens Rom. Pontificis.

XIV. Denique facile difficultates quae obiici possunt solvuntur. Quae enim ex formulis depromuntur non solum disiiciuntur sed optime retorquentur. Qui vero dicunt Romanum Pontificem in sua deprimi quodammodo dignitate, facile revincuntur, quia non quodcumque sed *eminens* subiectum esse dicitur.

Denique iis qui adversus nos urgent, ex nostro argumentandi modo qui societatis perfectae conceptu nititur, illud sequi tribuendum quoque tum esse principi *ius eminens in bona privatorum,* respondemus:

a) nego paritatem, neque enim bona *simpliciter ecclesiastica* sunt bona *privatorum* quin imo haec nota prorsus ab iis excluditur (vide superius nn. IV sqq.)

b) *distinguo,* ius eminens possidendi tribuendum est principi *nego,* ius anteferendi bonum communitatis iuri privatorum possidendi conc. et iterum nego parit. Patet ex lege quam vocant *expropriationis* ob publicam *utilitatem, servitutis militaris quoad domus, praedia* etc.

At vero longe magis ex dictis competit Pontifici quoad ec-

clesiastica bona. Nulla ergo inter ipsum et quemcumque principem civilem analogia ex qua difficultas petebatur.

Cum autem ea quae ad ius spectant possidendi, ex rite constituta indole *iuris administrandi Ecclesiae bona* mirifice illustrentur, de eo nunc etiam est disserendum.

§ II. *De iure administrandi.*

436. Ea quae spectant ad ius possidendi quod Ecclesiae vindicavimus, sponte sua connectuntur cum iis quae ad ius administrandi pertinent. Quin imo dici potest ex indole ecclesiasticae possessionis, eam maxime *administratione,* contineri. Vocamus autem ius administrandi illud quod et rei conservationem, et eiusdem usum, ac dispositionem complectitur. Potest autem distingui ius administrandi generatim consideratum, et ius administrandi quod determinatis ecclesiasticis personis competit.

a) Si generatim administratio ecclesiasticorum bonorum spectatur, dicendum est eam ita ad Ecclesiam pertinere, ut nulla ratione laicis sit permittenda. Hinc pluries Ecclesia suis sanctionibus hanc plenam libertatem in administratione bonorum ecclesiasticorum, contra usurpationes civilis potestatis vindicavit.

b) Pro diversa autem ratione qua bona temporalia ab Ecclesia possessa sunt, varia etiam fuit ratio eadem administrandi. Quamdiu enim in unaquaque dioecesi in unicam veluti massam collecta exstitere, horum administratio uni episcopo, qui idoneos ad hoc adhibebat ministros, tribuebatur: facta vero divisione ex *institutione beneficiorum ecclesiasticorum,* horum administratio iis profecto committi opus fuit qui ea habebant.

c) Generalis tamen regula in administratione ecclesiasticorum bonorum haec fuit; praeter ea quae ad decentem clericorum sustentationem necessaria forent, reliqua in pauperes eroganda vel ad divinum cultum augendum dedicanda esse.

d) Illud etiam multiplici ecclesiastica lege cautum fuit, ut qui administrationem bonorum ecclesiae susciperent, statis temporibus rationem huius redderent episcopo cuiusque dioecesis. Quod porro episcoporum ius circa administrationem locorum piorum quorumcumque hodiedum lege ecclesiastica viget, ut distinctius dicemus agentes inferius de locis piis.

e) Denique ad hanc bonorum ecclesiasticorum administrationem generatim spectatam pertinent etiam leges ecclesiasticae, quae eorum alienationem moderantur; quae tamen cum magni sint momenti, peculiarem tractationem requirunt iuxta partitionem initio statutam. Patet exinde, quodnam sit fundamentum huius iuris quod Ecclesiae competit, administrandi sua bona, et quaenam generales leges quibus subiicitur.

f) Si vero ad peculiares personas gradum facimus, quibus in ecclesia bonorum temporalium administratio tribuitur, haec brevissime veniunt notanda:

aa) ex iis quae diximus de iure possidendi prout illud Romano Pontifici competit, liquet *plenissimum* ius administrandi eidem tribuendum esse. Hinc sequitur, quot sunt ecclesiastica bona, ita ad eius *plenitudinem potestatis* referri, ut de eisdem saltem *quoad validitatem actus* possit quomodolibet disponere, sive eorumdem possessionem ab uno ad alium transferendo ita tamen, ut in Ecclesiae generali possessione permaneant; sive etiam ea, quando opus est, in ecclesiae bonum vel ad maius malum devitandum, alienando, ut pluries per concordata factum fuisse constat.

bb) in singulis vero dioecesibus episcopus, circa administrationem bonorum quae in iis exsistunt, supremam habet potestatem, nisi peculiari exemptionis privilegio ab eius iurisdictione subducantur. Huc pertinet ius quod eidem competit visitandi loca pia et ab eorum administratoribus exigendi rationem.

cc) Regulares vero, quippe qui exemptionis privilegio fruuntur, quoad administrationem suorum bonorum nullo obstringuntur officio erga episcopum, sed determinatis legibus Ecclesiae ea statuta sunt quae ad bona regularium administranda pertinent; de quibus agendum erit in titulo de monasteriis.

dd) Qui vero inferiores sunt episcopo administratores, triplici potissimum ligantur officio; scilicet

I. Iurisiurandi religione, sese obstringere tenentur, se fideliter bona illa curaturos; tum eorumdem accurata inventaria conficere, ac demum, ut iam animadvertimus, statis temporibus episcopo vel eius delegato rationem reddere.

II. Alterum administratorum officium est, ut res sibi commissas, non solum ita custodiant, ut nullum capiant detrimen-

tum, verum quantum fieri potest curent ut in meliorem conditionem deveniant. Hoc enim omnino decet eos qui patrimonium Christi et pauperum administrandum suscipiunt.

III. Ultimum administratorum officium est, ut bona sibi commissa in eos usus impendere satagant, quibus sunt destinata: hic vero innectitur multiplex controversia, quae tum ad conscientiae, tum etiam ad externum forum pertinet, scilicet, quaenam obligatio clericis insit circa usum bonorum ecclesiasticorum, quaeque iis necessaria, quaeque superflua dicenda sint. Item ex quonam titulo iustitiae vel charitatis haec obligatio sit deducenda, et quaenam proinde exsistat restituendi obligatio, si male iis clericus utatur. Denique quotuplici modo spectari debeat *peculium clericorum,* prout bona *patrimonialia,* quasi *patrimonialia* et *ecclesiastica* proprie dicta complectitur. *V. Scholion ad § I. (heic).* Sed de his consuli possunt doctores ad titulum *De peculio clericorum* (III. 25); nominatim Leurenius et Zallinger (1).

§ III. *De iure alienandi.*

437. Quemadmodum ad Ecclesiam pertinet, quoad bona temporalia, ius possidendi et administrandi, ita eidem competit ius ea alienandi, si id sui finis ratio forte requirat.

Hinc in Decretalibus est titulus inscriptus *De rebus Ecclesiae alienandis vel non,* uti et in Decreto leges habentur de eadem re (2). Alienatio proinde bonorum ecclesiasticorum, non quocumque modo, sed determinata ecclesiastica lege fieri debet.

Quare ut plene notio habeatur eorum quae spectant ad alienationem bonorum ecclesiasticorum, haec statuenda sunt:

a) determinari in primis debet notio rerum ecclesiasticarum;

b) item recensendi sunt ii actus, qui alienationis nomine veniunt;

c) leges quoque proponendae sunt, quas ecclesia statuit hac de re;

(1) Ferrari Iosephus. Op. cit. SS 595 seqq. Synod. Rom. sub Symmacho. (502) Sabb. et Mansi Tom. V. col. 475.

(2) *Lib. III. tit. 13; in VI. tit. 9; in Clem. tit. 4; in Extrav. tit. 4. cap. unic.; in Decr. Gratiani, Cau. XII. q. 2.*

d) denique subiiciendae, si quae sint ab iis legibus exceptiones.

I. Nomen ecclesiae hic se porrigit ad quemcumque locum pium auctoritate episcopi constitutum; et res ecclesiae proinde dicuntur ea omnia quae ad illum pertinent. Nomen enim ecclesiae, ut ait Leurenius (1), in hac materia favorabili late accipitur, ita ut non tantum loca sacra seu consecratione vel benedictione ad rem sacram addicta, ut sunt templa, capellae, oratoria, comprehendat, sed etiam se extendat ad alia quaevis loca pia et religiosa, ad pietatis et misericordiae opera ibidem exercenda vel alia eiusmodi auctoritate ecclesiastica constituta aut deputata, citra consecrationem et benedictionem episcopalem; ut sunt monasteria, conventus, congregationes, xenodochia et hospitalia, etc.

II. Ad rite intelligendas leges de alienatione rerum ecclesiasticarum, sedulo attendenda est earum divisio, quae in iure canonico passim adhibetur. Itaque

a) Res aliae dicuntur *corporales,* quae scilicet sensibus externis subiiciuntur, uti aedes, horti, agri, vineae, pecuniae etc.; aliae vero *incorporales,* quae nempe sensibus externis haud sunt ex sese subiectae, licet facultatem exhibeant aliquid agendi quod est sensibile. Tales sunt *servitutes, actiones, obligationes* etc.

b) Res corporales subdividuntur *in mobiles* et *immobiles.* Priores sunt vel *semoventes* vel *simpliciter mobiles,* prout de loco ad locum vi sua vel aliena transferri valent.

c) Notandum tamen est, actiones, obligationes, et iura, quamvis ex dictis, utpote incorporales, neque mobilibus neque immobilibus per se sint annumerandae: quia tamen habent se tamquam accessorium, quoad res circa quas dantur, hinc ex iisdem nomen veluti accipiunt, et sive mobiles sive immobiles dicuntur pro rerum diversa ratione quibus inhaerent (2).

d) Res immobiles sunt *naturaliter* vel *civiliter,* prout earum natura vel legis dispositio efficit ut immobiles reputentur. Item in huiusmodi immobilibus naturaliter rebus, quaedam habentur tanquam exigui omnino pretii, unde peculiaris pro iis habetur inferius recensenda exceptio.

(1) Forum eccles. *in h. t.* § *I. q. 141.*
(2) *Schmalzgr. in h. t. nn. 1-4.*

e) Mobiles vero res iterum subdividuntur *in pretiosas* et *non pretiosas;* pretiosae sunt vel *materia,* ut aurum, argentum, gemmae etc., vel *artificio,* ut opus eximium sculptile, anaglypticum, etc. vel *fructu,* ut grex ovium; secus ut non pretiosae habentur.

Denique res mobiles, aliae sunt quae *servando servari possunt,* aliae vero quae *servando servari nequeunt,* uti ex. gr. vinum, oleum, frumentum, quae nisi consumantur, inutiles evadunt eo quod brevi spatio corrumpuntur.

III. Actus porro qui in iure nostro alienationis nomine veniunt ii omnes sunt quibus dominium *plenum,* vel *utile* aut transfertur aut saltem minuitur. Quin imo et locatio ultra triennium facta, ut alienatio habetur (1).

IV. Iam recensendae sunt leges quibus Ecclesia vetat aut permittit alienationem rerum suarum, pro illa multiplici earumdem nuper recensita divisione. Itaque

a) principii instar in hac materia haberi debet, rerum ecclesiasticarum alienationem generatim vetitam esse, adeo ut quando permittitur, non nisi praestitutis modis iuxta certas leges et circa determinatas classes et debitis cautionibus servatis, id fieri possit;

b) iam vero Ecclesiae legibus alienari vetantur, *alienatione voluntaria,* quae scilicet ex mero pendeat arbitrio ac nulla lege obstringatur, res immobiles aut mobiles pretiosae et quae servando servari possunt;

c) hinc ad harum alienationem rite faciendam requiritur primo *iusta causa,* tum secundo, ut serventur *solemnitates* a iure praescriptae;

d) ad iustas causas revocantur; *necessitas, evidens utilitas, exercitium christianae charitatis;*

e) solemnitates vero a iure requisitae, sunt: *beneplacitum apostolicum,* quod iuxta recentissimas ecclesiasticas sanctiones (2), semper requiritur ad alienationis validitatem. *Consensus eorum quorum* interest: at aliter atque aliter huiusmodi consensus necessarius est, pro diversa ratione bonorum quae alienantur. Non-

(1) *Schmalzgr. l. c. nn. 6. 7.*

(2) *Const. « Apostolicae Sedis » inter cens. nemini reserv. n. III.*

numquam enim synodus provincialis, nonnumquam capitulum vel collegium, aliquando etiam clerus universus consensum suum dare debet. De his singillatim agunt DD. ad hunc titulum (III. 13); conferri nominatim possunt Pirhing et Giraldi (1).

f) Sunt tamen quaedam res, quae licet immobiles, eximuntur a legibus superius recensitis de immobilium alienatione, idque ob exiguam quantitatem vel alias peculiares rationes. Huc spectat *Can. Terrulas et vineolas 53. Cau. 12. q. 2.* Canon est concilii agathensis, in quo statuitur episcopum posse *sine consilio fratrum* distrahere (alienare) terrulas exiguas, vel ecclesiae minus utiles aut longe positas aut parvas. Quibus innuuntur rationes quae praeter exiguitatem, ex dispositione iuris, alienationem horum immobilium liberam plane efficiunt.

g) Cum autem in canone allegato, aliisque ecclesiasticis sanctionibus definitum non sit, quinam valor habendus sit tamquam exiguus, abeuntibus in varias sententias auctoribus, verior ea videtur opinio quae etiam sacrarum congregationum praxi firmatur, episcopum non posse alienationem permittere ultra valorem viginti quinque scutatorum auri *de Camera*. Sed neque omnes consentiunt in determinando valore scutati auri *de Camera;* communior ea est opinio, quae viginti quinque scutata aurea de *Camera* aequat scutatis quadraginta et uno ac viginti quinque obolis monetae antiquae romanae, seu circiter libellis 221 monetae italicae. At vero cum haec sit norma, antiquis iam temporibus data, pro immutato pecuniae valore, nunc proportionate augenda videtur. Ut enim vidimus, exiguus valor ratio est, qua explicite sanctiones ecclesiasticae alienationem omnino liberam aliquando permittunt.

h) Denique recensendae forent hic quoque poenae statutae ab ecclesiasticis legibus, contra alienantes bona Ecclesiae non servatis conditionibus ab iisdem praescriptis.

De his conferri possunt doctores locis citatis. Ad eas nominatim spectant quae habentur tum *Extrav. Ambitiosae* (2), *et Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 11 de Ref.* tum *in Constitutione Apostolicae Sedis n. 3 inter excommunicationes nemini reser-*

(1) *Pirhing in h. t. Sect. II.; Giraldi, Exp. Iur. Pontif. Sect. 444.*
(2) Cap. unic. *De reb. Eccl. non alien.* (III. 4).

vatas. Cf. *Ferrari Ios. Summa Instit. Can. n. 707 ed. 3. 1877.* Verum quoad has poenas quaedam animadvertenda veniunt ob recentem Constitutionem *Apostolicae Sedis* modo allegatam. Etenim

a) In ea Constitutione inter excommunicationes latae sententiae nemini reservatas sub numero tertio ea recensetur contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam extravagantis *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae non alienandis. Porro in hac sanctione illud statim occurrit, reservationem quae prius habebatur huius censurae penitus fuisse sublatam; tum etiam praeter *alienantes* et *recipere praesumentes* nullum alium ea plecti, adeoque *consentientes, consulentes, faventes* etc. quin et *destruentes* vel *furantes, diripientes* res ecclesiasticas nullatenus includi, cum eiusmodi actiones *alienatio* profecto dici nequeant.

b) Hinc praeter hanc excommunicationem, omnes alias censuras proprie dictas, uti suspensionem et interdictum, quae in prioribus iuris sanctionibus continebantur, pariter fuisse sublatas, omnino certum videtur.

c) Sunt tamen qui censent in suo robore adhuc manere reliquas poenas, quae in iisdem sanctionibus efferebantur, quaeque censurae proprie non sunt, uti privatio beneficii vel vocis activae et passivae, inhabilitas ad officia et beneficia etc. At hoc non ab omnibus admittitur, et verius omnino videtur *poenas latas ab iure* ad unam excommunicationem nemini reservatam coerceri, licet per iudicis sententiam aliae profecto imponi possint.

d) Illud tamen semper intelligitur, alienationem contra leges ecclesiasticas factam, irritam prorsus, et restitutionem rei male alienatae semper faciendam esse.

e) Ut autem superius animadvertimus (heic IV *e*), post Constitutionem *Apostolicae Sedis,* solemnitates servandae sunt iuxta normam extravagantis *Ambitiosae,* adeoque *semper* requiritur beneplacitum apostolicum.

f) Quod vero dicit Craisson (1), iuxta quosdam requiri beneplacitum apostolicum pro alienatione bonorum pertinentium etiam ad pia opera *mere laicalia,* seu nulla auctoritate ecclesiastica erecta, nullo pacto admitti potest. Obstat enim ipsa rubrica, quae est de rebus *Ecclesiae* alienandis vel non.

(1) Manual. J. C. n. 2912.

TITULUS VIII.

De decimis, primitiis et oblationibus.

438. Post traditas generales notiones de iure Ecclesiae in bona temporalia, deveniendum est ad eas leges quibus peculiaris ratio determinatur ecclesiasticae possessionis. Haec autem potest considerari prout magis vel minus perfecta est.

439. Porro ad minus perfectam ecclesiasticam possessionem ea referenda censemus, quae spectant ad *oblationes*, sive haec ex ultronea fidelium voluntate, sive legibus Ecclesiae sint constitutae.

Hinc apte ad *oblationes* referuntur *decimae;* nihil enim aliud sunt quam oblationum aliqua species, quae tamen lege ecclesiastica aut consuetudine legitima sunt stabilitae quoad *quantitatem.* Primitiae vero species quaedam decimarum sunt, sed determinatae quoad *qualitatem.* Item ad hanc minus perfectam possessionem revocamus quosdam redditus ex bonis perceptos quae sunt in dominio alieno aut quasdam ecclesiastica lege statutas subministrationes.

Perfectam vero rationem ecclesiasticae possessionis in *beneficiis* veri et proprii nominis contineri affirmamus.

Quare primum de oblationibus aliisque ad imperfectam possidendi rationem pertinentibus, tum de ecclesiasticis beneficiis sive in genere, sive in specie agendum erit.

440. *Oblationes,* prout ecclesiastica lege discriminantur a decimis et primitiis, per se ut nomen ipsum indicat, ex ultronea fidelium pietate repetendae sunt. Hinc quamvis deinde lege aliqua Ecclesiae vel universali consuetudine vel vigente necessitate potuerint determinata ratione constitui, illum tamen semper originalem veluti characterem retinent, quod ab ipsis fidelibus in significationem pietatis offerantur, et sub aliqua ratione fidelium arbitrio quadantenus permittantur.

441. In antiquiori Ecclesiae disciplina oblationes triplicis erant generis, prout fiebant *ad altare* cum sacrificium peragebatur, ac nominatim fideles ea quae ad sacrificium erant necessaria offerebant, panem scilicet et vinum; vel pro cuiusque pie-

tate in ecclesia deponebantur ad subsidium clericorum et pauperum, aut ipsius ecclesiae usum; vel denique post sacramenta suscepta aut alia officia sacra peracta in eorum bonum, fideles Ecclesiae ministris eas rependebant. Iam vero, ut animadvertimus, tum earum indole, tum ipsa historica origine, oblationes istae sponte exhibebantur. Attamen orta exinde consuetudine, potuit Ecclesia eam legibus suis sancire, saltem ratione necessitatis, quatenus scilicet aliis opportunis deficientibus mediis, tum clericorum sustentationi, tum ecclesiarum indigentiis consuleretur.

442. In praesenti Ecclesiae disciplina oblationibus primi generis suffectum est illud stipendium, quod pro sacrificii ecclesiastici celebratione in eleemosynam a fidelibus erogatur. Oblationes vero secundi generis eadem prorsus ratione perseverant; siquidem nunc etiam, quemadmodum et prius, fideles pro sua pietate vel in arcam ad id in ecclesiis destinatam, vel alio quovis modo, stipem suam conferunt. Oblationes vero tertii generis repraesentant ea quae *iura stolae* nuncupantur.

Quod ad missarum *honorarium* seu stipendium pertinet, ea de re accuratissime ecclesiasticis legibus cautum est, sive conciliorum decretis, sive Romanorum Pontificum constitutionibus, ac ad earum normam responsionibus datis a Sacris Congregationibus (1). Generalis horum decretorum ratio est, ut quaecumque vel minima simoniae suspicio procul fiat, simulque turpis lucri cupiditas arceatur a sacerdotibus, ac piae offerentium voluntati, quo fieri potest, plenissime satisfiat; quandoque enim ex gravissimis causis Sedes Apostolica onera missarum reducere potest. Quod vero spectat ad oblationes quae fiunt alicui ecclesiae sive pecuniis depositis in arca ibi collocata, sive alio modo, animadvertendum generatim est, oblationes quae fiunt in ecclesiis vel oratoriis quae intra finem alicuius parochiae reperiuntur, ad parochialem ecclesiam pertinere; quod etiam sacrae Congregationis Concilii resolutionibus constat (2). Excipitur tamen si expressa offerentium voluntas eam pecuniam determinatae illi ec-

(1) Concil. Trid. sess. XXII. Decr. de observ. et evit. etc. cum decl. et resol. S. C. C. ed. Richter. Cf. Ben. XIV const. *Quod expensis* 26 Aug. 1748.

(2) S. C. C. in Fulgin. Oblat. 6 April. 1647.

clesiae seu sacello attribuat, vel si consuetudine aut privilegio ab huiusmodi onere erga parochialem ecclesiam illae inferiores ecclesiae eximantur. Vix autem opus est innuere, ecclesias intra fines parochiae contentas eas intelligi, quae non solum in materiali territorio, sed etiam in parochiali iurisdictione contineantur. Denique ea quae spectant ad iura stolae, synodalibus cuiusque dioeceseos decretis, aut episcoporum legibus pro variis locorum consuetudinibus et adiunctis determinantur.

443. Diximus ad oblationes apte decimas referendas esse. Sunt enim decimae oblationes quaedam, legibus Ecclesiae determinato modo constitutae, quae a fidelibus eidem fieri debent. Constat porro initio nullas lata lege decimas fideles solvisse. At vero deinceps lege ecclesiastica decimae statutae sunt. Sicuti autem ex necessitate aut convenientia ortum habuerunt, ita mirum non est, ex plane immutatis, nostra praesertim aetate, societatis civilis conditionibus, vix non ubique in desuetudinem abiisse. Id autem contigit, vel quatenus iure concordatorum, legitimo modo, alia ecclesiastica bona decimarum solutioni substituta sunt; vel quatenus iniquis legibus, nulla facta Ecclesiae compensatione, de medio sublata fuerunt.

444. Quoniam vero maxime utile est ea perspecta habere, quae de decimis sanciuntur iure decretalium, atque aliis ecclesiasticis legibus, notandum est decimas distingui in *praediales* et *personales*. Praediales ex fructibus et proventibus praediorum solvuntur, sive praedia *urbana* sint, sive rustica. Hae autem si ex frumento, vino, aliisque maioribus proventibus solvuntur, *maiores,* si vero ex oleribus, leguminibus, fructibus, *minores* appellantur. Item si ex praediis de novo excultis obtinentur, peculiari nomine *novalia* dicuntur. De istis omnibus suae habentur ecclesiasticae leges iure decretalium. Cf. h. t. (III. 30) et ibi DD.

Personales vero decimae debentur ex rebus industria vel arte comparatis, uti ex lucro negotiationis, militiae, venationis etc.; non autem ex rebus donatione, successione, legato acquisitis.

Sunt autem et decimae, quae de ratione participant praedialium simul et personalium, quatenus nempe ad fructus pertinent qui partim industria, partim natura obtinentur. Hinc a nonnullis doctoribus *mixtae* appellantur. Verum haec partitio supervacanea videtur.

Notandum porro est, nomen decimarum quamvis ex veteri lege mosaica desumptum, non eo sensu accipi oportere, quod vere decimam partem fructuum repraesentet arithmetica quantitate sed idem certam dumtaxat quantitatem designat quae pro diversis locorum adiunctis maior, vel minor exsistit.

445. Ad quamdam decimarum speciem, ut iam animadvertimus, primitiae revocantur. Primitiae enim sunt decimae in sua *qualitate* etiam determinatae, quatenus scilicet non quilibet praediorum fructus, sed primi a fidelibus offerebantur. Huiusmodi pia fidelium consuetudo ortum habuit ex lege primitiarum, quae in veteri oeconomia penes Iudaicum populum obtinebat. At multo citius quam ipsae decimae primitiae in desuetudinem abierunt.

446. Illud etiam, antequam decimas dimittamus, animadverti potest, quosdam esse quibus iure decretalium, aut aliis ecclesiasticis legibus *ius decimandi,* scilicet decimas exigendi, extraordinario modo competit, sive privilegio sive conventione legitima aut alio legitimo titulo iuxta Ecclesiae sanctiones. Dicitur autem ius extraordinarium, quia ius decimas exigendi ordinario titulo parochis dumtaxat competit, eo quod potissimum ob sustentationem eorum clericorum, qui animarum curam habent, decimae fuerint constitutae. Hinc etiam sequitur ius accipiendi decimas spirituale esse, cum ex sacri ministerii exercitio enascatur. Quare simoniae vitio contaminaretur translatio iuris decimandi in laicos, aut eiusdem cum re temporali commutatio. *Cf. in Decreto. Ca. 13. qq. 1. 2, coll. Ca. 16. q. 3.*

447. Sunt tamen quaedam personae aut personarum classes, quae statis Ecclesiae legibus a decimarum lege eximuntur. Hos inter nominatim Regulares censentur. Sed de his distinctius agere nobis supervacaneum est.

TITULUS IX.

De censibus, exactionibus et procurationibus.

448. Ad minus perfectam ecclesiasticae possessionis rationem ea referenda sunt, quae spectant ad *census, exactiones* et *procurationes*. Nobis tamen de singulis brevissime dicendum est. De his agitur in decretalibus lib. III. Tit. 39.

Census, quamvis multiplici in iure veniat significatione, prout tamen hic spectatur, certam designat pecuniae vim, quae ex proventibus ecclesiasticis solvitur episcopo. Haec tamen acceptio generalis est, et eas etiam complectitur quae *exactiones* dicuntur. Pressiori acceptione census est *pensio annua* quam episcopus constituit, vel *sibi* in signum subiectionis, vel *patronis* in agnitionem fundationis, vel *aliis* ex iusta causa. Multiplex igitur est titulus, ex quo *census* constitui potest. Dividitur autem census in *antiquum* et *novum.* Census *antiquus* ille dicitur, qui ab initio, tempore fundationis aut consecrationis, ecclesiae vel beneficio est impositus, velut *onus reale,* vel debetur ipso iure. *Novus* vero ille est qui post fundationem aut consecrationem, ab initio non impositus, nec ipso iure debitus, primum imponitur. Census autem sive antiquus, sive novus, esse potest vel *perpetuus,* vel *temporaneus.*

449. Ut hoc melius intelligi possit, notandum est, censum imponi posse ab episcopo, non modo in ecclesia recens fundata cum eam consecrat, sive in favorem sui consentiente patrono, sive in favorem ipsius patroni aut tertii ex eius voluntate, dum is fundat et dotat ecclesiam; verum etiam in alia ecclesia, sive cum eam eximit a sua iurisdictione, in *signum perceptae libertatis,* sive dum eam concedit piis locis, in signum *subiectionis.* Census igitur habetur pro diversitate tituli, tamquam signum *subiectionis, exemptionis, fundationis, consecrationis* etc.

450. Praeter hos casus, census ab episcopo novus imponi nequit, neque etiam potest antiquus augeri, nisi accedente Sedis Apostolicae venia. Romanus vero Pontifex potest utrumque etiam in perpetuum imponere cuilibet sive ecclesiae sive beneficio. Id autem liquet ex iis quae diximus de iure administrandi.

451. Ad censum ex iure statutum revocatur *cathedraticum* seu *synodaticum;* et est quaedam pecuniae summa ex consuetudine episcopo debita, a singulis ecclesiis et beneficiis etiam simplicibus ipsius dioeceseos quae tamen exempta non sint, in signum reverentiae ac subiectionis erga cathedram episcopalem. Quum autem communiter huiusmodi census tempore synodi quotannis celebrandae solvi deberet, hinc *synodaticum* etiam dicitur. Illud autem quod a doctoribus animadvertitur, cathedraticum summa duorum solidorum constare, ad antiquiorem pertinet pe-

cuniae supputationem ac valorem. Hinc generatim dici potest, tum ex locorum consuetudine, tum ex aliis adiunctis, quantitatem hanc esse ab episcopo determinandam.

452. *Exactionum* vero nomine ea omnia intelliguntur, quae iusta de causa, ordinario vel extraordinario modo ab episcopo exigi possunt. Huc revocantur ***subsidium charitativum, procuratio, portio canonica.*** Addi etiam posset ***cathedraticum*** de quo modo dictum est, nisi haberetur ut ***census a iure statutus. Subsidium charitativum,*** quod peculiari ratione exactio dicitur, est tributum exiguum, quod episcopus imponit ecclesiis vel clericis sibi subiectis, vel ad certum tempus, vel una vice solvendum. Ad hoc tamen imponendum, tum iusta causa, tum consensus capituli requiruntur. Insuper post constitutionem Innocentii XI, saltem pro Italia, statutum est, episcopum non posse huiusmodi subsidium charitativum exigere inconsulta Sede Apostolica, nisi in primo suo ingressu, et iuxta quantitatem ibi determinatam, scilicet ea quantitate quae quadraginta ante annos exigi consuevit (1). Praeter enim hunc casum, requiritur facultas Sedis Apostolicae, ut possit imponi.

Procuratio dicitur, vel rerum ad victum aut ad hospitium pertinentium, vel aequipollentis pecuniae, episcopo eiusque comitatui facta subministratio in visitatione dioecesis. Verum de procuratione iam locuti sumus, agentes de visitatione dioeceseos ab episcopo peragenda (345. II. *b*).

Portio canonica est quarta pars earum rerum quae ecclesiae aut aliis piis locis relinquuntur. Sed haec in praesens ubique consuetudine sublata est. Attamen etiamsi vigeret, ecclesiae lege ab ea solvenda eximuntur, tum quae generatim exempta sunt ab episcopali iurisdictione, tum speciatim quae ad anniversarium celebrandum aut ad ecclesiae fabricam eiusque necessitates, pia fidelium voluntate relinquuntur.

(1) Cf. Giraldi Expos. Iur. Pont. p. I. sect. 583.

Scholion

Aliquid hic addendum putamus de *taxa innocentiana*. Cum enim inter alia capita instructionis S. C. C. pro relatione status ecclesiarum exhibenda ab episcopis in sua visitatione *Sacrorum Liminum*, illud etiam reperiatur (§ VII), *quaenam taxa, et an innocentiana in sua cancellaria observetur;* satis liquet eam alias inter *exactiones* esse recensendam. Taxa autem haec innocentiana nuncupatur ab Innocentio XI a quo fuit constituta.

Hic enim peculiarem congregationem ad eam taxam conficiendam deputavit, cuius resolutiones auctoritate sua confirmavit, die prima Octobris 1678 et in posterum servari iussit, earumque observantiam et publicationem iniunxit Sacrae Congregationi Concilii; quae haec executioni mandavit die octava octobris eiusdem anni. In his resolutionibus haec potissimum notanda sunt:

I. Taxa innocentiana ad solas pertinet caussas et materias ecclesiasticas ac mere spirituales. Nam pro causis civilibus, criminalibus ac mixtis, minus opportunum visum est generalem taxam constituere.

II. Notanda in primis sunt ea quae statuuntur circa ordinum collationem:

« *In materia ordinum sacrorum, minorum et primae ton-* « *surae, sive pro ipsa collatione, sive pro facultate eos con-* « *ferendi quam quis alteri concedit, sive etiam pro eorum exer-* « *citio et facultate eos in quolibet loco et quovis tempore exer-* « *cendi, generalis statuitur regula, quae nullam, nisi infra* « *innuendam, patiatur exceptionem, quod scilicet, neque episco-* « *pus aliusve praelatus, neque eius vicarius generalis aut fo-* « *raneus, cancellarius aliusve quilibet officialis, neque cognati,* « *familiares et servi ullum emolumentum vel aliam rem exigere* « *aut accipere possint, quocumque sub colore aut pretextu fiat,* « *neque sub titulo doni aut munusculi, licet propria sponte obla-* « *tum datumque fuerit. Ab hac norma eatenus solum eximitur* « *ordinans, quatenus, disponente Pontificali, candelarum obla-* « *tionem accipere potest, relicta libera episcopi arbitrio quali-* « *tatis ponderisque determinatione. Cancellarius porro, iuxta*

« *dispositionem concilii tridentini, pro literis testimonialibus col-*
« *lationis ordinis etiam factae, vel pro literis dimissoriis ad*
« *collationem ab alio episcopo faciendam, non plus quam deci-*
« *mam partem scutati romani idest unum iulium, sive nummum*
« *aequivalentem regionis, accipere potest ab iis personis quae*
« *pecuniae usum habent* ».

Alia etiam adduntur, quoad taxam exigendam pro actibus necessariis ad constitutionem tituli patrimonii aut beneficii in susceptione subdiaconatus; quae tamen respondere debet labori mere personali pro scripturis et charta, ita tamen ut excedere numquam valeat unum aureum, debeat vero minui si labor minor fuerit.

Pariter in materia beneficiali, sive agatur de immissione in possessionem beneficiorum, sive de executione literarum apostolicarum quibus beneficium confertur, sive in erectione eorumdem, taxa exigenda statuitur ita, ut ex una parte quilibet excludatur color aut obtentus simoniae, ex altera vero debita pro labore merces cancellario rependatur. Plures tamen fiunt animadversiones et exceptiones, quas singillatim persequi hic opus non est.

III. Praecipitur insuper, ut nihil accipiatur pro materiis ad sacramentorum administrationem pertinentibus: quamobrem in causis rebusque matrimonialibus (excepta parte contentiosa) nullum emolumentum percipi potest, sed cancellarius exigat summam labori suo parem.

IV. Neque minus interdicitur emolumentum quodlibet percipere pro eroganda facultate praedicandi, vel diebus festis servilia opera peragendi, itemque pro facultate abeundi, quaestuandi etc.

Haec praecipua sunt obiecta, ad quae pertinet taxa innocentiana (1).

V. Cum vero dubitatum fuerit utrum taxa innocentiana vim habeat obligandi, etiam id ab ipsa S. C. Conc. (2) in ancipiti relictum fuit, adeoque tuto affirmari non potest. Quia tamen ea quae statuta sunt in resolutionibus Congregationis deputatae,

(1) Cf. Lucidi op. cit. Vol. I. pagg. 248-266; Vol. III. pagg. 155-164. edit. 1883.

(2) Ib. n. 218.

confirmatis tum ab Innocentio XI tum ab aliis Romanis Pontificibus (1), apprime consentiunt cum concilio tridentino et declarationibus eiusdem, hinc dicendum est taxam innocentianam optimam esse normam directivam pro omnibus episcopis in constituendis emolumentis in sua cancellaria episcopali, licet melior adhuc dici debeat eorum episcoporum consuetudo, qui Sedis Apostolicae approbationi taxas a se constitutas subiiciunt.

TITULUS X.

De beneficiis.

453. Iam nobis deveniendum est ad eam considerandam ecclesiasticae possessionis perfectam rationem quae *Beneficiis ecclesiasticis* proprie dictis continetur. Porro *Res beneficiaria* merito inter praecipuas, quae in iure ecclesiastico tractantur, recensetur. Id enim constat 1) *ex re ipsa;* siquidem ecclesiastica beneficia cum ecclesiasticis ministeriis intime connectuntur; tum 2) ex controversiis multiplicis generis quae exinde oriuntur; denique 3) ex modo ipso, quo de re beneficiaria auctores, numero plurimi, auctoritate gravissimi, accuratissime disseruerunt: quorum praecipuos in fine huius tituli enumerabimus.

454. Attamen, ad *historicam* praesentis Ecclesiae conditionem quod spectat, plures sunt regiones in quibus ea, quae a doctoribus de beneficiis traduntur, vix locum habent, eo quod nulla ibi beneficia ecclesiastica proprie sint; quemadmodum contingit iis in locis, ubi vel non est proprie dicta ecclesiastica hierarchia vel siquidem ibi exsistat, nulla sunt beneficia, atque omnia ad clericorum sustentationem requisita, fidelium oblationibus obtinentur. Alia vero sunt loca in quibus immutata est civilibus legibus, accedente etiam Sedis Apostolicae consensione ex initis concordatis, ratio ecclesiasticae possessionis, eique suffecta est quantitas determinata pecuniae, quae pro singulis ecclesiasticis officiis a regimine politico solvitur. Sunt tamen quaedam loca, ac in primis Italia, in quibus plus minusve viget

(1) Ib. n. 224.

adhuc vera ratio ecclesiasticorum beneficiorum. Hinc non solum ratione scientiae omnino necessaria, sed etiam praesentis utilitatis, saltem ex parte, haec tractatio dici debet.

455. Cum autem plura sint, quae ad eam spectent, distinctione in primis, ad ordinem et perspicuitatem, opus est. Quamvis autem multiplex sit ratio qua de ecclesiasticis beneficiis disserunt auctores, prout vel analytica vel synthetica methodo utuntur, nos hanc tractationis partitionem adhibendam censemus. Titulum hunc de beneficiis triplicem in sectionem tribuimus, quarum una notiones praevias complectitur sive de beneficiorum ecclesiasticorum historia sive de eorumdem natura. Cum autem leges ecclesiasticae de beneficiis, eo spectent vel ut beneficium rite constituatur, vel ut rite constitutum, quoad eius fieri potest, conservetur; hinc duae aliae sectiones exoriuntur, quarum prima est de legibus ecclesiasticis circa beneficii constitutionem, altera de legibus ecclesiasticis circa beneficii conservationem. *Causas* vero seu controversias *beneficiales,* ad partem specialem libri de iudiciis remittimus.

SECTIO I.

Notiones praeviae de beneficiis ecclesiasticis.

456. Quamvis Ecclesia societas sit spiritualis ratione finis sui, indiget tamen bonis temporalibus, tamquam mediis *indirecte* et *mediate* necessariis ad eiusdem plenam assecutionem; neque enim constat *spiritibus,* sed *hominibus.* Hinc

a) Ius oritur quod habet Ecclesia *possidendi* bona temporalia, *quatenus* Ecclesia est. Sed de hoc superius dictum est (tit. VII).

b) Iniustitia deprehenditur, etiam comparate ad ius naturale, illarum legum quae circa ecclesiasticam possessionem obtinent in societatibus civilibus nostri huius aevi, quibus ea vel omnino interdicitur, vel iniquis vexationibus impeditur.

c) Neque tamen exinde sequitur, nullos aut esse posse aut unquam exstitisse abusus, ad modum quod spectat, quo temporalia bona a clericis adhibentur. Hoc enim cum humanarum

rerum conditione semper coniungitur. Ius vero intactum perseverat.

d) Bona autem temporalia quae ab Ecclesia possidentur, tum immobilia esse possunt, tum mobilia.

457. Quum Ecclesia Christi ius divinum possidendi bona etiam temporalia, *prout veluti media ad eius finem suo modo ordinantur*, asseruimus ac vindicavimus (tit. VII. § 1), argumentum etiam desumpsimus ex ipso *facto universali ac perpetuo ecclesiasticae possessionis*. Verum, ut ibi animadvertimus, historica evolutio ecclesiasticae possessionis ita intimum nexum praesefert cum ecclesiasticis beneficiis quae eius veluti apex ac perfectio sunt, ut aptissime de ea in hoc titulo disseratur.

Constat enim, historia teste, non uno ictu sed veluti per gradus, ad eam perfectiorem formam Ecclesiam in sua temporalium bonorum possessionem devenisse, ut continuo exponere aggredimur paulo uberius ac perfectius ea quae hac de re prius dedimus recensentes.

§ I. *Rei beneficiariae historia.*

458. Obvia videretur evolutionis rei beneficiariae in sua maxima amplitudine spectatae, a suis originibus duplex in stadium partitio, ante scilicet et post constitutum ecclesiastica lege proprii nominis beneficium; at satius est triplex in ea stadium distinguere ut mox ex dicendis patebit.

I. Si ad ipsas rei beneficiariae origines assurgere velimus, primum eius stadium illud temporis spatium complectitur quo omnia bona ecclesiastica sive mobilia sive immobilia essent, sive ex ultroneis fidelium largitionibus, sive ex consuetudine vel lege ipsa statutis erogationibus constarent, unam veluti massam in singulis dioecesibus constituebant. In hac autem ecclesiasticae possessionis constitutione aptissime haec quatuor *elementa historica* sese nobis exhibent: *bonorum congeries; potestas, ad eorum administrationem quod spectat, summa penes episcopos; ministri quibus in ea exercenda episcopi utebantur*, denique *auctoritas propemodum moderatrix, qua abusus hac in re sive impediebantur sive multabantur*. Ex his enim elementis simul

rite collatis, vera habetur idea ecclesiasticae administrationis integro hoc temporis stadio vigentis.

II. Iam vero ad ipsa bona ecclesiastica quod spectat, historice constat non solum bona mobilia sed et immobilia iam primis saeculis christianis, Ecclesiam possedisse (1).

Ad tria priora saecula quod attinet, ad Ecclesiae possessionem quamvis minori quantitate immobilia bona pertinuisse luculenter ostenditur ex duplici Constantini magni decreto quo iubentur ecclesiis restitui (2).

Id etiam deduci posset ex ea recentiorum archaeologorum sententia de *collegiis funeratitiis*, quibus iuxta romanas leges ius asserebatur, quasi *entibus moralibus*, ut modo dicitur, immobilia bona possidendi, quo nomine christiani utebantur, ad hoc ut ecclesiasticas possessiones acquirere et tueri possent. Qua in re, siquidem vera habeantur huius sententiae fundamenta, praetermittenda non est luculentissima analogia quae deprehenditur, inter modum a christianis adhibitum in ethnica societate, et modum quem adhibere Ecclesia cogitur in praesenti societatis civilis apostasia religiosa. Saeculis vero quarto deinceps tam explorata res est ex patrum et scriptorum testimoniis, ex canonibus conciliorum, ex legibus ipsis imperialibus, ex facto ipso omnibus cognito, ut id singillatim probare sit omnino supervacaneum (3).

III. At vero aeque constat bona haec omnia ab uno episcopo ita fuisse administrata summa potestate, ut ex iis alerentur et ipse episcopus et alii clerici pro suo quisque gradu, tum aedibus sacris sacroque cultui prospiceretur, denique egenis, peregrinis, hospitibus, aegrotis ac generatim opibus destitutis omnibus, effusa caritate praeberetur auxilium (4). Non tamen ipso initio exstitit quaedam lege statuta partitio qua bona omnia Ecclesiae

(1) Cf. quae de Aureliano Imp. refert. Eusebius caes. H. E. VII. 30; Lampridium in vita Alexandri Severi; Euseb. op. cit. IX, cc. 9. 10; X, c. 5; De Vita Const. II. cc. 39. 40.

(2) Euseb. X. 9; De Vita Const. I. 13. 42; II. 2. 20. 21. 30. 34; 36-41; 43-45. 56. 60. conf. Thomass. Op. cit. P. III. lib. I. cc. 2. 3. 4. 16.

(3) Cf. in Codice Iustin. titulum de sacrosanctis ecclesiis etc. (I. 2).

(4) Apparet iam praeformatio partitionis in *beneficia maiora et minora*, *fabricas Ecclesiarum, loca pia.*

quatuor in partes distribuerentur nempe in episcopum, clericos, ecclesias, pauperes. Serius haec obtinuit, ex abusibus, ut videtur, qui ex minus recta distributione pluribus in ecclesiis exorti fuerant (1).

IV. Facile autem intelligitur summam episcoporum potestatem ita demum exerceri potuisse, quatenus ab iis plures adhiberentur ministri quorum opera episcopi munere suo fungebantur. Ii autem in oriente appellabantur *oeconomi,* in occidente vero licet primitus nomen peculiare non haberent, diaconis ac nominatim archidiaconis officium huiusmodi credebatur. Quo facto etiam explicatur magna illa potentia qua nominatim in ecclesia romana diaconos eminuisse historia testatur. Horum erat tum partem sibi demandatam sedulo administrare et statis temporibus gestorum rationem episcopo exhibere, tum sibi inferiores administros moderari et uni episcopo subesse. Insuper pro diversa temporum ratione ac praesertim serioribus saeculis ob magis auctas civilis potestatis usurpationes in Ecclesiae iura, ecclesiastica libertas in administratione magis magisque imminuta est (2).

V. Inde etiam exorta est necessitas ut auctoritas quaedam veluti moderatrix exsisteret, qua episcoporum excessus si qui forent in summa illa exercenda administrandi potestate, rite compesci possent.

Haec fuit enimvero conciliorum provincialium hac in re asserta auctoritas, in quibus dum singulis trienniis, pro illius temporis disciplina sancte servata, episcopi conveniebant, rationem suae administrationis reddere tenebantur, maxime si adversus eos accusationes intentarentur, ut, si graviter peccassent, debitis poenis vel ab ipso concilio vel a Romano Pontifice de re monito mulctarentur (3).

Iamvero ex ipsa idea quam dedimus huius primi stadii statim apparet, ex una parte eius perfectionem potissimum pendere ex rite servatis ecclesiasticae vitae officiis, ex altera vero

(1) Thomassinum eam coepisse censet non ante saec. V. op. cit. Par. III. lib. 2. c. 137. Cf. Gelasium Pont. ep. 9. ad episcopos Lucaniae.

(2) Conc. Chalced. c. 26, Conc. Antioch. I. cc. 24. 25. Plura hac de re collecta testimonia vide apud Thomass. l. c. capp. 13. sqq.

(3) Conc. Antioch. cit.; Gelas. ep. 9. etc.

maiorem difficultatem exurgere debuisse ex magis magisque multiplicato numero clericorum, ecclesiarum, ipsorumque fidelium.

VI. Hinc pronum erat, saltem in quibusdam rerum adiunctis et in gratiam nonnullarum personarum, ut partitio aliqua maiori stabilitate pollens excogitaretur, qua saltem ad tempus pars aliqua determinata bonorum immobilium alicui ecclesiastico officio ita adtribuebatur, ut pro clerici vita eorum administratio eidem permitteretur. Attamen hoc erat discrimen hanc inter oeconomiam et veri propriique nominis beneficia; quod post mortem vel remotionem illius clerici, pars illa bonorum iterum unicae massae restituebatur e qua fuerat avulsa, adeoque omnia in pristinum statum revertebantur. Ratio autem cur fieret haec peculiaris temporaria attributio duplex potissimum fuit: scilicet vel fidelium spiritualis necessitas qui ab episcopali urbe magis dissiti maiorem hanc facilitatem merebantur, vel remuneratio ob praeclariora gesta alicui clerico impertita (1).

Verum etiam in hoc secundo stadio qui ut *merum transitionis stadium illudque partiale* haberi debet, cum nondum vera ac propria beneficia haberentur, episcoporum illa quam memoravimus summa potestas perseveravit (2). At simul facile intelligitur, iam immediatam exsistere inde praeparationem debuisse illius disciplinae, qua vera et propria ecclesiastica beneficia constituta sunt.

VII. Pertinet hoc ad tertium postremumque stadium historiae rei beneficiariae. Cum enim ex dictis duplex ratio exstiterit constituendi temporariam illam attributionem bonorum immobilium nonnullis ecclesiasticis officiis, in gratiam quarumdam personarum, scilicet necessitas fidelium et praeclare gestorum remuneratio, statim liquet prius in rusticanis pagis quam in urbibus communi lege beneficia parochialia, quae prima omnium instituta sunt, stabiliri oportuisse, quod historia ipsa testatur. Tum vero aucto magis magisque fidelium numero etiam in urbibus, aucta ingenti quantitate bonorum congerie, aucto denique

(1) Concil. Agathense cann. 7. 22. 49. 59; Aurelian. I. can. 23, Symm. Pont. ep. 5. Conc. Epaonense cann. 14. 18. Aurel. III. c. 17. Cf. Thomass. op. cit. l. c. c. 16. nn. 1-8.

(2) Conc. Moguntin. (888) can. 8.

clericorum coetu itemque ecclesiis ac monasteriis, opus fuit antiquam disciplinam omnino immutare iis veris propriisque ecclesiasticis beneficiis institutis de quibus nobis data opera disserendum hic est.

Utrum vero huius factae immutationis alias inter caussas minus praecipuas, sit etiam recensendum tunc maxime vigens *systema feudale,* sicuti omnino haud est negandum ita nimium exaggerari non debet, et si quid analogiae quis forte velit reperire, id non universam disciplinam, sed peculiares quasdam eiusdem applicationes dumtaxat attingeret (1). Id potius tribuendum etiam institutis tunc temporis sive restitutis canonicorum regularium collegiis, quibus deinde dilapsis unicuique e capitularibus sua praebenda est assignata (2). Concludamus igitur hanc compendiariam rei beneficiariae historicam adumbrationem, hac quae exinde luculenter exsurgit animadversione; Ecclesiam in temporalibus bonis *pro sui finis ratione* possidendis atque administrandis, salutem aeternam fidelium simulque bonorum ipsorum in eumdem finem conservationem et incrementum, prae oculis continenter habuisse.

459. Ex hac coniunctione ecclesiastici officii cum ea quantitate bonorum temporalium, quae ad clerici eo fungentis sustentationem ordinatur, idea exsurgit *veri ecclesiastici beneficii,* quod ex utroque elemento coalescit.

Character igitur distinguens hoc posterius stadium a priore, sicuti in eo est, quod bona immobilia potiorem constituant partem ecclesiasticae possessionis, ita a minus perfecta ad perfectiorem possidendi rationem, per verum ecclesiasticum beneficium, veluti per gradus explicatur.

Sic breviter explanata historica evolutione beneficiorum ecclesiasticorum, eorum natura est ex propriis elementis determinanda. Haec enim constituta, rite agendum erit, tum de iis ecclesiasticis legibus, quae beneficii *constitutionem* moderantur, tum de iis quae ad eiusdem *conservationem* diriguntur.

(1) Patet id de *precariis* et *decimis feudalibus;* sed de his disquisitionem aggredi ad Institutiones iuris non pertinet.

(2) *Thomas. Op. cit. lib. 2. c. 23; Berardi Commentaria in Ius. Eccl. universum in III. lib. Decr. diss. 1. c. 1. § Ex dissociatione,* ed. Mediol. 1864. Vol. 1. pag. 216.

§ II. *De beneficiorum ecclesiasticorum natura, ac multiplici partitione.*

460. Communis est ea beneficii definitio, qua dicitur: « *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, propter officium spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum* ». Haec definitio, nobis exhibet ea elementa, quibus ecclesiastici beneficii natura atque indoles accurate determinantur. Sunt autem: *erectio canonica, perpetuitas, officium spirituale, congrua sustentatio ex bonis Ecclesiae.* (V. tamen in fine huius tituli Scholion I).

a) *Erectio canonica* requiritur, ut beneficium dici possit ac debeat, auctoritate ecclesiastica constitutum. Superioris enim ecclesiastici auctoritas est, quae et officium spirituale, et locum in quo debet exerceri, et dotem qua debet clericus beneficiatus sustentari, vel constituit, vel approbat, siquidem ab alio, ex. gr. a patrono, fuerit constituta. Nisi haec fiant ac publico instrumento de erectionis decreto constent, beneficium *canonice erectum* dici nequit.

b) Alterum ecclesiastici beneficii elementum est *perpetuitas,* quae ex duplici capite spectari debet; quatenus scilicet 1) coniunctio *reddituum,* seu *praebendae,* ut dicitur, cum illo spirituali officio, ex. gr. *paroecia, canonicatu, dignitate,* etc. fit modo permanenti, ita ut etiam mortuo beneficiato perseveret; at simul etiam 2) quatenus quoad ipsam personam beneficiati, huiusmodi beneficii possessio perpetua, saltem quoad eius vitam, exsistit; adeo ut, nisi vel ipse sponte deponat officium, vel ad aliud legitime transferatur, vel ob causas in iure statutas eo privetur, in eius possessione permaneat.

c) Officium vero spirituale, essentiale esse elementum ecclesiastici beneficii, satis liquet ex ratione rei sacrae, quae hinc originem habet; adeo ut bona temporalia ad hoc cum officio coniungantur et sacra fiant, ut clericus officium spirituale rite obire possit. Hinc effatum illud, *beneficium propter officium. (Cap. fin. de Rescript. in 6).* Hoc adeo verum est ad essentiam requiri, ut, imperfectissima quamvis ratione, etiam in illis beneficiis, quae *simplicia* dicuntur, officium aliquod spirituale

fuerit excogitatum, nempe privata saltem divini officii recitatio, ut inferius dicetur.

d) Denique, ad beneficium ecclesiasticum rite constituendum, requiritur, ut spirituali officio sit adnexa, ad congruam sustentationem, pars aliqua bonorum temporalium, cuius fructus iure perpetuo beneficiato tribui debeant.

461. Rite constituta beneficii notione, facile intelliguntur variae eiusdem partitiones. Etenim

a) *ratione personae* beneficium est vel *saeculare* vel *regulare*, quatenus non per modum exceptionis, sed sive ex natura officii spiritualis, sive ex lege fundationis, sive alia legitima causa, clericis saecularibus vel regularibus tribuitur;

b) *ratione modi* quo confertur, distinguitur in *collativum*, quod libera illius voluntate qui huius rei habet potestatem, alicui datur; *electivum*, quod ex rite facta electione confertur; *patronatum*, quod ex praesentatione, ab eo facta cui tale ius competit, obtinetur;

c) *ratione dignitatis* beneficia distinguuntur in *maiora* et *minora*; prout officium spirituale continetur in gradibus hierarchiae episcopalis vel quasi episcopalis, vel in gradibus ea inferioribus. Hinc summus pontificatus, cardinalatus, archiepiscopatus, episcopatus, abbatiae, beneficia dicuntur maiora; reliqua minora appellantur;

d) *ratione officiorum* quibus constituuntur, aut peculiarium conditionum quae iisdem sunt adnexae, dividuntur:

aa) in *residentialia* et *non residentialia*, prout beneficiatus tenetur ecclesiastica lege residere, vel potest non residere in loco ipsius beneficii;

bb) in *duplicia* et *simplicia*. Quae porro divisio significationem habet latiorem, et pressiorem.

Pressiore significatione, beneficia dicuntur duplicia, quae cum lege residentiae adiunctam habent, vel curam animarum, vel dignitatem, vel personatum, vel officium, ut ex. gr. theologus et poenitentiarius; vel administrationem, ut sacrista, custos, etc. vel aliquod proprium munus, ut, quoad omnes canonicos est publica et solemnis recitatio horarum canonicarum. Sub hac ratione simplicia dicuntur, quae neque habent legem residentiae, neque aliud onus praeter privatam recitationem officii divini, licet speciali lege aliquod aliud forte habere etiam possint.

At vero beneficia simplicia dicuntur latiori sensu, quaecumque non habent adnexam curam animarum : sub hoc respectu beneficia, quae duplicia dicuntur, non sunt nisi ea quae *curata* appellantur.

e) Denique ad beneficiorum partitionem referuntur ea, quae dicuntur *manualia,* pro lubito concedentis revocabilia : sed haec solum *per quandam analogiam* beneficia appellantur ; nam in essentia ipsa beneficii deficiunt. Cf. Schmalzgrueber in h. t. § 2. (III. 5).

Scholion

Pauca quaedam adiicimus, ad maiorem illustrationem exhibitae hactenus beneficiorum partitionis, potissimum quod spectat ad ea, quae *manualia* dicuntur et ad nutum revocabilia.

Manuale beneficium illud appellatur, quod confertur quidem in titulum, sed revocabiliter ita ut ad conferentis libitum auferri, vel si sit patronatum, a patrono revocari possit. Porro animadvertendum est, causam rationi consonam ad honestatem revocationis requiri, non vero ad eius valorem. Hinc non eadem est doctorum sententia, utrum capellania *ecclesiastica,* hoc est *auctoritate episcopi erecta,* et ab eo conferenda, sed ad nutum amovibilis, haberi possit tamquam verum beneficium. Qui enim perpetuitatem saltem essentialiter, reponunt unice in beneficio ipso, non vero in eis permanentia in beneficiario, capellaniam huiusmodi ecclesiasticam, vocant verum beneficium.

At cum , in praesenti saltem disciplina , verior dicenda sit sententia quae perpetuitatem repetit aeque ex parte beneficiarii, capellania etiam ecclesiastica verum beneficium hoc sensu dici nequit. Multo vero minus beneficia sunt sive pensiones etiam ecclesiasticae, sive capellaniae *laicales,* quae scilicet auctoritate ecclesiastica erectae et constitutae non sunt ; licet etiam in perpetuum quin et ab episcopo conferantur.

SECTIO II.

De legibus ecclesiasticis spectantibus ad beneficii constitutionem.

462. Praeter ea quae ad beneficii essentiam pertinent, de quibus modo actum est, ut ecclesiasticum beneficium *adaequate* constitutum dicatur, requiritur ut alicui idoneo ab eo qui auctoritatem habet, pro diversa ratione qua id fieri potest, *actu* conferatur, tum ut ille cui confertur eiusdem possessionem capiat, eaque fruatur. At vero ad haec omnino requiritur ipsius beneficii vacatio, quae multiplici modo potest contingere. Hinc de beneficiorum ecclesiasticorum *collatione, possessione, dimissione,* dicendum est.

Unum forte explicatione aliqua indiget, quonam scilicet pacto beneficium, non quomodocumque, sed *adaequate constitutum* dici debeat. Ad hoc animadvertatur *beneficia* inter *res ecclesiasticas* numerari, quae ex dictis ad potestatem legiferam ceu *media obligatorio modo proposita, ad plenam finis assecutionem* referuntur. Iamvero beneficium tale non est *in actu primo,* sed in *actu secundo,* quatenus scilicet, *ad fidelium sanctificationem,* officium illud spirituale exercetur. Ad hoc autem profecto opus est, ut canonice sit erectum, ut ea habet quae ad eius essentiam pertinent, ut aliquis ad illud exercendum canonice instituatur ac possessionem officii et praebendae capiat. Insuper ut conditio, beneficium vacare postulatur. Si unum ex his desit, beneficium *adaequate constitutum* dici non potest.

Hinc patet nexus logicus idearum, quem in hac sectione persequimur.

§ I. *De beneficiorum collatione.*

463. *Collatio,* ut alias dictum est (310), dupliciter accipitur. *Latius* enim quamcumque significat beneficii concessionem, sive *liberam* h. e. ex collatoris voluntate, sive *necessariam* ex. gr. ex electione rite peracta, praesentatione, concursu etc.; *pressius* vero, concessionem designat beneficii sola libera collatoris vo-

luntate factam. Unde beneficia sunt *liberae collationis,* vel *non.* Pressiorem significationem spectavimus, collationem liberam alios inter modos recensentes quibus acquiritur ecclesiastica iurisdictio (310–315) prout ab electione, praesentatione, postulatione discriminatur. Hic eam latius consideramus, prout necessarium elementum est ad beneficii ecclesiastici constitutionem. Plura tamen nexu doctrinae, in alia tractatione, de hac etiam acceptione attingere opus fuit (313. 314).

464. Collatio, seu *institutio canonica* necessaria est ad validam beneficii possessionem. Hinc *cap. 1 de Regulis iuris in sexto* dicitur: *beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.* Ubi nomine *institutionis canonicae* intelligitur collatio generatim accepta, scilicet sive *libera* sive *necessaria.* Absque institutione canonica qui sese ingerit in beneficium, *intrusus* dicitur, atque omni iure privatur ipso facto, et gravissimis lege statutis poenis multatur. De institutionibus est titulus in decretalibus (III. 7), ad quem legi possunt doctores, iis simul adscitis quae habent ad titulum de *Praebendis* et *Dignitatibus* (III. 5), ubi de beneficiorum collatione disserunt.

Ad rem nostram aliqua ex iis potiora decerpere sat est.

a) Institutio triplex (1) *specie* distinguitur:

collativa, quae confert *titulum* in beneficio: et est vel *libera* qua *omne* ius oritur *ad rem* et *in re,* uti accidit in beneficiis *liberae collationis* ubi *omnia ex ea habentur;* vel *necessaria,* ut in *praesentatione; quae iam dedit ius ad rem;*

auctorizabilis, qua clerico, qui iam rite est ad curam animarum promotus, eadem committitur per sacramentorum administrationem exercenda;

corporalis seu *realis,* quae etiam dicitur *investitura,* per quam clerico, postquam is *titulum* seu *ius in re* legitime iam consecutus est, tribuitur ius apprehendendi possessionem corporalem et actualem beneficii (2). Haec ultima idem est ac *im-*

(1) *Glossa ad Cap. Beneficium 1 de Regg. Iur. in 6 v. dicendum.* Reiffenstuel ad tit. *de Instit.* (III. 7), n. 5. et *in comm. ad primam ex RR. I. in 6. Gonzalez, Tellez ad cap. Cum satis de Off. Archid. n. 3.*

(2) Schmalzgrueber h. t. prooem. Fagnan. in cap. *Cum Ecclesia de causs. possess. et prop. n. 28.*

missio in possessionem, adeoque coniungi potest cum iis quae paragrapho insequenti de possessione dicturi sumus.

b) Cum collatio beneficii sit facienda *idoneo,* hinc qui eius incapaces existunt, sive ob irregularitatem ad ordines assequendos, sive ob peculiarem inhabilitatem, ab ea arcentur. Haec autem inhabilitas, quae analogice *irregularitas ad beneficia* etiam dicitur, multiplici ex capite oritur; scilicet: ex defectu aetatis requisitae, ex defectu ecclesiastici caelibatus, clerici enim coniugati beneficia habere nequeunt, quin imo ob initum coniugium ea amittunt ipso iure, ex defectu ordinis, qui ex alias dictis quandoque requiritur, praeter primam tonsuram quae semper postulatur, ex defectu scientiae ad rite officium adimplendum necessariae, ex censuris quibus aliquis sit irretitus, ex notoria vitae improbitate (1). Item ex peculiari ecclesiastica lege, ut quaecumque hereditariae successionis species in beneficiis excludatur, filius quamvis legitimus non potest beneficium a patre possessum immediate excipere (2). Insuper severiori adhuc lege, qui non ex legitimo thoro nati sunt, nequeunt in eadem ecclesia, in qua eorum patres beneficium habuerunt, non modo idem, sed aliud quodcumque beneficium possidere; idque ut paternae incontinentiae, ut ait concilium tridentinum, memoria longissime arceatur (3).

c) Quod vero spectat ad ius conferendi beneficia, siquidem collatio libera omnino sit, de eo iam dictum est, ubi de collatione in priori libro sermo fuit; prout vero est necessaria ex praesentatione facta a patrono, vel electione rite peracta etc., de ea quoque suis locis actum est. Restat igitur ut aliquid breviter attingamus de proprie dicta institutione canonica.

d) In institutione *collativa,* cum per eam conferatur titulus beneficii, pronum est ab eo dari oportere institutionem a quo beneficium confertur, quando collatio est omnino libera. Quando vero est necessaria, tunc iure communi, praeter Summum Pontificem, ut par est, ad episcopum pertinet, et Sede vacante ad capitulum, scilicet in praesenti disciplina, ad vicarium capitula-

(1) Cap. *Infamibus de RR. I.*
(2) Cap. 13 de *Fil. praesb.*
(3) Conc. Trid. Sess. XXV. c. 15 de Ref.

rem. Recensetur enim inter ea quae pertinent ad *iustitiam* non ad *gratiam,* seu quod idem est, ad rectam dioeceseos administrationem, ad quam capitulum, sede vacante, iurisdictione necessaria frui debet. Iure tamen speciali competere potest ius instituendi in beneficium etiam praelatis inferioribus; quin et privilegio apostolico ipsis abbatissis; quia simpliciter agitur de iurisdictione fori externi, quae potest etiam laico apostolico tamen privilegio conferri. Item institutio dari debet intra tempus requisitum a lege, servato etiam modo ibidem praescripto.

e) Institutio *auctorizabilis,* iure communi pertinet ad episcopum; quamvis institutio collativa ad alium pertineat. Sic in parochia plene incorporata monasterio, collatio tituli fit a praelato regulari, imo proprie loquendo verus parochus est ipse praelatus. Vicarius tamen ab eo constitutus debet ab episcopo approbari, praemisso regulariter examine de idoneitate.

f) Denique huc revocandae sunt leges quae ad collationem pertinent, sive quoad rationem actus, sive quoad rationem modi, de quibus vide quae alibi diximus (313).

§ II. *De beneficii ecclesiastici possessione.*

465. Ad beneficium ecclesiasticum adaequate constituendum, praeter *collationem canonicam* requiritur eiusdem *possessio.* Possessio autem dicitur, *beneficii detentio cum affectu exercendi illius officium, tenendique proprio nomine bona.* Dicitur autem *detentio cum affectu* exercendi illius officium etc. ut distinguatur a materiali detentione rei alicuius, quae etiam sine iudicio, ut in amente, ac voluntate illam sibi vindicandi adesse potest.

466. Cum in beneficio duplex habeatur elementum, *officium* scilicet ecclesiasticum, et *praebenda* proprie dicta, quorum primum res est spiritualis, alterum vero res est per se temporalis, quae ex coniunctione cum spirituali eius induit rationem; hinc officium habetur tamquam *principale,* praebenda vero tamquam *accessorium,* quod proinde naturam principalis sequitur. Ex hoc profluit:

I. Haberi possessionem beneficii, statim ac legitimo modo quis possessionem officii apprehendit.

II. Hanc autem officii possessionem capi quibusdam rebus

vel actibus, qui illud repraesentant: sic ex. gr. canonici in officii possessionem immittuntur per occupationem loci iis designati in choro; episcopi per solemnem ingressum in suam ecclesiam cathedralem, et sessionem in cathedra episcopali; parochi per ingressum in suam parochialem ecclesiam, aliisque ritibus lege vel consuetudine determinatis.

III. Vere beneficium ab eo possideri, qui legitime officium exercet, etiamsi praebenda eidem adnexa contra ius expolietur.

IV. Adepta officii possessione, acquiri etiam possessionem praebendae adnexae. Quae omnia ex ratione consequuntur accessorii, quam habet praebenda ad officium ecclesiasticum cui adnectitur.

467. Possessio beneficii dari debet vel ab ipso collatore vel ab eius delegato. Insuper instrumentum authenticum confici debet datae possessionis; nec per se, qui in possessionem immittit beneficiatum, iudicium ferre debet, utrum dignus sit nec ne; nisi forte hoc sit peculiari ratione iniunctum delegato, antequam aliquem in possessionem immittat.

468. Maxime vero attendendi sunt possessionis effectus: hi autem potissimum recensentur:

a) per possessionem beneficiatus fructus potest percipere beneficii, et actus exercere iurisdictionis eidem adnexae, si forte cum beneficio ea coniungatur; adeo ut solum in quibusdam casibus exceptis, actus aliquos ponere possit iurisdictionis, ante captam beneficii possessionem.

b) Item ex possessione sequitur, in dubio utra ex duabus collationibus prior sit tempore, illam praeferri quae iam est cum possessione coniuncta; hinc effatum illud: *melior est conditio possidentis.*

c) Generatim vero ex possessione consequitur:

aa) in beneficiis liberae collationis, possessionem datam a collatore, aequivalere collationi;

bb) possessorem beneficii *regulariter* liberum esse ab onere probandi;

cc) in pari causa meliorem esse, ut dictum est, conditionem possidentis;

dd) possessionem cum titulo iusto et bona fide, ius tribuere percipiendi fructus beneficii.

d) Nominatim vero ad possessionem pertinent regulae cancellariae apostolicae *de annali* et *triennali possessione.*

Harum usus potissimum est in controversiis, quae oriuntur circa beneficia, illudque tamquam finem sibi praestituunt, ut beneficii possessorem in pacifica conditione constituant.

Sane, ex speciali regula *annalis possessionis,* quae est XXXV inter regulas cancellariae possessor non potest deturbari a possessione, nisi instituto *petitoriò* iudicio. Ex regula vero XXXVI item cancellariae apostolicae *circa triennalem possessionem,* ita statuitur :

« *Item statuit ordinavit idem Dominus Noster, quod si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint,* absque simoniaco ingressu *ex quovis titulo Apostolica vel ordinaria collatione, aut electione et electionis huiusmodi confirmatione, seu praesentatione et institutione illorum ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, provisio, electio, et praesentatio, seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit; (dummodo in beneficiis huiusmodi, si dispositioni Apostolicae ex reservatione generali in corpore iuris clausa reservata fuerint, se non intruserit), super iisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis facta, irritas et inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo* ».

Haec regula ostendit quid excipiatur ab effectu triennalis possessionis, scilicet *ingressus simoniacus,* et *intrusio* in beneficium Papae reservatum. Item ex ea colligitur quid requiratur, ceu conditio necessaria ut possit vim suam exerere, nempe ut possessio sit omnino pacifica, hoc est neque iudicialiter affecta *vitio litigiosi,* neque etiam *extraiudicialiter* quomodocumque perturbata. Denique patet quid ex triennali possessione sequatur, scilicet beneficiarium tutum omnino esse, tum in foro conscientiae, tum in foro externo in sua possessione, quamvis collatio irrita fuerit; nisi agatur de duplici casu excepto, et ipse careat necessariis requisitis (1). Ex quo liquet naturam huius regulae eam esse, tum lites circa beneficia quoad fieri potest excludere, tum ipsos beneficiarios tutos reddere, praescriptionis legitimae vir-

(1) Confer Riganti *Comm. ad h. r.*

tute; siquidem regula de triennali possessione modus quidam est legitimae praescriptionis (1). Triennalis possessio satis probatur, si ostendatur aliquem initio triennii et in fine possedisse. Possessio enim perseverasse praesumitur.

469. Illud etiam animadvertendum est, ad plenam beneficii possessionem, a quibusdam beneficiatis, statuta lege postulari etiam fidei professionem; quae proinde ab iis emitti debet, saltem intra duos menses ab adepta possessione, ne fructibus iam perceptis priventur, et in posterum eos nequeant percipere. Ad professionem fidei ex lege tridentina tenentur omnes provisi de beneficio cui adnexa est cura animarum, vel de canonicatu, aut dignitate in ecclesia cathedrali. Potest tamen ex aliqua peculiari lege vel consuetudine in aliis beneficiis postulari (2).

§ III. *De beneficiorum dimissione.*

470. Generalis ac necessaria conditio ut beneficium ecclesiasticum conferri possit, et consequenter ab eo cui confertur possideri, est illius *vacatio*. Hinc cum legibus quae ad collationem et possessionem pertinent, merito coniunguntur leges quae spectant ad beneficiorum dimissionem. Hac enim fit, ut beneficia vacent atque aliis conferri possint. Quamvis autem et de hac aliquid dictum iam fuerit, eo quod ad acquirendam ecclesiasticam iurisdictionem referatur; hic tamen modo magis determinato ea proponenda sunt, quae ad beneficiorum dimissionem ac permutationem spectant.

471. Dimissio beneficii, prout hic consideratur, definitur: *proprii iuris voluntaria abdicatio, certis ex causis facta, superioris auctoritate*. In qua definitione ea continentur, quae leges ecclesiasticae praescribunt circa beneficiorum voluntariam dimissionem. De hac agitur in decretalibus in titulo *de Renunciatione* (I. 9), ad quem conferendi Doctores.

Cum dimissio voluntaria dicatur, liquet eam differre, sive a dimissione ex superioris praecepto, ut in translatione; sive a di-

(1) Ib. nn. 1-4.
(2) Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 12 de Ref.; Cf. Pii IV Const. *Iniunctum* 13 Nov. 1564.

missione tamquam poena ob culpam, prout accidit in depositione; sive a dimissione ob aliquam inhabilitatem, qua quis a iure cogitur beneficium relinquere.

Dimissio beneficii voluntaria, potest esse vel *expressa* vel *tacita*. Expressa dicitur, si verbis vel scriptis iuxta formam a iure praescriptam emittitur. Tacita vero, cum aliquis actus ponitur, qui vel natura sua, vel ex interpretatione iuris, adnexam habet dimissionem beneficii.

Expressa porro est vel *pura* vel *conditionata*, prout beneficium dimittens, nullo prorsus onere aut conditione adiecta (ex. gr. reservatione pensionis), illud dimittit; vel conditionem aliquam adiicit in ipsa dimissione.

Dimissio beneficii fieri potest, tum ab ipso beneficiario *per se*, tum *per eius procuratorem* specialiter et authentice deputatum. Resignatio tamen beneficiorum obnoxia est quibusdam conditionibus servandis. Eae autem sunt vel *communes* vel *propriae*.

a) Communes conditiones hae recensentur; primo, ut sit *libera*; secundo, ut *fiat ex iusta causa*; tertio, ut *fiat coram episcopo, a quo intra mensem debet acceptari vel reiici*.

Porro ad iustas causas renunciationis voluntariae quod attinet, potissimae recensentur ab Innocentio III (*cap. Nisi 10, de Renunciat.*) in sua decretali ad archiepiscopum calaritanum; scilicet *conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum, irregularitas* quam aliquis incurrit. Quae causae his versiculis a Glossa exhibentur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Huc etiam refertur S. Pii V. Const. *Quanta* 1 Aprilis 1568, cuius haec sunt verba: « *Episcopi .... eorum dumtaxat resi-* « *gnationes admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxii,* « *censurisque ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt aut non debent* « *ecclesiae vel beneficio inservire* ».

b) Propriae vero conditiones hae numerantur: *primo:* resignatio conditionata non potest fieri nisi auctoritate Pontificis; *secundo:* vetitus omnino est regressus in beneficio, quo scilicet quis ius sibi reservat iterum beneficium ingredi ex pacto renun-

ciationi adiecto : *tertio:* item vetita est extinctio pensionis. De qua re legenda Benedicti XIV Constitutio, quae incipit *In sublimi* 29 Aug. 1741. (Bull. Ben. XIV ed. Venet. 1778. vol. I. pag. 32).

c) Si vero renunciatio fiat in favorem tertii, requiritur: *primo:* ut beneficium non sit litigiosum; *secundo:* ut non sit reservatum; *tertio:* ut non sit unitum alteri beneficio; *quarto:* ut non sit vacans ipso iure; *quinto:* ut non sit patronatum vel electivum.

472. Insuper ut amoveatur quaecumque suspicio, vel ob simoniae labem, vel ob affectum sanguinis vel amicitiae, resignationes in favorem tertii fieri debent auctoritate pontificis. Ad arcendam vero speciem hereditariae successionis pertinet regula XIX cancellariae apostolicae, quae dicitur *de Viginti.*

Hac regula statuitur, nullam esse resignationem in favorem tertii, sed beneficium *per obitum* vacare, si resignantis mors (1) ante diem vigesimum a facta resignatione contingat, sive ille iam aegrotus, sive etiam omnino valens (iuxta receptam interpretationem ac praxim), beneficium resignaverit (2).

473. Denique, beneficium etiam *permutatione* dimitti potest; quod fit cum quis beneficium quod obtinet, ea conditione dimittit ut alterum simile vel dissimile obtineat. Habetur proinde resignatio conditionata, et quidem ex utraque parte, cum uterque beneficium suum dimittat, ut alterum obtineat. Permutatio autem beneficiorum absque auctoritate episcopi fieri nequit; adeo ut si beneficia quae commutantur, non sint in eadem dioecesi, requiratur ut utriusque dioecesis episcopus in permutationem consentiat.

Insuper ex iure quaedam requiruntur conditiones seu solemnitates, pro resignatione beneficiorum in favorem tertii, et in eorumdem permutatione. Hae autem sunt:

I. Ut publicetur in ecclesia. Huc spectat Gregorii XIII Constitutio « *Humano vix iudicio* » *5 Ianuar. 1583.*

(1) Minus necessaria videtur quaestio utrum de morte *naturali* an etiam de *civili* regula sit intelligenda. Nam eius scopus est arcere speciem successionis haereditariae.

(2) Cf. Riganti *in Comm. ad h. r. nn. 36. 37.*

II. Ut ii consentire debeant quorum interest.

III. Ut fieri nequeat, nisi utriusque beneficii possessio sit pacifica; secus enim vitium litigiosi, quod vel uni insit, translationem vetat.

IV. Ut causae iustae cognitio praemitti debeat.

V. Denique si non servatis his conditionibus et absque superioris auctoritate fiat, permutatio inducit amissionem beneficii per sententiam iudicis.

Notandum porro, ex citata constitutione Gregorii XIII trium mensium spatium dari ad hoc ut renunciatio publicetur, si ea fiat in manu episcopi; si vero fiat Romae, tum renunciationis publicatio fieri debet, intra sex menses, si beneficium situm sit citra montes, intra novem si ultra. Confer etiam Benedicti XIV Constitutionem « *Ecclesiastica ministeria* » *15 Iunii 1746*. (Bullarii Ben. XIV ed. cit. vol. II. pag. 28).

Constitutio tamen Gregorii XIII pluribus in regionibus recepta non fuit aut in desuetudinem abiit, ut ex Garcia, Pirhing, Reiffenstuel, Zallinger, notat Ferrari Ios. (op. cit. n. 577. nota 3 omnino legenda); qui tamen animadvertit, contrariam sententiam de actuali eius valore ubique vigente defendi in *Analectis Iuris Pontif.* ann. 1855 pag. 1523 seqq. Cf. in decretalibus titulos *De renunciat.* (I. 9), *De rerum permutatione* (III. 19), *et ibi DD.*

SECTIO III.

De legibus ecclesiasticis quae ad beneficiorum conservationem ordinantur.

474. Quoniam ea quae hactenus dicta sunt, eo pacto ecclesiasticum beneficium attingunt, quo illud *adaequate* constituitur, sequitur ut eas expendamus leges, quibus eiusdem incolumitati prospicitur. Generalis instar fundamenti haberi debet huius sectionis, lex illa Ecclesiae: « *Ut ecclesiastica beneficia, sine diminutione conferantur* », quae *Rubrica* est tituli XII libri III decretalium. Ad hoc enim ut sine diminutione conferri possint, opus est ut determinatae sint leges quibus eorum conservatio

asseratur. Liquet porro multiplici modo hanc diminutionem posse contingere; quatenus nempe vel per nimiam eorum *multiplicitatem* in eadem persona, minor ab hac singulis cura adhibetur, vel quatenus unum beneficium per *unionem* cum altero suam veluti amittit propriam rationem, vel denique quatenus sive per unius in plura *divisionem*, vel per subtractionem alicuius partis, seu ut dicitur, per *dismembrationem*, huiusmodi diminutio exsistit. Hinc arbitramur, apte revocari ad leges ecclesiasticas, quae beneficiorum conservationem tuentur, illas quae pertinent tum ad vetitam multitudinem beneficiorum, tum ad beneficiorum unionem, divisionem, ac dismembrationem. Ex quibus patet quinam in hac sectione sit ordo disserendi.

§ I. *De vetita beneficiorum multitudine.*

475. Ut in primis ratio intelligatur, qua de vetita beneficiorum multiplicitate in eadem persona, apud varios auctores disseritur, animadvertendum est, apud nonnullos eam logico nexu coniungi cum illa beneficiorum partitione, qua alia sunt *compatibilia*, alia vero *incompatibilia*, prout scilicet simul haberi possunt, vel simul haberi nequeunt. Alii vero de ea loquuntur, agentes de beneficiorum unione. Cum enim haec dividi possit in *realem* et *personalem*, unio personalis exsistit eo quod uni personae plura simul beneficia conferuntur. At potest etiam non minus logico nexu coniungi haec tractatio cum iis quae spectant ad beneficiorum conservationem, atque hanc methodum sequimur.

476. Principii instar haberi debet, spectata natura beneficii ecclesiastici *proprie* et *adaequate*, multiplicitatem beneficiorum in eadem persona lege ecclesiastica vetitam esse. Dixi *proprie* et *adaequate;* beneficium enim hac ratione, est verum spirituale officium, cui adnectitur ius perpetuum recipiendi fructus ex Ecclesiae bonis. Hinc triplici ex capite oritur, unicum beneficium singulis esse conferendum: scilicet

a) *ratione congruae sustentationis,* quae supponitur singulis inesse beneficiis; ex quo sequitur nonnisi ex turpis lucri cupiditate, in ea hypothesi plura requiri;

b) *ratione spiritualis ministerii,* quod potissimum si animarum curam adnexam habeat, ut primario intelligitur, tale est, ut vel solum, omnes beneficiati curam et sollicitudinem deposcat;

c) denique *ratione residentiae*, quae in beneficiis proprie dictis simul postulatur. Hoc autem vetat quominus plura habeantur.

477. Quare si aliquando haec beneficiorum multiplicitas, ecclesiastica lege permittitur, hoc dici debet fieri veluti *per accidens:* quatenus deficit vel *ex toto*, vel *saltem in sua perfectione,* aliquod ex tribus recensitis elementis: quando vero impune contemnitur ipsa beneficii natura, tunc est illicita omnino ac vetita ecclesiasticis legibus. (Confer. *Extrav. Execrabilis, de Praeb. et Dign. Io. XXII, Concil. Trid. Sess. XXIV. cap. 17 coll. Sess. XII. c. 4 de Ref.).*

478. Ex iis quae modo innuimus oritur

a) notio beneficiorum *compatibilium* et *incompatibilium* quatenus ut superius dictum est, ab eadem persona simul haberi possint vel nequeant;

b) ratio huiusmodi incompatibilitatis, quae multiplici ex capite oriri potest, scilicet ratione *residentiae, uniformitatis* et *consistentiae* sub eodem tecto, *sufficientiae* unius ad sustentationem congruam.

479. Ratione *residentiae* ecclesiastica lege praescriptae, sunt beneficia incompatibilia:

a) duo *diversi* episcopatus, vel duae abbatiae, vel duo canonicatus in diversis ecclesiis, vel duae parochiae;

b) item duo beneficia etiam simplicia in diversis ecclesiis, si *per accidens,* ex aliqua peculiari lege, residentiam requirant.

Ratione *uniformitatis* et *consistentiae* sub eodem tecto, habentur incompatibilia duo beneficia in eadem ecclesia, quae habent idem officium eodem tempore peragendum, et eumdem finem; cuius rei est ratio, quod tunc servitium ecclesiae minuitur. Sic ex. gr. duo canonicatus omnino eiusdem rationis simul haberi nequeunt; servitium enim ecclesiae melius fit a duobus, quam ab uno. Aliter vero est si beneficia diversum habeant officium: sic in eadem ecclesia canonicatus coniungi potest cum capellania.

Ratione denique *sufficientiae*, ad congruam sustentationem, si unum sufficit, iam *per se* (h. e. absque iusta caussa et indulto Pontificis) aliud ex dictis haberi non potest. Si vero sufficiens non sit, potest ei uniri alterum beneficium simplex, at adiungi non potest tertium, etiamsi duo priora non sint sufficientia; sed tunc debet alia ratione provideri.

480. Beneficia autem incompatibilia duplicis generis communiter recensentur: quaedam enim

a) incompatibilia dicuntur *ipso iure*, quatenus scilicet per assecutionem alterius beneficii, primum ipso iure vacat, ante quamlibet resignationem vel iudicis sententiam;

b) quaedam vero incompatibilia non *ipso iure*, sed *per sententiam iudicis* dicuntur, quatenus scilicet ad hoc ut habeantur tamquam vacantia, sententia prius iudicis postulatur: porro

c) vacare dicuntur ipso iure, tum beneficia quae habent adnexam curam animarum, dignitatem, personatum, officium, licet sint sub diverso titulo, si sunt in diversis ecclesiis; tum beneficia uniformia sub eodem tecto, ob causam superius dictam;

d) huius vacationis rationem consequitur, ut si quis dolo malo utrumque beneficium retineat, utroque, iuris dispositione, privetur, atque inhabilis fiat ad alia consequenda;

e) ut autem lex incompatibilitatis vim suam obtineat, opus est ut beneficium quod confertur, sit etiam pacifice possessum, adeo ut nonnisi post hanc pacificam possessionem, primum vacare censeatur;

f) hinc etiam sequitur illa potestas, quae *a iure* (1) fit ei qui beneficium aliquod obtinuit, ut experiatur ad duos menses, an aliquid adversum opponatur, ante prioris abdicationem, ne utrumque beneficium amittat.

481. Beneficia vero quae sunt incompatibilia, ita tamen ut sententia iudicis ad id requiratur, ea sunt quae solam habent adnexam legem residentiae. Cum enim ob hanc, simul haberi nequeant in diversis ecclesiis, postquam unum ex his aliquis elegerit, altero sententia iudicis privatur. Verum exinde apparet,

(1) Dicimus *a iure*, ut seponamus consuetudinem qua forte alicubi contra ius esse potest.

si velimus recte loqui, discrimen in eo unice esse, ut effectus ipse vacationis declarari debeat a iudicis sententia; at haec quoque iure incompatibilia dici possunt, residentiae caussa.

Denique circa beneficia ipsa quae dicuntur simplicia, neque residentiam, neque personale servitium exigunt, eorum incompatibilitas haberi nequit, nisi ex turpis lucri cupiditate, quae debet excludi. Hinc si quis iam habet aliud beneficium cuiuscumque generis, congruae sustentationi sufficiens, aliud etiam simplex ut incompatibile iure saltem habetur (1). Hoc autem valet, etiamsi agatur de beneficiis iuris patronatus laicorum, adeo ut opus sit apostolica dispensatione.

482. Cum lex ecclesiastica, quae vetat beneficiorum multitudinem, eo tendat ex dictis, ut maius Ecclesiae bonum inde consequatur; hinc fit ut sive ratione necessitatis ob personarum defectum, sive ob Ecclesiae utilitatem, quandoque Summus Pontifex determinatas personas ab ea eximat. Sed hoc tamquam mera exceptio haberi debet.

§ II. *De beneficiorum unione.*

483. Ad leges ecclesiasticas, quae beneficiorum conservationem respiciunt, eas referendas censemus quae pertinent ad beneficiorum unionem. Cum enim lex sit Ecclesiae, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur,* profecto si duo vel plura beneficia prius divisa in unum coalescant, dici possunt minui, ratione saltem personarum quae Ecclesiae servitio adimuntur.

484. Quamvis communiter unio beneficiorum dividatur in *realem* et *personalem,* quatenus vel duo beneficia aliquo pacto in unum coalescunt, vel licet divisa uni personae conferuntur; si tamen recte quis loqui velit, haec posterior, unio dici nequit beneficiorum. Neque enim circa ipsa beneficia aliquid fit, sed ea omnino manent eadem, prout prius erant. Si vero beneficia realiter uniantur, sed solum intuitu alicuius determinatae personae, ut scilicet quoad eius vitam dumtaxat unita manere debeant, tunc unio per se est *realis,* fit enim circa ipsa beneficia; solum, quod durationem attinet, est *temporaria,* idque non ex

(1) Vide tamen Devoti, *Inst. Can.* lib. II. tit. 14. § 17.

contingenti aliqua causa, sed ex ipsa indole illius unionis. Haec dicenda erant ad distinctionem idearum.

485. Unio beneficiorum, quo nomine veniunt etiam ipsae ecclesiae, est: *duorum vel plurium beneficiorum a legitimo superiore rite facta annexio*. Haec proinde vere fit *in ipsis beneficiis,* adeoque iure *realis* dicitur.

486. Cum in quolibet ecclesiastico beneficio duplex habeatur elementum, scilicet *officium spirituale, et bona temporalia* eidem adnexa, videretur unio beneficiorum his omnino modis fieri posse:

a) ita ut uniantur solum officia spiritualia singulorum;

b) ita ut uniantur solum bona temporalia, seu praebendae;

c) ita ut utrumque elementum simul coniungatur.

Verum cum *beneficium* sit *propter officium,* apparet primam unionis rationem fieri non posse. Hinc solum duplex remanet ratio uniendi simul ecclesiastica beneficia, prout scilicet vel *adaequate* fit unio quoad utrumque elementum, vel *inadaequate* solum quoad temporalia.

487. Quamvis communiter unio *realis* beneficiorum dicatur fieri triplici modo, scilicet I. *aeque principaliter* per unionem *socialem;* II. *accessorie* per unionem *subiectivam;* III. *totaliter* per unionem *suppressivam* seu *extensivam;* liquet tamen unionem aeque principalem aliquo sensu *personalem* esse.

Unio enim aeque principalis fit inter duo beneficia, quae in omnibus manent immutata post unionem sicut prius, hoc solum excepto, quod utrumque officium, et praebenda ei adnexa in una persona cohaerent. Hoc pacto uniuntur, ut constat, duae vel etiam plures cathedrales ecclesiae, quarum unaquaeque suum habet capitulum, seminarium, vicarium generalem, et tempore sedis vacantis, vicarium capitularem, itemque omnia sua retinet iura, onera ac privilegia. Attamen licet unio haec fiat *in persona,* et sub hoc respectu *personalis* dici queat, non fit tamen *intuitu personae;* sed ob aliquam causam quae in bonum Ecclesiae refunditur, Summus Pontifex *permanenti quodam modo* unit huiusmodi ecclesias, vel beneficia.

488. Hac dimissa, realis beneficiorum unio nonnisi duplici modo fieri potest, scilicet vel ita ut unum addatur alteri tamquam pars, vel ita ut solum quoad temporalia unio existat.

Cum duo beneficia ita uniuntur, ut unum sit veluti pars alterius, iam supponitur, unum ex his inferius esse, alterum vero superius. Tunc beneficium inferius rationem habet *accessorii*, comparate ad superius, quod rationem induit *principalis*. Sic ex. gr. parochia unitur accessorie canonicatui, praeposituræ, abbatiae, etc. Haec unio accessoria efficit ut beneficium minus dignum digniori sit subiectum, unde unio haec dicitur *servilis, filialis, subiectiva*. Duplex porro est modus quo id fieri potest. Vel enim

a) beneficium minus ita fit accessorium ut suum titulum quidem retineat, sed incorporatum cum titulo beneficii superioris; cuius iurium ac privilegiorum etiam particeps fit, cum accessorium naturam sequatur principalis; vel

b) beneficium minus titulum etiam amitti, et iis solum gaudet iuribus et privilegiis, quae digniori competunt.

489. Denique unio *quoad temporalia* tunc habetur cum reditus, decimae, quae ad aliquam ecclesiam pertinent, tribuuntur monasterio, vel collegio.

490. Recensitis modis, quibus beneficiorum unio fieri potest, iam dicendum est de iis quae ecclesiastica lege sanciuntur ut rite fiat. Hoc autem duplici ex capite habetur, scilicet I. ut unio fiat a superiore legitimo; II. ut serventur *solemnitates* a iure statutae. Vix autem opus est animadvertere, iustam causam requiri, quae scilicet necessitate vel utilitate contineatur. Cum enim unio beneficiorum sit odiosa, ut eorum conservationi adversa, nonnisi ex causa iusta, licite saltem, fieri debet.

491. Legitima beneficiorum unio fit

a) a Summo Pontifice quoad omnia ecclesiastica beneficia, ob plenissimum ius administrandi (436), de quo dictum est. Insuper ab eo solum, *exclusivo* iure, fit quoad cathedrales ecclesias, ac generatim beneficia quae dicuntur consistorialia;

b) ab episcopo quoad beneficia non exempta vel peculiari lege eidem vetita, suae dioeceseos;

c) a capitulo cathedrali sede vacante, si tamen nihil iuribus episcopi successuri detrahatur;

d) a praelatis inferioribus, si iurisdictionem habeant quasi episcopalem, eodem modo ac episcopi in sua dioecesi, secus vel ex privilegio speciali, vel ex iure praescriptione debita acquisito;

e) a legatis *a latere,* qui sicuti quaedam beneficia conferre, ut alias notavimus, ita et ea possunt unire (336, *b*).

492. Solemnitates vero servandae in beneficiorum unione sunt:

a) Ut ii audiantur quorum interest.

b) Ut habeatur consensus capituli cathedralis ecclesiae, qui tamen consensus si iniuste a capitulo recusetur, suppleri potest apostolica auctoritate.

Diximus paullo ante (491 *b*), quaedam circa beneficiorum unionem peculiari ecclesiastica lege episcopis vetita esse. Huc spectant nominatim leges non uno loco constitutae a Concilio Tridentino; nominatim Sessione XIV. cap. 9 de Reform. (1); Sess. XXIV. cap. 9 de Reform. (2).

§ III. *De beneficiorum divisione.*

493. Legi ecclesiasticae superius memoratae, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur,* maxime opponitur eorumdem *divisio,* ad quam revocari etiam potest *dismembratio.* Sunt qui praeter divisionem ac dismembrationem beneficiorum, ponunt etiam *disiunctionem,* quae tunc locum habet, cum beneficia rite prius unita iterum disiunguntur ac in pristinum statum, quo erant ante unionem, nulla facta circa ea immutatione restituuntur.

494. Beneficiorum divisio est *unius beneficii in duo vel plura partitio.* Sic ex. gr. dividitur canonicatus, si ex eius praebenda duplex constituatur pro duobus canonicis praebenda. Liquet autem tum beneficii divisionem locum habere, cum unaquaeque pars eiusdem, novum beneficium constituit. Si vero beneficium unum manet, sed ab eo pars aliqua detrahitur, quae iam existenti beneficio adscribitur, tum non divisio, sed *dismembratio* fit.

495. Beneficiorum divisio, ut liquet, maxime est odiosa, adeoque per se iure prohibita, ut constat ex pluribus textibus iuris: nihilominus lege ecclesiastica quandoque permittitur, dum-

(1) Ne uniantur beneficia duarum dioeceseon diversarum.

(2) De non uniendis beneficiis saecularibus cum regularibus.

modo habeatur iusta causa et serventur statutae solemnitates. Si de parochia agatur, ad iustam causam maxime refertur *necessitas populi fidelis*, qualis existeret, si ex. gr. absque gravi aliquo discrimine pars aliqua fidelium parochialem ecclesiam adire non posset; tunc enim locus esset erectioni novae parochiae, etiam facta prioris divisione. Numerus fidelium maior *per se* non sufficeret, (sepositis peculiaribus adiunctis) quia parochus aliis adscitis adiutoribus iis potest prospicere. Sic etiam ob iustam causam, cuius unicus iudex est Romanus Pontifex, cathedrales ecclesiae quandoque ab eo dividuntur. Paroeciarum vero vel canonicatuum divisio, nisi peculiaris quaedam adsit dispositio iuris, ad episcopum pertinet. Ad iustam causam magna etiam utilitas iure revocatur. Quoad vero solemnitates iure statutas, in primis recensetur, nisi consuetudo alia rite invaluerit, consensus capituli cathedralis, quando de divisione agitur, quae fit ab episcopo. Item requiritur, ut hi audiantur quorum interesse potest. Denique ut huiusmodi sit beneficium quod dividitur, ut eius redditus congruam sustentationem unicuique ex novis beneficiatis suppeditet.

496. Ad dismembrationem quod pertinet, haec quoque est per se de iure prohibita; est enim beneficii diminutio; potest tamen ex iusta causa fieri, dummodo statutae solemnitates serventur. Ad dismembrationem autem eaedem requiruntur solemnitates, scilicet consensus capituli, et simul ut audiantur hi quorum interesse potest. Insuper ea requiritur redituum abundantia, ut absque beneficii notabili detrimento dismembratio eorum fieri possit, simulque gravis aliqua indigentia, comparate ad causam illam piam vel aliud beneficium in cuius favorem dismembratio adhibetur.

497. Quae pertinent ad *causas beneficiales possessionis, spolii* etc. ea ut dictum est (455) aptius remittuntur ad partem specialem libri III de iudiciis. Quod vero ad auctores attinet omnino plurimos, qui de re beneficiaria scripserunt, insigniores fuerunt, card. De Luca, Garzia, Loterus. Nominatim conferendus est Petrus Leurenius Societatis Iesu in opere inscripto *Forum beneficiale,* quatuor partibus distincto – Phillips amplam exhibet de re beneficiaria bibliographiam (*Du droit eccles. dans ses sources, trad. française par Crouzet,* in fine).

498. Cum ea quae ad veram propriamque naturam ecclesiastici beneficii maximi sint momenti, tum ut leges de eo latae rite intelligantur tum ut de nonnullis consectariis quae inde dimanant rectum iudicium feratur, opportunum duximus quaedam ad maiorem huius rei illustrationem adiicere.

Scholion I.

In beneficii ecclesiastici essentiam eiusque elementa intimior disquisitio.

I. Vix opus est animadvertere, naturam ac essentiam beneficii esse *positivae institutionis,* hoc est: beneficium eam essentiam habere quam Ecclesia, *illud ex toto instituens,* habere voluit. Quare non aliter quam *ex facti historici analysi eiusque elementorum consideratione* dignosci potest, quin opus est, ut scientifica definitio factum exhibeat, siquidem vera haberi debeat.

II. Iamvero si stadium primum historicum rei beneficiariae cum tertio cuius praecipuas leges in hoc titulo expendimus comparetur, illud statim apparebit quatuor illa primi stadii historica elementa (458 I.) quae recensuimus, aliquo pacto et in tertio stadio, constituti scilicet beneficii, remansisse, sed diverso modo. Ea erant: *bonorum congeries, potestas suprema episcoporum in administrandis bonis Ecclesiae temporalibus et iis distribuendis, ministri quibus ad id utebantur, auctoritas moderatrix qua abusus coercebantur.* At vero quando vera et propria beneficia sunt constituta, sese nobis exhibent hae immutationes:

a) bona temporalia sive mobilia sive immobilia in unaquaque dioecesi non constituunt unicam congeriem, sed singulis officiis sua pars est attributa;

b) quadripartita illa divisio in episcopum, clerum, cultum divinum, exercitium charitatis, repraesentatur a praebendis beneficiorum *maiorum* et *minorum, fabricis ecclesiarum, locis piis;*

c) proprietas seu dominium proprie dictum bonorum ecclesiasticorum remanet tamen penes Ecclesiam, ob vetitam eorum alienationem, et beneficiarius solum percipit fructum ex ipsis;

d) administratio bonorum libere eidem permittitur, secun-

dum tamen ecclesiasticas leges de modo erogandi fructus beneficiorum ;

e) auctoritas moderatrix est in ipsis legibus de re beneficiaria ab Ecclesia constitutis ;

f) ad clericos quod attinet, sicuti ratio possidendi bona temporalia ad honestam sustentationem, est honor et decus status clericalis, ita servitium Ecclesiae est titulus quo clericus habet ius ad sustentationem pro sui gradus honore. Solum in primo stadio, adscriptio in clerum alicuius ecclesiae ad nutum episcopi, ius illud dabat ; in tertio, deputatio ab Ecclesia multiplici modo facta (296) clerici ad aliquod determinatum ecclesiasticam officium, ius illud largitur.

III. Nihil porro dicimus de secundo stadio, est enim stadium transitionis, et nihil habet peculiare si excipias temporariam durationem minusque perfectam formam quo a tertio discriminatur.

IV. At vero illud paulo ante animadvertimus, veram ecclesiastici beneficii notionem oportere ut *factum eiusque elementa* repraesentet. Quare in primis recensenda sunt elementa *communia* primo et tertio stadio. Ea enim proculdubio nobis sufficient notas *essentiales* conceptus ecclesiastici beneficii. Communia autem haec elementa sunt :

a) *bona temporalia* quae ab Ecclesia *possidentur ;*

b) eorum *destinatio* tum generatim ad Ecclesiae *finem* ad quem tanquam *media* ordinantur, tum speciatim prout determinato modo ordinantur ad clericorum sustentationem, religionis cultum, exercitium christianae caritatis ;

c) *leges* quibus Ecclesia moderatur tum possessionem bonorum temporalium, tum eorumdem administrationem et usum ;

d) si nominatim clericos attendamus, *titulus* ob quem ad sustentationem ius habent, scilicet officium *ecclesiasticum,* proindeque *ecclesiastica deputatione commissum ;*

e) vinculum *essentiale* inter *officium* et *ius* ad partem illam bonorum temporalium pro decenti clerici sustentatione.

Haec omnia diverso quidem *modo* ad actum reducuntur in primo ac in tertio stadio, at *ad rem quod attinet* in utroque reperiuntur.

V. Notae igitur *essentiales* conceptus ecclesiastici beneficii hae ex ipsa eius natura *positivae institutionis* sunt :

1) duplex elementum scilicet *spirituale* quod ecclesiastico officio et *materiale* quod temporalibus bonis exhibetur;

2) vinculum *essentiale* inter utrumque ita ut primum det *ius* ad alterum, scilicet officium ius det ad bona temporalia: hinc, *necessitas ut utrumque elementum subsit eidem auctoritati et absurditas separationis qua primum Ecclesiae, secundum potestati civili subiiceretur* (1);

3) *auctoritas Ecclesiae* quae exercetur, tum in elementum *spirituale*, quatenus constituit officium ecclesiasticum, tum in *materiale* quatenus leges statuit tum *possessionis* tum *usus* bonorum temporalium.

Erit igitur beneficium ecclesiasticum:

Ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae quod competit ecclesiasticae personae propter officium sacrum Ecclesiae auctoritate constitutum.

Haec autem definitio beneficii ecclesiastici est *omnino vera* siquidem notas omnes *essentiales* complectitur quae ex analysi *facti historici instituti beneficii*, deducuntur, licet ulterius sit expolienda.

VI. At vero si comparetur cum communi beneficii ecclesiastici definitione apud canonistas scilicet: *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis personae ecclesiasticae competens propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesiae eidem tributum* in quam ad rem quod attinet omnes conveniunt, statim nostra definitio eo deficiens deprehenditur quod *perpetuitatis* notam haud complectatur. Atqui tamen, eam omnes essentiales notas quae ex facti historici analysi deducuntur exhibere, ostendimus.

VII. Oritur hinc disquisitio, utrum perpetuitas ad essentiam beneficii pertineat. Hanc inquisitionem non esse supervacaneam, vel exinde colligi potest, quod etsi commune sit canonistis perpetuitatem ad essentiam beneficii referre, non desint tamen etiam praeclarae ex iis notae doctores qui id negent, uti Navarrus (2)

(1) Haec absona separatio fundamentum est iniquarum legum quo nostro aevo bona ecclesiastica impune diripiuntur.

(2) De redditib. eccl. q. 1 monito 55. n. 4. (apud Reiffenst. de Praeb. n. 6). Cf. etiam Pirhing. in eumdem titulum, n. III.

qui *ius perpetuum* dicit esse posse vel *in se*, vel *quoad recipientem* (h. e. *obiective* vel *subiective*) tum Garcias (1) et Pyrrhus Corradus (2) qui in beneficii definitione perpetuitatis notam praetermittunt. Nostra vero hac aetate, tum pro peculiari disciplina quae alicubi viget, tum pro immutationibus quas praesens Ecclesiae status externus exigere potest, non levis est momenti paulo accuratius de hoc disserere.

VIII. Distinguenda est in primis perpetuitas *obiectiva*, quae dici potest *institutionis*, et *subiectiva* quae potest dici *attributionis*. Prima eatenus concipitur quatenus beneficium nobis exhibet officium aliquod spirituale permanenti modo et *ex se* (h. e. sepositis factis contingentibus ex. gr. suppressionis, unionis, etc.), perpetuo annexum cum determinata quantitate bonorum temporalium quae inservit ad clerici qui eo fungitur sustentationem, iuxta leges ab Ecclesia sancitas. Altera vero tunc vigere concipitur, quum persona cui beneficium tribuitur, eodem perpetuo fruitur, scilicet quoad vixerit, *(arg. cap. Ex parte de Cler. aegr. et cap. 5 de Rescr. in 6)* sepositis item contingentibus caussis, uti renunciationis, translationis, vel etiam privationis ob crimen, prout legibus Ecclesiae cautum est.

IX. Iamvero ad singula accedentes, ad *obiectivam* perpetuitatem quod attinet, haec notanda videntur. Iam ab antiquissimis Ecclesiae temporibus, illud reperire est, adscriptionem personae in clerum alicuius ecclesiae *ex sese* fuisse perpetuam. Sive quis ibi adscriberetur ubi ortus erat, sive qualibet de causa eo permanendi animo advenisset, perpetuo inter clericos eidem *ecclesiae* h. e. *dioecesi* addictos recensebatur, ut in ea fungeretur sacro ministerio. Hinc leges frequenter in conciliis latae quibus vetabantur clerici episcopo invito ab una ad aliam ecclesiam transire, *(can. 2. d. 70)* quae ad rei substantiam etiamnum vigent. Vestigium etiam huius disciplinae nobis exhibent ecclesiasticae leges de episcopo proprio (423. seqq.) pro sacris ordinibus suscipiendis (3). At vero quando unica in singulis dioecesibus erat ecclesia scilicet episcopalis facile intelligitur perpetuitatem

(1) De Benef. part. 1. c. 2. n. 2. (ibi).
(2) Praxis beneficiar. lib. 1. c. 1. n. 1. (ibid).
(3) Cf. *Thomass. Op. cit. Part. II. cc. 1-10.*

obiectivam non fuisse distinctam ab adscriptione perpetua in clerum, quamvis enim pro fidelium spirituali necessitate clerici huc illuc mitterentur ad quaedam sacramenta ministranda, unica semper erat ecclesia episcopalis in qua sacra peragebantur.

Aucto vero numero fidelium opus fuit alias quoque ecclesias, parochiales scilicet, in dioecesi constituere, quae eo ipso quod ex agnita necessitate cui prospiciendum erat, oriebantur, permanenti modo et, intra quosdam limites potissimum in exordio, etiam perpetuo constituebantur. Etenim in ipsis initiis pronum est, longe faciliori ratione potuisse parochiales ecclesias, pro variis adiunctis, ab uno ad alium locum transferri. Cum vero singulis bona quaedam saltem mobilia, ex. gr. oblationes, certo modo attributa sunt, character hic permanentis imo et perpetuae durationis multo magis emicuit. Denique veris et propriis institutis parochialibus beneficiis, statutisque legibus quibus earum perpetuitas in tuto collocabatur, adeo ut nonnisi in determinatis casibus et legitimo modo aboleri aut alteri uniri possent, perpetuitas illa quam diximus *obiectivam* seu *institutionis* suam plenam perfectionem assequuta est. Patet autem hanc *per se* sufficere ad essentiam veri et proprii ecclesiastici beneficii. Exhibet enim quidquid *in historica ecclesiastici beneficii institutione* essentiale continetur.

X. Quo pacto igitur intelligenda est *perpetuitas subiectiva* quam diximus *attributionis* pertinere ad notionem beneficii? Ulterius: quomodo explicari potest eam ut notam eamque *essentialem* in communi beneficii definitione recenseri? Id quoque, historia duce, adeoque iuxta rei veritatem non arbitrio confictum, haud difficile assequemur. Etenim

a) si assurgimus ad primum stadium quo unica erat cathedralis simulque baptismalis ecclesia, facile intelligitur adscriptionem in eius clerum unam eamdemque fuisse ac adscriptionem in clerum dioeceseos universae. Munia enim spiritualia quae identidem pro re nata in variis dioecesis partibus exercebantur, erant veluti *fictione iuris* in ipsa ecclesia unica quae in sua actione propemodum extendebatur, exercita. Adscriptio autem in clerum erat *ex sese* perpetua ut disertissimis testimoniis probat alios inter luculentissime Thomassinus (1). At vero, huic adscriptioni

(1) l. c.

adnexum erat ius recipiendi congruentem ordini quin et labori in sacro obeundo ministerio exantlato (I. Timoth. V. 17) sustentationem. Unde necessario consequebatur absque legitima caussa sacris canonibus statuta, puta *translationis* ad aliam dioecesim, vel *depositionis* ob crimen iuxta legitimas ecclesiasticas sanctiones *in poenam,* neminem semel in clerum cooptatum eo iure privari posse.

b) Hinc dici iure potest etiam eo tempore ecclesiastica munia *ius perpetuum* ad congruam illam sustentationem dedisse. Multiplicatis etiam ecclesiis nondum tamen veri propriique nominis beneficiis constitutis, eo quod adhuc congeries unica bonorum temporalium sub suprema episcopali administratione, ut diximus, habebatur, haud mutata illa est perpetuitas attributionis seu subiectiva.

c) Postquam vero in tertio stadio vera exstiterunt beneficia, per veram et propriam ecclesiae institutionem, legibus illis quae decretalium iure continentur, et unicuique beneficiario partis sibi tributae bonorum quorum fructibus ali debet, administratio permissa fuit; idem beneficiarius neque potuit neque debuit expoliari iure illo perpetuo ad congruam sustentationem quo *ob adscriptionem in clerum fruebatur.* At vero in illis rerum adiunctis, ius illud haud aliter poterat exerceri quam in partem illam seu in *praebendam* beneficialem: evadebat igitur *ius perpetuum* percipiendi fructus illius praebendae in congruam sustentationem, ob sacrum officium quod consequebatur ex adscriptione in clerum. En igitur quo pacto perpetuitas quoque *subiectiva* ad beneficii notionem pertinere dici potest.

d) Verum si subtilius in eam inquiratur statim apparet tum perpetuitatem *obiectivam* tum perpetuitatem *subiectivam* pertinere ad beneficium sed non eodem modo. Prima enim pertinet *tanquam unum ex elementis quibus constitutum est beneficium.* Diximus enim connexionem permanentem ex ecclesiae institutione inter officium sacrum et partem bonorum esse constitutivum beneficii. Et re quidem vera hoc potissimum constituit essentiale discrimen inter beneficia impropria secundi stadii et beneficia vera et propria tertii stadii. Perpetuitas igitur obiectiva est nota *essentialis.* Contra vero perpetuitas *subiectiva*, non pertinet ad constitutionem beneficii sed oritur ex *conditione personae* et ex

alio principio, nempe ex lege ipsa divina, teste Paulo (I. ad Corinth. IX 7. sqq.) qua cautum est ut qui altari inservit de altari vivat. Patet ergo perpetuitatem subiectivam ad essentiam beneficii non pertinere, sed ad eam iam constitutam accedere eamque perficere; hinc eam dicimus notam non *essentialem* sed veluti *integrantem*. Quia tamen haec subtilior distinctio quam explicite proponit Navarrus *(ius perpetuum in se vel quoad recipientem)*, a plerisque non fit, beneficium communiter definitur *Ius perpetuum* etc.

XI. Si haec recolantur quae hactenus dicta sunt, facile dignosci poterit in quibus conveniamus, in quibus vero dissentiamus quoad ea quae habet Santi ad *tit. 23. lib. 1. Decr. de off. Vicarii n. 12.* Dissentimus enim, eo quod contendimus, testimonia quae *perpetuam adscriptionem clerici alicui ecclesiae esse debere* edicunt, nonnisi de adscriptione in clerum *dioeceseos* esse intelligenda, si tertium iam constituti veri beneficii stadium excipiatur.

XII. Insuper ex nostra sententia haec profluunt consectaria:

a) si disciplina quae in praesens ecclesiastica beneficia moderatur *in toto suo complexu* spectetur, dici potest et debet, perpetuitatem illam quam *subiectivam* appellavimus, ita adnexam esse, communi ecclesiae lege, perpetuitati obiectivae, ut sine illa verum et proprium beneficium non habeatur. Excipi tamen debent quidam peculiares casus de quibus v. Pirhing de praeb. n. III cit.;

b) hinc quando beneficium habetur *vere et proprie in titulum,* perpetuitas subiectiva seu *inamovibilitas beneficiati,* praeter casus in iure exceptos, necessario requiritur.

c) quia tamen haec necessitas non oritur, ut ostendimus, ex vera et propria *essentia* beneficii, neque est unum ex elementis illud constituentibus, sed ad illud iam constitutum accedit et ex alio principio oritur, hinc absolute loquendo si Ecclesia generali lege perpetuitatem subiectivam hoc est inamovibilitatem beneficiati penitus aboleret, manente tamen incolumi iuxta ecclesiasticas leges perpetuitate obiectiva sensu explicato, haberentur adhuc vera et propria beneficia, nullum enim deesset ex elementis beneficium constituentibus.

d) hinc etiam si vel *positive,* vel saltem *interpretative* ob

legitimam epicheiam (ut factum arbitramur in Gallia post concordatum anni 1801 et ex ea in Belgio) Ecclesia pro aliqua regione, quaedam beneficia, ex. gr. parochialia, quae iuxta *communem* vigentem disciplinam adnexam habent inamovibilitatem, ea carere constituat iuri communi derogando, haec particularis disciplina ex hoc solum capite *illegitima* et *anticanonica* dici nequit. Quod multo magis affirmandum est, si Sedes Apostolica de re consulta, vetet absque sua venia quidquam immutari. Cf. Rescriptum Gregorii XVI ad episcopum leodiensem in Belgio (1) de quo plura diximus in ephemeride gallica « *Journal de Droit canonique* » (2);

e) quare improbatio publica qua verbo qua scripto facta, licet bona mente, a privatis hominibus illius particularis oeconomiae, *legitimae institutionis*, et Sedis Apostolicae auctoritate firmatae, non fuit laudabile studium redeundi ad violatam legem, sed renisus *in se* improbandus adversus auctoritatem episcoporum (3);

f) non inde tamen sequitur, vitio hominum, abusus irrepere non posse, sed iis satis occurritur sapientissima agendi ratione qua sacrae congregationes hanc etiam extraordinariam disciplinam moderantur;

g) si vero *remotio, ad factum quod attinet, aequivalet privationi beneficii*, h. e. *congrua sustentatio adimitur*, tunc *requiruntur caussae canonicae, et processus saltem in substantialibus, ad normam iuris.*

Hactenus de hac controversia.

XIII. Iam brevissime omnia quae ad beneficii naturam ac notionem hactenus disputavimus, in synthesim colligendo, haec habentur:

a) *etymologice, beneficium* est a *benefacio,* quo sensu apud romanos *beneficiarii milites,* consulum, praetorum, ii dicebantur qui eorum gratia munus aliquod consequuti fuerant;

b) *historice,* nomen beneficii, ecclesiasticis beneficiis datum contendit Berardi sextum inter septimumque saeculum, invaluisse

(1) *Collect. in usum S. C. EE. et RR. pag. 490 nota, ed. rom. 1863.*
(2) Juin 1889 et suiv.
(3) Journ. de droit can. cit.

vero saeculis insequentibus ob analogiam cum systemate feudali (Comm. in Ius eccl. univ. To. I. pag. 213. 14. ed. Mediol. 1846);

c) *realis* definitio duplex est prout elementa solum considerantur beneficium constituentia, quaeque *essentialia* diximus, vel beneficium *in toto suo complexu pro vigenti disciplina* consideratur.

Primo modo est: *Ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae, per veram et propriam Ecclesiae institutionem permanenti modo alicui ecclesiastico officio adnexis, competens determinatae ecclesiasticae personae propter idem officium obeundum illi auctoritate Ecclesiae commissum.*

In qua definitione perpetuitas essentialis seu obiectiva, omissa ad vitandas aequivocationes voce *perpetuitatis*, exhibetur illis verbis *per veram et propriam*, etc.

Si vero altero modo h. e. in toto suo complexu pro vigenti disciplina beneficium spectetur tum voci *Ius* addendum est appositum *perpetuum* sensu explicato.

XIV. Non igitur opus est novam illam adhibere beneficii notionem quam tradit Berardius (op. et loc. cit. pag. 214. § *Dicta*) « *Militia quaedam ecclesiastica, cuius onere suscepto, clericus certis ecclesiasticis officiis adstringitur; cuius iure quaesito ecclesiastica stipendia mereat* » quae porro nihil magis dicit et in modo dicendi non uno laborat incommodo, et illo in primis quod de quolibet temporis stadio adeoque de nondum constitutis beneficiis dici potest *clericos stipendia* merere etc.

Haec de beneficii essentia ac definitione sufficiant.

Scholion II.

Multiplex beneficiorum partitio illustratur.

I. Praecipuas dedimus (h. t. sect. 1. § II) superius beneficii partitiones. Ad eas porro ulterius illustrandas opportunum ducimus, quasdam generales animadversiones dumtaxat proponere, quibus partitionum methodus et partitiones ipsae non minimum illustrantur.

II. Illud in primis per se patet, illa et sola *vera* esse beneficia quibus *omnes notae illae* conveniunt quae ad beneficii naturam pertinent de quibus nuper (Schol. I.) disseruimus. Quia vero duplici modo beneficium potest spectari h. e. *in suis elementis constituentibus*, et *in toto suo complexu pro vigenti communi disciplina*, hinc duplici etiam modo *vera* et *propria* beneficia possunt determinari: communiter vero beneficia ab auctoribus secundo modo h. e. *in suo complexu*, considerantur.

III. Partitiones vero quae circa beneficia adhiberi solent, oriuntur ex modo considerandi elementa quibus constituuntur sub vario eorum respectu. Sic

a) *ratione relationis ad hierarchiam* sunt, vel *maiora* vel *minora; maiora* episcopalem vel saltem quasi episcopalem dignitatem prae se ferunt, *minora* reliqua sunt;

b) ratione *status* ecclesiasticae personae sunt *regularia* vel *saecularia;*

c) ratione *ministerii* quod officium exhibet, *curata* vel *non curata;* si insuper *potestas* attenditur et peculiares obligationes, *duplicia* vel *simplicia, residentialia* vel *non residentialia;*

d) ratione qua officium *immediate* vel *mediate* ab Ecclesia committitur sunt vel *collativa* vel *electiva* vel *patronata,* et quibusdam additis collationis circumstantiis *consistorialia* si a Pontifice in consistorio conferantur, *patrimonialia* si ius ad ea obtinenda alicui familiae competat, *monocularia* si collator illud dumtaxat beneficium conferre possit. Verum haec appellatio arbitraria prorsus est;

e) denique *ratione durationis in attributione, perpetua* vel *manualia* (Cf. DD. ad tit. 5. lib. III. Decr. nominatim Reiff. n. 19 sqq.).

Haec satis superque sunt ut et partitionis oeconomia et pleraque eiusdem membra plane perspecta sint.

Scholion III.

De variis beneficiorum speciebus sive propriis sive analogicis earumque legibus et de praesenti statu rei beneficiariae.

I. Quo per se amplior est materia huius tractationis eo breviores esse cogimur in ea synoptice exhibenda, ita ut ea dumtaxat statuamus quae veluti fundamenta sunt quibus eae quae in singulis speciebus habentur leges, innituntur. Igitur

a) ad discrimen quod spectat inter beneficia propria et analogica, liquet desumendum illud esse ex iis quas diximus *notas essentiales beneficii,* prout eius conceptus ex historia dignoscitur (heic Schol. I). Illa igitur veri propriique nominis erunt beneficia quibus omnes illae superius recensitae notae conveniunt quae *ad beneficii constitutionem* requiruntur. Contra vero si vel una ex his deficiat verum propriumque beneficium non habetur, multoque magis si solum per quamdam similitudinem, illae quae habentur notae, essentiales notas referant;

b) quia tamen in vigenti disciplina ad verum propriumque beneficium sin minus *essentialiter* saltem *adaequate* (*sensu explicato* scilicet, ut diximus, pro communi vigenti disciplina) constituendum, utraque perpetuitas communi lege requiritur *obiectiva* scilicet et *subiectiva,* seu *connexionis* et *attributionis,* hinc in praesenti statu historico, beneficia subiectiva perpetuitate destituta, vera beneficia non sunt exceptis casibus in iure memoratis ut ex. gr. in beneficiis regularibus;

c) partitiones quas superius dedimus (Sect. I. § 2. et Sch. II. huius tit.), beneficiorum, varias eorum species exhibent pro diversa considerandi ratione. Facta hypothesi, ut par est, quod de veris beneficiis agatur, notae essentiales beneficii quae iis competunt, connotant leges illas communes quas hactenus (Sectt. II. et III. h. t.) recensuimus, quatenus vero peculiares illas notas insuper habent quibus sunt *tale beneficium* et ab aliis discriminantur, connotant illas leges peculiares quibus Ecclesia singulas beneficiorum species moderatur: sic, ex. gr. canonicatus convenit in communi ratione beneficii et insuper ab aliis distinguitur ob peculiare officium sacrum, obligationes et iura quae ex eo di-

manant (371. sqq.): hinc peculiares leges quae haec omnia moderantur, scilicet recitationem in choro horarum canonicarum, missam conventualem, distributiones, fallentias, etc. Idem dicatur de reliquis;

d) quando dicitur beneficia, illa quae dicuntur *maiora* a Summo Pontificatu ad praelaturas *nullius*, in odiosis nomine beneficii non comprehendi, hoc non significat ea vera beneficia non esse, sed solum ex eminentia dignitatis proprio potius quam communi nomine designari et in quibusdam iuris dispositionibus excipi;

e) hinc patet quaenam sint vera et propria beneficia: scilicet sepositis maioribus de quibus modo diximus, veri beneficiarii sunt, parochi inamovibiles quocumque nomine appellentur (praepositi, decani, archipresbyteri, plebani, rectores, vicarii perpetui, etc.) non vero succursalistae (heic *b*) ex vigente disciplina; canonici et praebendati seu beneficiarii sive ecclesiae cathedralis sive collegiatarum etiamsi alio nomine eorum beneficia appellentur (praestimonia, portiones, etc.) si tamen in notis essentialibus beneficii non deficiant, itemque habentes capellaniam ecclesiasticam perpetuam non vero laicalem, atque ita de reliquis quae hic singillatim referre opus non est. Cf. Schmalz. ad tit. de praeb. et dignit. § 2. Santi in eumdem tit. nn. 14–33;

f) quae vero iuxta normam superius recensitam vera beneficia non sunt, si hoc nomine vocentur, id nonnisi per quamdam analogiam, intelligi debet, quamvis quandoque in quibusdam etiam, iuris dispositione, beneficiis aequiparentur, ut contingit de pensione ecclesiastica perpetua (Santi loc. cit.). At commendae nostra quidem sententia vera beneficia dici nequeunt, (secus ac tenet cit. Santi l. c.). Beneficia vero manualia solum ex dictis (heic litt. *b*) veris beneficiis accensenda non sunt (1). Hactenus de variis beneficiorum speciebus.

II. Pauca de praesenti statu rei beneficiariae.

Ad maiorem tractationis perspicuitatem praemittendum censemus, ad hoc ut Ecclesia in re beneficiaria suam plenam evolvat potestatem duo maxime requiri:

1° ex parte *officii sacri*, ut Ecclesia plenissima polleat po-

(1) *V. Sect. I. (§ 2. h. t. Schol.).*

testate, quoad adscriptionem in clerum quorumcumque quos idoneos iudicet, ut talis sit clericorum numerus quo non solum beneficia *curata,* vel *capitula cathedralia,* sed alia quaelibet constitui possint;

2° ex parte *bonorum temporalium,* ut haec in plenissima sint et omnino independenti Ecclesiae potestate, simulque ea quantitate, quae ad quaecumque beneficia constituenda pro opportunitate sufficiat. Atqui evidens est nostris hisce quibus degimus diebus, nullam prorsus esse regionem ubi, quamvis hierarchia ecclesiastica sit rite constituta (nam de missionibus res est nimis evidens) ubi, inquam, illa duo, quae praemisimus plene habeantur. Etenim

a) in quibusdam regionibus, Ecclesia quoad plenam suam externam perfectamque evolutionem, est adhuc in stadio formationis, ut in Angliae regnis, et statibus foederatis Americae septentrionalis;

b) in pluribus viget disciplina legitime inducta *ex concessione apostolicae Sedis* iure peculiari concordatorum, quibus iuri communi maxima ex parte derogatum est;

c) denique in plerisque tum ex partiali saltem concordatorum violatione, tum ex insuper adiectis iniquissimis legibus, Ecclesiae iura hac etiam in re a civili societate impune proculcantur.

Patet ergo quod diximus, nullibi rem beneficiariam in sua plena iuris evolutione reperiri, verissimum esse. Haec abunde confirmata reperies tum in collectione conciliorum Lacensi a nonnullis PP. Soc. Iesu adornata quae inscribitur: *Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum,* collatis pro America septentrionali et imperio Britannico decretis latis in conciliis vel provincialibus vel plenariis tom. III., pro America meridionali tomo VI., pro Gallia tomo IV. Quod ad concordatorum ius vigens attinet, in re beneficiaria, conferri potest Nussi, *L. Conventiones de rebus ecclesiasticis,* etc., Romae 1869, titulis 5. 6. 12. 17. 21. 22. 24.

Pro praesenti vero Italiae statu, quae potiora sunt habet Spennati *Istituzioni di diritto canonico,* etc., Napoli 1865, nominatim lib. III. Si *ius* attendimus canonicae leges adhuc pleraeque vigent, quamvis *ad factum* qund attinet, civilis potestas ex ab-

surda separatione praebendae ab officio sacro, vix non omnia sibi vindicet, spreta Ecclesiae potestate. Hactenus de praesenti statu rei beneficiariae.

SCHOLION IV.

Brevis excursus de fabricis *ecclesiarum.*

Ob peculiaria quarumdam regionum historica adiuncta, aliquid brevissime innuere utile arbitramur de *fabricis* ecclesiarum nuncupatis. Pertinet enim hoc, ad *modum* administrandi bona in primis parochialia qui in nonnullis regionibus *practice* saltem obtinet, et ea illustrat quae de iure administrandi superius (436) diximus. Tractationem vero adornandam *iuridicam* dumtaxat, non *pragmaticam* aggredimur.

Hinc agemus: *primo;* de origine peculiaris illius administrationis, quae *fabricae* (gallice, *fabriques,* italice, *fabricerie*) nomen accepit: *secundo;* de fabricis earumque legibus usque ad initium huius saeculi: *tertio;* de nova lege circa fabricas inducta a potestate civili in Gallia, Belgio, aliisque locis: denique *quarto;* de consectariis iuridico-ecclesiasticis ex ea dimanantibus.

De singulis potiora dicemus.

I. Origines illius peculiaris administrationis quae *fabricae* nomen nacta est, repeti debent ex historica evolutione iuris administrandi ecclesiastica bona. De hac satis diximus in historia rei beneficiariae huius tituli § I. ibique, historia teste, ostendimus

a) unicam primitus fuisse omnium bonorum massam sub episcopi regimine;

b) huius administros hac in re tum generatim presbyteros maximeque diaconos, tum peculiares oeconomos fuisse;

c) erogationis autem obiectum fuisse tum cultum divinum, tum episcopi aliorumque sacrorum ministrorum sustentationem, tum egenorum quorumque solatium;

d) paulo serius generatim invaluisse vulgatam quadruplicem partitionem bonorum, ut cederent episcopo, clero, ecclesiis, pauperibus;

e) at vero illud quoque constat, etiam post factam ecclesiasticorum beneficiorum constitutionem, partem illam quae ad conservationem et reparationem sacrorum templorum divinumque cultum spectabat, veluti secretam disiunctamque spectatam fuisse et *fabricam* nuncupatam ;

f) tum ex consuetudine, tum ex consensu quin et quandoque desiderio parochorum, laicos viros in hanc administrandi provinciam advocatos fuisse, ex quo coetus ille exstitit quod ecclesiae *fabrica* appellatur (1).

II. Ecclesiarum fabricas prout coetum significant ecclesiasticorum simul et laicorum, ad initium usque huius saeculi, institutionem fuisse ecclesiasticam, et tamquam *ens morale ecclesiasticum* proinde esse spectandas, patet

a) eo quod parochus proprie et per se administrationem haberet, consiliarios vero, saltem re generatim inspecta, magis ex propria voluntate quam ex necessitate adhiberet, adeo ut potius ex consuetudine quam ex vi ipsius institutionis obligatio induceretur;

b) hinc tum parochus tum consilium fabricae subiiciebantur episcopo, eademque obtinebant principia quae administrationem uni beneficiario commissam iuxta canones moderantur (436): quin imo parochi monebantur ne solis laicis eam permitterent;

c) nominatim concilium tridentinum *(Sess. XXII. cap. 9 de Ref.)* praecepit ut administratores tam *ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae* etiam cathedralis, uti et ceteri locorum piorum administratores, singulis annis teneantur reddere Ordinario rationem: quod profecto ostendit omnimodam ab episcopo dependentiam ;

d) denique statuta peculiaria quibus suo quaeque more ecclesiarum fabricae regebantur, nonnisi ex ecclesiastica sanctione vim suam habebant, licet quandoque accederet civilis potestatis praesidium. Illud etiam facile intelligitur, leges omnes ecclesiasticas quae nominatim ad vetitam spectant alienationem omnino viguisse.

III. Verum ex hac laicorum immixtione benigne concessa ab Ecclesia, in fabricae administrationem, maximeque ex adiecta

(1) Cf. Brabandere « *Iuris canonici* et *canonico-civilis compendium edit. 4. Burgis, Desclée, Tom. II, pag. 197-201* ».

civili confirmatione seu, ut vocant, *homologatione* ad effectus civiles gignendos, potestas civilis absque ullo iure sensim plura sibi vindicavit, quae veluti praeformarunt omnimodam illam usurpationem quae nostra hac aetate contigit.

Ut rite iudicium ferri possit de novis legibus inductis a potestate civili nominatim in Gallia, ad fabricas ecclesiasticas quod spectat, duo expendenda; scilicet opus est in primis earum historiam breviter exponere, deinde vero leges ipsas quae statutae sunt summatim recensere (1). Ad primum haec faciunt.

a) Statim ac publicum catholicae religionis exercitium instauratum fuit, restitutio ab episcopis ipsis facta est fabricarum ecclesiarum parochialium legibus auctoritate eorumdem munitis; simul vero decretum prodiit civilis potestatis 23 Aprilis 1803, de actorum necessaria *homologatione*.

b) Cum vero alio decreto diei 26 Iulii 1803 regimen civile statuerit, ut restituerentur parochiis bona immobilia nondum alienata, simul institutae sunt commissiones peculiares pro eorum administratione et ad has refertur aliud decretum diei 9 Septembris 1806. Fabricae nomen iis quoque inditum fuit.

c) Facta vero iuxta concordatum per decretum diei 30 Septembris 1807 nova ac stabili parochiarum circumscriptione, eaque approbata die 28 Aug. 1808, alio decreto diei 30 Decembris 1809 promulgato mense Iulio 1810, bona non alienata parochiis definita ratione restituta sunt, de medio sublatis temporariis illis commissionibus peculiari modo pro eorum administratione institutis, uti iam animadvertimus (heic *b*). Hinc etiam abolitae sunt occasiones dissidii quae facile oriebantur inter fabricam proprie nuncupatam quae dicebatur *interna* et illas commissiones quae *fabricae externae* nomen habebant; atque una remansit fabrica proprie dicta cui rite constituendae civilis potestas, licet plane incompetens, legem dedit celebri edito decreto 30 Decembris 1809.

d) Decretum ipsum primitus examini subiectum fuit ecclesiasticae commissionis octo episcoporum qui nonnullas animad-

(1) Cf. praeclarum opus « *De la propriété et de l'administration des biens ecclésiastiques en France et en Belgique par A-I V. (Vouriot) Vicaire gén. de Mgr. l'Evêque de Langres Paris 1872. pagg. 55-74 et 113-160; Brabandere Op. cit. pagg. 205 sqq.* ».

versiones fecerunt; verum *Consilium status* eas respuit et decretum mense Iulio insequentis anni 1810 eodem modo ac concinnatum fuerat promulgatum fuit. Haec series est factorum quae ipsum decretum praecesserunt.

Ad decretum quod attinet anni 1809 de fabricis ecclesiarum, nostrum non est hic illud singillatim expendere, hinc generalem quamdam eius ideam dumtaxat adumbrabimus. Porro

a) Decretum spectat fabricas ecclesiarum tum parochialium tum cathedralium: verum quoad has nihil immutat in iis statutis quae episcopi iam sanxerant propria auctoritate, solum quaedam addit ad maiorem declarationem.

b) Decretum constat centum ac quatuordecim articulis computatis clausulis, qui dividuntur in quinque capita. In primo agitur de administratione et personis quibus est commissa: in secundo de redditibus, oneribus et ratione expensarum ipsius fabricae: in tertio nominatim de administratione bonorum fabricae: in quarto de oneribus quae incumbunt municipiis pro expensis cultus: in quinto denique de ecclesiis cathedralibus, aedibus episcopalibus et seminariis.

c) Duo priores articuli seu caput I, veluti prooemium sunt totius decreti et synthetice reliqua quae deinde singillatim enumerantur, complectuntur. Patet autem vel ex hac levissima adumbratione quam longe lateque sese extendat saecularis potestatis immixtio in ecclesiasticam administrationem.

IV. Iam si de hac nova legis sanctione iudicium ferre velimus, haec profecto certa sunt:

a) cum nulla prorsus sit potestatis civilis auctoritas in Ecclesiam eiusque iura, decretum anni 1809 de fabricis est *iure* nullum, et sicuti articuli *organici* quorum praescripto ob art. 76 innititur (art. 1.) nil aliud est quam *invasio saecularis regiminis* in res ecclesiasticas;

b) hinc iure plures episcopi, uti illustris Mauritius de Broglie episcopus Gandavensis statim ac prodiit decretum, illud apertissime improbarunt. Ceteri nunquam expresse illud confirmarunt, et solum post plures annos practice et gradatim vim obtinuit;

c) plura omnino sunt quae minus congruere videntur ut laicis permittantur, quippe quae prorsus ecclesiastica sunt;

d) attamen, veritatis amore libenter concedi potest, indolem generalem decreti et plura quae in eo praescribuntur non exhibere animum Ecclesiae infensum, quin imo plura desumpta fuisse ex statutis episcopalibus melioris notae, quibus fabricae iamdiu regebantur.

e) Iuxta vera iuris ecclesiastici quin et naturalis principia constat, nullius prorsus ponderis esse argumenta quibus civilis potestas invasionem suam legitimam ostendere voluit. Duo sunt potissima: restitutio facta bonorum quae alienationi superfuerant et onus impositum in quibusdam casibus communitatibus, consulendi aere suo ecclesiarum necessitatibus. At vero

aa) bonorum ecclesiasticorum quae superant attributio facta parochialibus ecclesiis, non fuit ultronea donatio, sed rei furtivae, *partialis* restitutio (hoc intelligi debet de re inspecta *per se ad normam sacrorum canonum* et *ante* initum concordatum) ex qua proinde nulla in gratiam raptorum iura poterant oriri, sed solum obligatio reliqua ex integro compensandi, nisi benigna intercessisset Summi Pontificis indulgentia, pro ea qua pollet, ut alias diximus, in res ecclesiasticas omnes temporales, iuxta Ecclesiae finem, potestate.

bb) Quamvis item dici posset onus communitatibus impositum, partem esse illius necessariae restitutionis de qua modo diximus, si tamen spectari velit tamquam *genus liberalitatis,* id non efficit ut *servitus* ea Ecclesiae imponi debeat quae eius laedit iura, ut profecto fit in Decreto anni 1809 cap. 4. aa. 93. sqq. et nominatim a. 97 (1).

cc) Quia tamen, ad factum quod attinet, tacita saltem Ecclesiae tolerantia, haec praxis administrandi ecclesiarum parochialium bona inducta est, aliqua in his competentia agnosci potest saltem *consequens.* De qua re legendus omnino laudatus Vouriot *Op. cit. sect. IV.*

Quare in tota hac de ecclesiarum fabricis oeconomia, sedulo distinguenda est *iuris competentia* et *practica accommodatio.* Iuris

(1) Art. 97. « Dans le cas où l'évêque prononcerait contre l'avis du conseil municipal, ce conseil pourra s'adresser au préfet, et celui-ci enverra s'il y a lieu toutes les pièces au ministre des cultes pour être par Nous, sur son rapport, statué en Notre conseil d'Etat, ce qu'il appartiendra ».

competentia, ut toties diximus, *per se* nulla est ex parte societatis civilis, et si quid in eius praescriptionibus ecclesiae legibus adversatur, siquidem fieri debeat, opportunis requisitis dispensationibus debet honestari. Quidquid vero vel innocuum vel utile etiam habetur, practice recipi potest. Hinc necessaria omnino parochis plenior quo fieri potest huius materiae notitia ut facilius ea uti possint in bonum Ecclesiae ipsius. Copiosam pro Gallia et Belgio nominatim bibliographiam exhibet Brabandere qui et ipse fuse, plene et praeclare de tota hac re (1) disseruit. Haec paucis forte immutatis, etiam pro Italiae parte ubi fabricarum administratio recentior viget, eo quod aliquando ad gallicum imperium vel regnum italicum sub Napoleone I iam pertinuit, vim habent.

Hinc ex. gr. in Sardiniae regno viguit licet in quibusdam immutata (2), gallici imperii lex de fabricis, et etiamnum rerum adiunctis penitus immutatis, *facto* saltem perseverat.

Attamen etiam, in recentissimis synodis, administratio bonorum parochialium, parochis sub episcopi auctoritate moderatrice adhuc vindicatur (3), licet *fabricae* (fabbriceria) aliquatenus fiat mentio. Id autem id quod superius diximus, pro Italia saltem, *usque ad praesens,* omnino confirmat. Hactenus de fabricis ecclesiarum.

TITULUS XI.

De commendis.

499. Beneficium ecclesiasticum haberi potest dupliciter. Vel enim modo *permanente* seu in *titulum,* beneficium possidetur, atque eo pacto iam a nobis inspectum est (tit. X); vel modo *transitorio,* seu ut in iure dicitur, in *Commendam.*

Commenda, iuxta hanc notionem, nil aliud est, quam, offi-

(1) LL. cc. itemque Vouriot.

(2) *Regie Patenti colle quali S. M. (Carlo Felice) dà alcuni provvedimenti ecc. 6 Gennaio 1824.*

(3) Synodus Viglevanensis anni 1876 pagg. 400-407; Albintimiliensis anni 1881 pagg. 88-89 etc.

cium administrandi vacantem ecclesiam, vel monasterium, quin tamen vero et proprio sensu illud in titulum habeatur.

500. Verum haec notio commendae repetitur ex paullo antiquiori Ecclesiae disciplina. Tunc enim, ecclesia *commendabatur* vacans, ut eo tempore aliquis fidelium necessitatibus prospiceret, seu, quod modo fit per constitutionem vicarii capitularis, fiebat per commendationem vacantis ecclesiae factam alteri episcopo.

Quandoque etiam alia erat causa commendandi, cum scilicet episcopus aliquis vel hostili incursione, vel alia quavis de causa e sua sede depulsus, constituebatur ad regendam vacantem aliquam ecclesiam, quae tamen ei in titulum non dabatur, et hac ratione ea quae ad eius congruam sustentationem requirebantur habere poterat.

Denique tertia erat causa, qua potissimum inde a XII saeculo monasteria in primis saepe commendata sunt, ut scilicet, collapsa in iis regularis disciplina facilius restitueretur; tunc enim ad regendum monasterium clericus constituebatur eximiae probitatis, sepositis aliquo tempore praelatis ipsis regularibus.

501. Hinc deducitur, in hac paullo antiquiori disciplina, sicuti causas commendandi, ita et ipsas commendas temporarias fuisse, adeo ut nonnisi perperam a quibusdam *perpetuae* dicantur. Mortuo enim illo episcopo a sua sede pulso, vel restituta in commendato monasterio regulari disciplina, omnia in pristinum revocabantur, rite sive proprio episcopo, sive regulari praelato ibidem constitutis.

502. Paullo diversa evasit ratio commendarum, quae recentius obtinuit. Cum enim disiungi possit ius possidendi in titulum et ius administrandi, factum est ut ius ipsum administrandi spectaretur dumtaxat quoad bona temporalia, seposito spirituali officio iisdem adnexo, adeo ut deterrimo abusu etiam monasteria haberentur a laicis, quin et a militibus in commendam. Quod si a clericis hoc pacto in commendam beneficia habebantur, palliata inde oriebatur beneficiorum multitudo, qua leges Ecclesiae spernebantur impune; siquidem obtentu commendae, plura beneficia etiam incompatibilia, contra omnes ecclesiasticas leges ab eodem clerico possidebantur, unum quidem in titulum, cetera in commendam.

503. Cum inde, ut facile perspicitur, gravissimi exorirentur

abusus, mirum non est Romanos Pontifices pluries adversus eos leges tulisse, ac etiam quandoque commendas penitus abolere studuisse, quamvis res exitum non habuerit (*Extrav.* 2. *De Praeb. int. comm.*).

504. Praesens circa commendas disciplina continetur in iis quae statuta sunt a concilio tridentino (Sess. XXV. cap. 21 de Ref. Reg.). In eo enim decreto statuit concilium ad abusus tollendos circa commendata monasteria, ut quae in posterum vacabunt nonnisi regularibus spectatae virtutis regenda tradantur. Quoad vero monasteria quae sunt *capita ac primates ordinum*, siquidem commendata exsisterent, intra sex menses qui ea haberent in commendam, aut iis cedere, aut religionem illorum ordinum solemniter profiteri teneantur, nisi sit eis de regulari successore provisum. Quod ni fiat commendae ipso iure vacare censeantur. Insuper ne fraus committi possit, praecepit ut in posterum in provisionibus monasteriorum accuratissime exprimatur qualitas eorum qui iis praeficiuntur, adeo ut si quid fiat contra has leges, possessores neque auxilio triennalis possessionis gaudere valeant. Notandum tamen est ipsum concilium his legibus praemittere, verum atque maxime optandum remedium in ipsa commendarum abolitione reperiri; cum tamen id ob temporum conditionem fieri non expediret, curandum saltem illi fuisse ut efficacius, quo fieri posset, remedium istis malis adhiberetur.

505. Remedia autem adhibita a concilio tridentino et RR. PP. ad hoc ut commendae minus perniciosae evaderent, in eo potissimum fuerunt, ut non solum monasteria quae capita essent ordinum, commendari non possint, ut diximus, sed commendata vere suos habent regulares superiores in monasterio residentes; tum etiam ut in iis quae ad regularem disciplinam spectant, plene suis superioribus subsint, suisque exemptionibus fruantur. Item si mensa commendatarii non sit a mensa conventuali distincta, tertia pars omnium fructuum impendi debet ad sustentandos monachos et onera adimplenda et monasterii conservationem, etc. Si mensa sit distincta, quarta pars est a commendatario in bonum Ecclesiae et pauperum eroganda (1).

(1) De commendis fuse disserit potissimum ad historiam quod attinet Thomassinus (*Vetus et Nova Ecclesiae disciplina circa beneficia Par. II.*

TITULUS XII.

De pensionibus.

506. Ut rite intelligantur ea quae ecclesiastica lege de pensionibus sancita sunt, illud sedulo attendendum est principium superius memoratum, *ecclesiastica beneficia sine diminutione esse conferenda.* Pensio enim ecclesiastica est: *certa pars fructuum ex alieno beneficio decerpta, et alteri personae ex legitima causa et auctoritate assignata.* In hanc pensionis definitionem plus minusve illae recidunt quae ab aliis traduntur. Recte autem dici potest, pensiones servitutis instar haberi posse beneficio impositae.

507. Pensio dividitur in *personalem* et *realem.* Pensio dicitur personalis cum imponitur beneficio, quoad vitam beneficiarii dumtaxat, adeo ut successor in beneficio illud onus non suscipiat. Pensio vero dicitur realis quando beneficio imponitur in favorem *pensionarii,* ita ut etiam successor in beneficio eam solvere debeat. Hinc apparet pensionem hanc beneficium ipsum vere afficere, et *per se* legi illae ecclesiasticae opponi, ut *ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

508. De pensionibus ecclesiasticis quaeri haec possunt:

a) Quaenam sint conditiones a lege ecclesiastica requisitae ad pensionem imponendam.

b) Quaenam sint onera pensionariis imposita.

c) Quotuplici modo pensio extingui possit.

Conditiones quibus pensio ecclesiastica adstringitur, tres recensentur; scilicet debet *rite, iuste, et rationabiliter* imponi.

a) Ut rite pensio imponatur, constitui debet a legitima auctoritate. Porro quod pertinet ad pensionem realem, omnes consentiunt, eam ab uno Romano Pontifice imponi posse: ut enim animadvertimus, pensio realis derogationem includit legis uni-

lib. 3. cc. X-XXIII incl.) summatim Permaneder (Kircken Lexicon Wetzer etc.) Moroni (Dizionario etc.) Ferraris (Bibl. can.) ad vocem *Commenda.* Quae vero spectant ad Ius Commendarum praeter DD. ad tit. de Praeb. (III. 5), proponit e recentioribus Vecchiotti (Instit. lib. III. c. 3. §§ 37. 38).

versalis vetantis diminutionem beneficiorum. Quod vero pertinet ad pensionem personalem, doctores antiquiores putabant, eam etiam ab episcopo imponi posse beneficio. Hac autem ratione innitebantur, nullam proprie tunc haberi beneficii diminutionem, nullamque proinde esse legis ecclesiasticae derogationem. Verum si praesens attenditur disciplina, hoc etiam episcopis denegandum videtur, adeo ut ad pensionem quamcumque imponendam requiratur modo Apostolicum beneplacitum (1).

b) Ut pensio iuste imponatur, causa gravis requiritur, quatenus non simpliciter actus validitas, sed honestas attenditur. Causae autem graves merito habentur:

aa) resignatio beneficii; nam si quis iusta de causa beneficio sese abdicat, neque aliunde congrue valeat sustentari, iusta habetur causa ei reservandi pensionem super beneficio resignato;

bb) compositio alicuius controversiae circa beneficium ipsum, ad quam dirimendam potest quandoque utiliter adhiberi transactio, ut alter beneficium, alter vero pensionem habeat eidem beneficio impositam;

cc) permutatio beneficiorum quae legitime sit facta; in qua illud etiam habere potest locum, ut beneficium maius ita cum minori permutetur, ut huic pensio super illud reservetur.

Istis porro causis addi etiam potest, iuste pensionem imponi in favorem alicuius, qui ob praeclara merita atque eximia gesta in bonum Ecclesiae, aut doctrinae ac scientiae laude debita remuneratione est honestandus; aut ad eius inopiam sublevandam.

Omnia hactenus recensita, dum ostendunt quaenam potissimae sint causae quibus pensiones in beneficiis reservantur, illud simul probant nonnisi aliqua accedente gravi ratione pensiones esse constituendas.

c) Denique illud etiam lege ecclesiastica statuitur, ut debitus modus in pensione imponenda servetur. Ideo diximus *rationabiliter* pensionem esse imponendam. Absonum enim esset ea quantitate pensionem imponi, qua ipsi beneficiario grave inferretur detrimentum. Tunc enim beneficium ita minueretur, ut ad congruam beneficiarii sustentationem non amplius sufficeret. Huc

(1) *Riganti op. cit. ad Reg. 40. n. 60.*

spectant leges Ecclesiae modum pensionibus imponentes, ac nominatim illae quae latae sunt a concilio tridentino *(Sess. XXIV. cap. 13 de Ref.)*. Decrevit enim concilium, nullam in posterum imponi posse pensionem in ecclesiis cathedralibus, si earum redditus summam mille ducatorum non excedant; itemque nullam imponi posse pensionem in ecclesiis parochialibus, si earum redditus certi ac fixi, hoc est non computatis proventibus ex iuribus stolae ut dicuntur, centum ducatorum summam non aequent. Imo a Romanis Pontificibus (1) id etiam vetitum est. Quae quidem leges ostendunt Ecclesiae curam, ne plus aequo beneficia pensionibus graventur. Ad quod etiam pertinet, quod statuit idem concilium, quoad alia beneficia, ut scilicet pensio non imponatur nisi supra redditus certos, et insuper tertiam partem horum non excedat, vel saltem congrua remaneat beneficiariis sustentatio. Hinc sequitur pensionem quae alicui canonicatui imponatur, non posse imponi inclusis etiam distributionibus; multoque magis peculiaribus proventibus, quae beneficiario obveniant ex munere ex. gr. docendi, vel concionandi.

509. Statutis conditionibus in pensione constituenda servandis, aliquid dicendum est de oneribus eorum qui pensionibus fruuntur. Apparet enim ex iis quae diximus, quaenam sit indoles ecclesiasticae pensionis; ut scilicet, eo quod datur in titulum, ad modum ecclesiastici beneficii consideranda sit. Hinc onera consequuntur pensionariis imposita. Etenim

a) cum pensio beneficio ecclesiastico aequiparetur, generatim ea omnia requiruntur ad obtinendam pensionem, quae *ecclesiastica lege* ad beneficium consequendum postulantur; ut scilicet quis saltem per clericalem tonsuram ecclesiastico ordini sit adscriptus, neque irregularitate, aut aliqua censura irretitus.

b) Ad retinendam essentialem illam notionem ecclesiastici beneficii, qua *officium* aliquod spirituale semper includitur, peculiare onus imponitur pensionario quotidie recitandi officium Beatae Virginis ita, ut fructus non faciat suos et ad restitutionem teneatur, si huic oneri non satisfaciat.

c) Peculiari ecclesiastica lege praecipitur, ut qui pensiones habent ecclesiasticas, tonsuram et clericalem habitum gerere debeant.

(1) *Ben. XIII. Const.* Quanta *6 Sept. 1724.*

d) Si vero aliquae sint contributiones beneficio impositae, pensionarius pro rata cum beneficiario iisdem tenetur. Huc nominatim spectat nostris hisce temporibus Sedis Apostolicae decretum per S. Congregationem episcoporum et regularium die 28 Ianuarii 1871, de pensionibus ecclesiasticis pro rata portione imminuendis, ob usurpationes et gravamina bonorum Ecclesiae in Italia exsistentium, quod legi potest in Ephemeride *Acta S. Sedis Vol. VII. 325. 326.*

510. Denique ad modum quo pensiones extinguuntur, satis est innuere, eas desinere: I. *morte pensionarii,* nisi facultatem habeat eam quoad dimidiam partem transferendi ex apostolico privilegio (Ferraris Biblioth. v. *Pensio* nn. 77. seqq.); II. *voluntaria renunciatione*, ad quam non requiritur superioris auctoritas; secus ac contingit in dimissione beneficii. Ratio est quia pensio unice est in bonum pensionarii, qui proinde si ei velit renunciare, utitur iure suo. Excipitur tamen si pensio sit *in titulum ordinationis;* III. *matrimonio inito* vel *religiosa emissa professione;* IV. *assecutione ipsius beneficii,* cui pensio est imposita; V. *destructione ipsorum reddituum* super quos pensio est constituta; VI. *privatione* in poenam criminis, vel ipso facto, vel per sententiam iudicis; denique VII. *dimissione habitus clericalis.*

511. Ad cessationem pensionis pertinet controversia, utrum liceat pensionem extinguere per multiplicatas solutiones uno tempore factas; quatenus scilicet fit veluti contractus inter pensionarium, et beneficiarium, ita ut probabiliter supputatis annis quibus pensionarius vitam potest degere, una vice totidem rependantur annuae solutiones. Hoc pacto pensio dicitur *redimi repraesentatis solutionibus.* Verum huiusmodi conventiones irritas omnino decrevit Benedictus XIV duplici constitutione; scilicet Const. in *Sublimi,* et Const. *Universalis Ecclesiae* (29 Augusti 1741). Et iure id factum est; siquidem huiusmodi pactum, ob rationem analogicam beneficii ecclesiastici quae inest pensioni, simoniacum aliquid redolet, et insuper turpis lucri cupiditatem manifeste praesefert (1).

(1) *Devoti Inst. can. lib. II. tit. 14. sect. 4.*

TITULUS XIII.

De hospitalibus, ac generatim de locis piis nuncupatis.

512. Res inter ecclesiasticas, *Hospitalia* quoque, ac generatim ea quae dicuntur *Loca pia,* iure recensentur. Porro ad notionem quod attinet hospitalium, duplex ea est; scilicet *etymologica*, qua ab *hospitio* dicuntur, ac peculiarem significant in peregrinis recipiendis adhibitam curam; altera vero *realis* et *ecclesiastica,* qua hospitalium nomine generatim ea loca intelliguntur, in quibus publico modo exercitium christianae charitatis erga miseros quoscumque exhibetur; quaeque *pia loca* ideo nuncupantur.

513. Quamvis primis Ecclesiae saeculis, tempore etiam insectationum ethnicarum, catholica Ecclesia maxime per diaconos, peregrinorum, egenorum, ac universim omnium miserorum maternam curam habuerit, vix tamen *pia loca* proprie dicta haberi tunc poterant. Hinc hospitalia post redditam Ecclesiae pacem potissimum instituta sunt, eaque subdebantur episcoporum iurisdictioni; a qua tamen eorum rectores sensim se subducere studuerunt. Hinc cum plures exortae essent contentiones inter loca pia et episcopos, de exercitio huiusmodi iurisdictionis, peculiares leges hac de re latae sunt, tum a concilio viennensi, tum a tridentino; quibus statutum est, quid episcopis iuris sit circa horum piorum locorum administrationem. Sed ut leges huiusmodi ecclesiasticae rite intelligantur, quaedam animadvertenda sunt.

514. Loca pia alia sunt *ecclesiastica,* alia vero *laicalia*. Ecclesiastica ea sunt quae Ecclesiae auctoritate erecta demonstrantur. Quae vero aliter constituta fuere, laicalia sunt.

Haec nobis videtur aptior distinguendi ratio inter loca pia ecclesiastica et laicalia. Sunt enim qui dicunt loca pia ecclesiastica esse si ab ecclesiasticis viris, laicalia si a laicis administrentur. Sed cum ratio distinguendi desumatur dumtaxat ex persona administratorum, haec per se sola non videtur sufficere. Alii vero loca pia dicunt esse ecclesiastica, si adnexum habent

oratorium, secus vero laicalia. At haec quoque distinguendi ratio, quae ex materiali loci conditione desumitur, potest quidem indicio esse, si desint tabulae fundationis, ut maiori minorive probabilitate id argui possit, at peremptoria dici nequit. Dixi tamen indicio esse ad praesumendam ecclesiasticam fundationem, si amplius non supersint huius monumenta. Hinc si possit demonstrari, hospitale semper ab ecclesiasticis fuisse administratum, simulque ecclesiam aut oratorium habuisse, maxime vero sacramentorum administrationem rectori fuisse diuturna consuetudine attributam, iure praesumitur ecclesiastica erectio ac fundatio. Quare hac cautione adhibita, ut scilicet haec indicia non adsint, intelligi debet quod plerumque dicitur, in dubio loca pia praesumi esse laicalia.

515. Ad iura vero quod attinet episcoporum in loca pia, haec sunt notanda:

a) distinguendum in primis est inter iurisdictionem, in ea quae spectant ad cultum, sacramentorum administrationem ac generatim quidquid pietatem ac animarum curam attinet, et iurisdictionem circa bona temporalia eorumque administrationem et usum, et quoad haec iterum distingui debet iurisdictionem ordinariam et episcoporum propriam, et iurisdictionem iis delegatam ab Apostolica Sede. Porro

b) quod ad iurisdictionem spectat in iis quae spiritualia sunt, semper et in omnibus viget episcopalis potestas in omnia pia loca quaecumque; nisi peculiari apostolico privilegio sint omnino exempta ab ordinarii iurisdictione et visitatione, et alteri episcopo sub praelato subdantur;

c) quod vero pertinet ad bona temporalia, episcopi ius etiam habent visitandi omnia loca pia et exigendi rationem ab administratoribus, sive in visitatione, sive extra visitationem, ut iis constet utrum leges statutae serventur, et piorum locorum bona in eos usus rite erogentur, quibus sunt destinata. Id autem episcopi faciunt auctoritate propria, quoad ea loca pia quae exempta non sunt, et tamquam Sedis Apostolicae delegati quoad ea quae sunt exempta; nisi specialissimo privilegio excipiantur, prout a concilio tridentino excepta sunt hospitalia, quae sub immediata Regum protectione reperiuntur. Haec autem pertinent etiam ad confraternitates, de quibus conferri potest Ios. Ferrari

Op. cit. §§ 245–250. Principia enim iuris eadem sunt, reliqua ad pragmaticos pertinent (Conc. Trid. Sess. XXII. c. 8 de Ref.).

Liquet autem haec, ecclesiastica lege rite constitui, at in praesenti rerum statu plerumque ecclesiasticas leges servari non posse, cum iis obsistant civilis potestatis, etiam circa pia loca, usurpationes.

516. Denique iura ac privilegia piorum locorum quod spectat, dicendum est ea esse diversa, prout sunt ecclesiastica, vel laicalia. Si enim presse ecclesiastica sunt, omnibus gaudent privilegiis, iuribus, immunitatibus, quibus gaudent Ecclesiae bona quaecumque. Iis profecto destituuntur pia loca laicalia. Quamvis enim in societate civili *christiana*, publicum charitatis exercitium, quemadmodum et iuventutis in scholis institutio, spectari non possint ut natura sua independentes ab Ecclesiae auctoritate, certum tamen est non eamdem esse rationem locorum piorum prout ecclesiastica sunt vel mere laicalia, ita ut iisdem omnino legibus subdantur (1).

Quae etsi loca pia, etiam laicalia, non omnino profana dici debeant, adeoque quaedam iis tribuantur privilegia et episcopali iurisdictioni ex parte subdantur, non inde tamen sequitur ea omnino promiscue habenda esse cum ecclesiasticis.

517. Hinc auctoritas civilis ius nullum habet alienandi pro lubito bona locorum piorum etiam laicalium; quia fideles, qui ea constituerunt, finem iisdem certum praestituerant, cuius exsecutio ab Ecclesia urgeri potest et debet. Quare sacrilegium patratur vel iustitia laeditur, si id fiat abnuente Ecclesia, prout pia loca ecclesiastica sunt, vel laicalia. Ecclesia tamen potest gravissimis de causis quandoque piorum fundatorum *commutare* voluntatem. Cum enim ii censeantur Ecclesiae bonum primario voluisse, eo ipso haec commutatio voluntati eorumdem adversa haberi non potest.

(1) At quamvis, alienationem quod attinet, si nuda iuris scripti principia spectentur, loca pia mere laicalia viderentur immunia ab iis solemnitatibus quae pro Ecclesiae bonis requiruntur (pag. 365, *e*), praxis tamen contraria in Sacris Congregationibus obtinet.

SCHOLION

Ad loca pia pertinent etiam ea quae dicuntur *Montes Pietatis* vel *Frumentarii*. Eriguntur enim ad egenorum subsidium, iisdemque legibus ecclesiasticis *per se* subduntur. Confer Vecchiotti Op. cit. Lib. III. cap. 5. § 70.

TITULUS XIV.

De monasteriis.

518. Ultimo loco temporalibus Ecclesiae rebus accensenda veniunt monasteria. Patet autem hic monasteria a nobis dumtaxat considerari, quoad partem eorum ***materialem***, nempe quoad ipsas aedes locaque iisdem adnexa, in quibus regulares morantur. De regularibus enim satis diximus in fine libri I.

519. Monasterium sub hac inadaequata ratione spectatum dicitur: *Locus ubi homines solitariam vitam degunt, idest procul ab urbibus hominumque frequentia*. Sed haec descriptio quae ex vi vocis magis desumitur, ita complenda est ut ei addatur, homines qui eo loci versantur, vitam ibidem agere communem, ad cuiusdam piae regulae praescriptum. Hinc est quod *Monasterium, Conventus, Coenobium*, promiscue habentur, licet prima vox magis innuat segregationem, reliquae vero, magis vitam communem exhibeant.

Insuper segregatio haec debet intelligi, saltem si necessitas attendatur, potius formaliter, quam materialiter; monasterium enim in urbe constitutum, ratione vivendi eorum qui ibidem degunt, dici potest segregatum.

520. Illud etiam animadvertendum est, ea quae in iure dicuntur, proprie et primario ad monasteria regularium pertinere, qui vota solemnia emittunt; licet quaedam etiam ad ea pertineant, in quibus religiosi reperiuntur votorum simplicium, aut etiam absque votis personae in commune viventes ad praescriptum alicuius regulae.

521. Statuta monasterii notione, illud etiam sequitur univer-

sam tractationem ad duplex caput apte reduci: scilicet ad ius *fundationis seu erectionis*, et *legem clausurae*. *Materialiter* enim si spectetur monasterium, vel consideratur ut constituendum, et attenditur ius fundationis, vel ut constitutum, et habetur eius segregatio, quae lege clausurae obtinetur. Tertiam tamen partem addemus huic titulo, *de monasteriorum iuribus*, potissimum quoad beneficia iisdem, ut dicuntur, *incorporata*.

522. Ius fundationis, prout lege ecclesiastica constituitur, his coalescit veluti elementis:

a) monasterium seu quaelibet domus religiosa extrui non potest, aut constitui, nisi habita ab Ordinario facultate;

b) insuper pro Italia et insulis adiacentibus absque ulla dubitatione, et, quemadmodum ex praesenti disciplina tenendum videtur, etiam extra Italiam, postulatur quoque *beneplacitum Apostolicum*;

c) audiendi etiam sunt parochi, et regulares qui intra quosdam limites reperiuntur;

d) denique et congrua sustentatio haberi debet, vel ex redditibus vel ex eleemosynis fidelium, pro numero personarum requisita.

523. Ex hac ipsa loquendi ratione apparet, non unam de his elementis exsistere declarandam controversiam. Aliquid proinde de singulis dicendum est.

a) Ut rite domus regularis erectio fiat, venia in primis requiritur Ordinarii. Quae lex confirmata etiam fuit a concilio tridentino (Sess. XXV. cap. 3 de Regul.). Si tamen iniuste haec facultas denegetur, recurri semper potest ad Sedem Apostolicam *in devolutivo*, ut recentissime etiam statutum est, innovata lege tridentina, a SSmo D. N. Leone XIII in sua constitutione « *Romanos Pontifices* » *§ Quum res*.

b) Insuper pro Italia et insulis adiacentibus, diximus absque ullo dubio requiri ad erectionem domorum regularium, beneplacitum apostolicum. Huc pertinet controversia, utrum haec lex in praesenti disciplina obtineat extra Italiam. Qua de re omnibus rite perpensis dicendum est, licet antiquiores DD. aliter senserint, saltem ex Sanctae Sedis praxi, quae in praesenti servatur (quidquid sit de rationum momentis quae utrinque afferuntur),

etiam extra Italiam huiusmodi beneplacitum apostolicum omnino requiri (1).

c) Quod vero spectat ad requisitum consensum parochorum, vel aliorum regularium, qui forte intra quatuor milliaria a loco distent ubi nova domus est erigenda, ii quidem audiendi sunt; ita tamen ut eorum consensus vel suppleri possit, siquidem iniuste recusetur, vel etiam minime requirendus sit, si iam certo constet nullum ex nova erectione detrimentum iis obventurum (2).

d) Quoad numerum vero requisitum, ut domus regularis rite constituta censeatur, Pontificum sanctionibus determinatum est, duodecim vel saltem sex personas ibi esse oportere, ut gaudeant privilegio exemptionis. Sunt tamen quidam casus in quibus minor numerus sufficit ad hoc ut omnibus privilegiis ac iuribus sibi propriis regulares fruantur. Congruam autem sustentationem vel ex monasterii redditibus, vel ex piorum fidelium eleemosynis regulares qui ibidem degunt, habeant necesse est, et de hoc etiam constare debet ante ipsius domus erectionem (Reinff. l. c. n. 51. Coll. n. 29). Const. SS. D. N. Leonis XIII « *Romanos Pontifices* » *§ De hoc itaque.*

e) Hae tamen leges hactenus recensitae locum non habent pro hospitiis regularium, vel domibus congregationum clericorum saecularium, vel denique pro monasteriis quibuscumque monialium, saltem si complexive istae leges spectentur. Item non censetur nova fundatio, si regulares desertam domum ob incursionem hostium vel alia de causa iterum incolant, etiamsi eam dirutam reaedificent; etenim iura, et antiqua privilegia *solo,* ut dicitur, adhaerent; neque etiam ut nova erectio haberetur, adeoque praescriptas solemnitates servare non oporteret, si aliqua de causa de uno in alium situm, sed in eodem loco, transferri oporteret domum iam constitutam.

524. Absoluta lege fundationis, aliquid dicendum superest de lege clausurae. Porro clausurae lex alia est pro viris, alia vero longe severior pro foeminis. Lex autem clausurae ea dicitur qua prohibetur omnino *ingressus mulierum in monasterium virorum, et ingressus virorum et foeminarum cuiusvis generis*

(1) Cf. Bened. XIV. *De Syn. lib. IX. c. 1. n. 9 ed. Rom. 1806.*
(2) Cf. *Reiffenstuel ad tit. De Eccles. aedif.* (III. 48) § II. 29. seqq.

et aetatis in monasteria monialium; et insuper pro monialibus egressus de monasterio iis omnino interdicitur, si tamen religionem profiteantur. Hinc locus ipse materialis in quo haec lex viget, eiusque ambitus, *clausura dicitur*.

525. Ex hac legis clausurae descriptione apparet:

I. Quod ad virorum monasteria eam efficere

a) Ut personae diversi sexus *a septis* monasterii prohibeantur; tum

b) ut religiosi sine superioris licentia e monasterio egredi non possint; id quod peculiari lege statutum est.

II. Quod vero spectat ad longe arctiorem foeminarum clausuram, liquet

a) moniales (quo tamen nomine hae solum intelliguntur, quae solemnia vota profitentur), *nisi in casibus iure exceptis*, exire non posse etiam cum facultate abbatissae;

b) itemque tum foeminas, tum viros omnino arceri a monialium clausuris, monasteria tamen intra urbem esse debent ad maiorem securitatem. (Conc. Trid. Sess. XXV. c. 5 de Reg.).

526. Sunt tamen casus quidam in quibus ipso iure clausurae lex, etiam pro monialibus, vim suam amittit. Sic moniales licite e monasterio egrediuntur ob incendium, pestem, epidemiam, hostilis incursionis periculum; idque facere possunt petita prius et habita in scriptis facultate episcopi et praelati regularis, si forte eidem subsint, cum causa potest praevideri. Si vero periculum sit imminens, ipsa necessitas sufficit. Quod si non communis aliqua causa, sed peculiaris alicuius monialis necessitas requirat eius egressum e monasterio, apostolico beneplacito opus est.

527. Quaedam etiam personae ab hac lege eximuntur, ita ut iis licitum sit monasteria ingredi, sive ratione necessitatis obtentis opportunis facultatibus, ad monasterium reparandum, vel ad infirmas curandas vel administranda sacramenta; sive ratione dignitatis, etiam saecularis, modo sit suprema; quo pacto fit ut reges ac reginae et eorum causa, qui eos comitantur, monasteria ingredi possint.

528. Quod vero spectat ad poenas violantium leges clausurae, quae modo obtinent, eae reperiuntur potissimum in constitutione *Apostolicae Sedis 12 Octobris 1869 nn. VI. VII. int. excomm. simpl. res.*

529. Pauca denique subiicimus de iuribus quae monasteriis, vel regularium ecclesiis competunt, quum iis *incorporata* et unita existit ecclesia curata, praesertim parochialis. De hac reagunt doctores ad titulum *de Cappellis Monachorum et aliorum religiosorum,* qui est trigesimus septimus libri tertii decretalium. Quae potissimum habentur de hac re, haec sunt:

a) Triplex distingui debet incorporatio, scilicet: *quoad temporalia tantum, pleno iure* et *plenissimo iure.* Primo modo censentur unita beneficia curata alicui monasterio, quando bona temporalia ei assignata sunt, et monasterium iure gaudet praesentandi clericum sive sacerdotem saecularem, sed ius *instituendi* pertinet ad episcopum. Si vero solum pars bonorum temporalium, absque *iure praesentandi,* monasterio attribuatur, tum non habetur incorporatio, sed dismembratio beneficii. Secundo modo dicuntur ea beneficia incorporata, quando etiam administratio spiritualium, seu cura animarum in monasterium est translata. Tertio modo, incorporata appellantur quando *territorium* est omnino separatum, et fit *quasi dioecesis:* tunc sane episcopus ius nullum habet.

b) Quando incorporatio est solum quoad temporalia, superior regularis non instituit, sed praesentat parochum episcopo, qui eumdem instituit.

c) Cum vero incorporatio est pleno iure, potest superior regularis ibidem constituere vicarium ad nutum amovibilem. Tum vero parochus proprie est ipse superior regularis. Episcopus tamen in iis quae pertinent ad sacramentorum administrationem, ac generatim ad curam animarum suam iurisdictionem exercet. Sed de his videantur doctores loco citato. Item Conc. Trid. Sess. VII. c. 7 de Ref. et Schmalzgrueber in h. t. n. 5.



LIBER TERTIUS

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

TITULUS I.

Tractationis indoles et partitio.

530. Quae hactenus diximus in nostris Institutionibus, ad exercitium pertinent potestatis *legiferae,* quam Christus dedit Ecclesiae. Potestas enim legifera cuilibet societati perfectae competit, eaque in hoc est, ut societas *obligatorio modo* ea media proponat quae ad plenam assecutionem finis societati praestituti ordinantur. Ea autem media tum *personis,* tum *rebus* contineri animadvertimus. Hinc in primo, et secundo Institutionum libris de personis et rebus ecclesiasticis disseruimus, ac *pro nostrae disciplinae ratione* quae *elementorum Iuris* est, leges potissimas ab Ecclesia statutas circa illorum mediorum usum expendimus.

531. At vero potestatis in societate perfecta altera est *functio* quae *potestas iudiciaria* appellatur, eiusque est de ipsa mediorum applicatione *authentice* definire, utrum recte facta fuerit, nec ne. Id autem in controversiam vocari duplici omnino modo potest; vel quatenus dubitatur *de vero legis sensu,* vel quatenus dubium movetur *de conformitate vel difformitate alicuius actus comparate ad legem.* Haec authentica definitio fit per *iudicium,* et leges quae ab Ecclesia statuuntur ad ipsum spectantes, exercitium constituunt *potestatis iudiciariae ecclesiasticae.*

532. Hinc apparet nexus huius tertii Institutionum libri

a) cum *iure publico:* exhibet enim evolutionem potestatis iudiciariae, quae Ecclesiae competit, et ad illud refertur tamquam *actus ad potentiam;*

b) cum *iure privato:* complet enim statutam initio partitionem iuris privati, de personis, de rebus, de iudiciis; et ad illud refertur tamquam *pars ad totum.*

533. Statuta hoc pacto tractationis indole, ut intelligatur quo innitatur fundamento ea libri huius partitio, quam aptiorem prae ceteris, adeoque adhibendam censemus; animadvertimus, leges quae ad exercitium potestatis iudiciariae spectant duplici classe contineri. Sunt enim

a) leges quae *iudicium quodlibet ecclesiasticum* moderantur, sive eidem cum quocumque iudicio communes sint, quatenus *iudicium* est, sive eidem peculiari modo conveniant, quatenus *ecclesiasticum* audit. Hae proinde leges generales sunt, et quaecumque sit materia, modo apta ut de ea iudicio ecclesiastico decernatur, aeque locum habent.

b) Sunt vero deinde leges quae ipsam diversam materiam, de qua disceptatur, respiciunt; unde variae exsurgunt *causarum ecclesiasticarum* classes, et pro singulis peculiares leges, uti et determinata materia, habentur. Hae vero leges *particulares* appellari merito possunt.

534. Hinc apte omnino liber hic ultimus Institutionum qui de iudiciis inscribitur, in duas partes tribuitur. Prior est *generalis,* et disserit de iudicii ecclesiastici elementis, eiusque oeconomia, seu *de legibus generalibus iudicii ecclesiastici.* Altera est *specialis,* et *de causis ecclesiasticis* inscribitur.

PARS PRIOR

DE LEGIBUS GENERALIBUS IUDICII ECCLESIASTICI

TITULUS II.

De iudiciis universim spectatis.

535. Quemadmodum in aliis libris, ita et in hoc postremo de ecclesiasticis iudiciis, priusquam de singulis eorum partibus disseratur, generalis eorum conspectus est exhibendus. Id etiam in libris decretalium obtinet; nam secundus liber, qui de processu iudiciario inscribi potest, primum titulum habet *de iudiciis*.

536. Iudicium prout hic sumitur est: *Legitima causae, inter actorem et reum controversae, per iudicem facta discussio et definitio*. Aliae definitiones, ad rei substantiam quod attinet, in hanc conveniunt. Iam vero

a) hinc apparet in iudiciis ecclesiasticis, de quibus nobis in praesens sermo est, duo esse spectanda:

aa) *elementa quibus constant;*

bb) horum elementorum actus seu *iudicii oeconomia*.

b) Porro iudicium ecclesiasticum duas ideas praefert: *generis,* qua iudicium est; *differentiae,* qua est ecclesiasticum;

c) hinc elementa exurgunt duplicis generis, *communia* et *peculiaria*.

d) Elementa communia quae proinde cuilibet iudicio competunt, saltem generice, sunt

aa) *personae* quarum aliae sunt *principales,* aliae *secundariae*. Principales sunt *iudex, actor* et *reus*. Hae autem vel *explicite,* vel *aequipollenter,* ex ipsa iudicii essentia requiruntur. Dicitur aequipollenter, quia actor quandoque suppletur vel ipsa lege, vel fama criminis.

Secundario vero personae hae sunt quae his principalibus quomodocumque assistunt. Sic iudex habet vel habere potest *referendarios*, *consulentes*, *assessores* etc.; actor et reus habent *procuratores*, *advocatos* etc.;

bb) *materia*, scilicet res in controversiam adducta; ex qua multiplex oritur iudicii divisio prout est *ecclesiasticum* vel *saeculare*, *criminale* vel *civile*, *petitorium* vel *possessorium*, *ordinarium*, vel *summarium*, *personale*, vel *reale* etc.

Iudicium dicitur ecclesiasticum, si exercetur coram iudice ecclesiastico vel ratione spiritualis iuris intrinseca, vel saltem ratione personae ipsius rei conventi, qui gaudet privilegio fori.

Item est criminale vel civile, prout de delicto agitur ut *poena infligatur*, vel dumtaxat ut privatorum iura serventur.

Pariter est petitorium, si controvertitur de dominio, et proprietate alicuius rei ratione iuris *in re*, vel *ad rem*. Possessorium vero si de ipsa possessione adipiscenda, conservanda, retinenda, disceptatur.

Iudicium est ordinarium seu plenarium, quando omnia servantur quoad formam et solemnitates a iure praescripta; summarium vero quando, iis omnibus praetermissis, ea solum servantur, quae ad causae cognitionem eiusque iustam decisionem necessaria sunt. Denique iudicium est *reale*, si actione reali qua contendimus rem esse nostram, *personale* vero si actione personali qua contendimus rem esse nobis debitam, instituitur.

cc) *auctoritas*; ex qua repetitur *fori competentia*, quoad iudicem, quin et habilitas iuridica in actore et in reo ut possint stare in iudicio. Sed de his paullo accuratius titulo insequenti.

537. Elementa vero *peculiaria* iudicii ecclesiastici continentur in ipsa ratione personae, quae quoad iudicem non potest esse nisi clericus cui solum competit ecclesiastica iurisdictio, tum in ipsa materia iudicii si ea sit quae ad res ecclesiasticas pertineat.

538. Quia vero, praeter iudicem proprie dictum alius quandoque adhibetur, qui dicitur *arbiter*, suae etiam habentur ecclesiasticae leges, quibus regitur talis modus componendae controversiae. (Vide titulum de arbitris lib. I. tit. 33, et ibi DD.).

539. Sic breviter recensitis ecclesiastici iudicii elementis, tum communibus tum propriis; si iam quaeratur, quomodo *ad actum*

in iudicio ecclesiastico veluti reducantur, iam nobis sese exhibet expendendam iudicii ecclesiastici *oeconomia*.

540. Haec porro uno conspectu, ita potest exhiberi, ut deinceps sit ulterius evolvenda:

I. In quolibet iudicio ecclesiastico spectari debet primo eius *inchoatio*; secundo *prosecutio*; tertio *consummatio*.

Ad primum iudicii stadium pertinet

a) Ex parte actoris, *oblatio libelli*.

b) Ex parte iudicis, *libelli admissio* et *citatio rei*.

c) Ex parte rei conventi, *contradictio* ex qua *litis contestatio*.

Haec autem omnia suas habent peculiares leges servandas.

II. Quod vero pertinet ad iudicii prosecutionem, scopus est actoris probare quod contendit, et rei conventi actionem contra se intentatam repellere. Id autem fit

a) *indirecte* exceptionibus, mutuis petitionibus, replicationibus; iureiurando calumniae;

b) *directe* probationibus proprie dictis, ex. gr. testibus, instrumentis, praesumptionibus etc. et horum omnium refutatione.

III. At vero, sive ad maiorem partium contendentium utilitatem, sive quandoque ex ipsius causae necessitate, veluti intermedia innectuntur, tum multiplicis generis *dilationes*, tum *sententiae* interlocutoriae.

IV. Exhaustis hinc inde rationibus et probationibus, iam devenitur ad iudicii consummationem. Porro ad hanc spectant:

a) *conclusio in causa;*

b) *sententia;*

c) huius remedium, siquidem locum habeat, scilicet *appellatio;*

d) si appellatio locum non habeat, vel priorem sententiam confirmet, *res iudicata;*

e) contra hanc non habetur nisi remedium extraordinarium, scilicet *restitutio in integrum*.

541. Patet ex hoc schemate totius ecclesiastici iudicii series, quae in hac prima parte huius III libri paullo accuratius est evolvenda.

TITULUS III.

Praeliminaria iudicii ecclesiastici.

542. Ad *praeliminaria* ecclesiastici iudicii revocandas censemus :

a) leges ecclesiasticas de *foro competente* ac generatim de iudicis persona ;

b) item leges ecclesiasticas, quae ad personam actoris et rei referuntur.

543. Cum ad iudicium constituendum iudex in primis requiratur, haec in eo necessario haberi debent :

a) iudex esse debet *idoneus* ad proprium munus adimplendum ;

b) *legitimam* habere debet iudicandi facultatem, quatenus modo a lege probato eam obtinet ;

c) hanc autem *determinato modo*, pro ea controversia, de qua agitur, habere debet.

Ex primo capite iudex est *idoneus*, ex secundo *legitimus*, ex tertio *competens*.

544. Ad idoneitatem iudicis universim spectatam leges pertinent quibus vel *natura*, vel *lege*, vel *moribus* quidam a munere iudicis excluduntur. Hinc *natura* iudices esse nequeunt surdi, muti, amentes, impuberes : *lege* vel *iure* excluduntur infames, haeretici vel excommunicati si de ecclesiasticis iudiciis sermo sit, sacrilegi, aliorumque criminum rei qua in iure recensentur ; *moribus* denique servi et foeminae.

545. Quod vero spectat ad legitimitatem iudicis, ea repetitur ex titulo unde in ipso oritur potestas iurisdictionis. Haec autem ex alias dictis (287. et Schol. 2 et 3) cum sit vel *ordinaria* vel *delegata*, hinc iudex legitimus vel est *ordinarius* vel *delegatus*. Cum autem delegatio alia sit *a iure*, alia *ab homine*, ex utroque capite iudex delegatus legitimus existit. Denique si ex partium consensu, *modo tamen a lege probato*, iudex aliquis eligitur, peculiari appellatione *arbiter* (538) vocatur. Hinc triplex iudex legitimus : *ordinarius, delegatus, arbiter*.

Iudex ordinarius potestatem suam habet ex munere, seu proprio seu commisso uti in Ecclesia Pontifex, archiepiscopus, episcopus, praelatus inferior, legatus vicarius (tit. IX. Schol. 3) quatenus scilicet illis hierarchiae gradibus sua attributa est iurisdictionis potestas. Delegatus vero habet *iurisdictionem ex mandato* alicuius iudicis ordinarii vel *immediate* vel *mediate* ab eo qui subdelegandi habeat facultatem. Quae porro delegatio si communi lege iam sit determinata, dicitur *a iure;* si vero in peculiaribus casibus a Pontifice vel ab alio ordinario iudice conferatur, *ab homine* vocatur.

546. Praeter ea quae de utriusque iurisdictionis specie superius (l. c.) dicta sunt, addi potest:

a) si sermo sit de iudice ecclesiastico, tum ordinarius tum delegatus non modo *notionem* habet causae, sed etiam *executionem;*

b) iudex tamen ordinarius iurisdictionem habet *iure suo,* delegatus vero *beneficio* seu *mandato* alieno;

c) ordinarius iudex potest delegare alium, delegatus vero alium delegare non potest, nisi in casibus a iure admissis, scilicet si sit delegatus summi principis, hoc est Pontificis, vel, ut dicitur, *ad universitatem causarum;* tunc enim ab iure praesumitur facultas subdelegandi. Ceterum de his iam diximus agentes de exercitio ecclesiasticae iurisdictionis (317).

547. Denique requiritur ut iudex sit *competens.* Unde oritur ea quae dicitur *fori competentia.* Competens autem iudex ille dicitur, qui potestatem habet iudicandi, tum quoad *rem* ipsam, de qua movetur controversia, tum quoad personas quae eam movent. Haec iudicis competentia omnino requiritur ad iudicii validitatem: neque enim sufficit ut generali quadam ratione iudex sit idoneus et legitimus, si in ea determinata quae movetur controversia, vel ratione personarum vel ratione causae suam iurisdictionem exercere non possit. Cum autem nomine *fori,* non solum intelligatur locus ipse materialis in quo iudicium exercetur, sed maxime ipsa potestas iudicis, hinc eadem est *iudicis* ac *fori competentia.*

548. Circa fori competentiam quaedam veluti principia statui debent, scilicet:

a) Actor debet sequi forum Rei;

b) item fori competentia determinatur ex ipsa ratione illius causae de qua disceptatur;

c) fieri potest ut plures eodem tempore, quoad competentiam fori, iudices concurrant in eadem causa, idque sive ordinaria ratione, sive extraordinaria. De singulis aliquid breviter dicendum.

549. Principium illud quo statuitur instar regulae: Actor sequi debet forum Rei; ita est intelligendum ut forum Rei non solum generatim, sed etiam speciatim sit sequendum; adeo ut si Reus privilegio gaudeat fori specialis, uti ex iure milites, professores et discipuli in scholis publicis Universitatis, non coram iudice *communi*, sed coram *speciali* sit conveniendus. Item clerici, eo quod privilegio gaudent fori ecclesiastici, nisi forte per peculiare ius Concordatorum aliquid ab Ecclesia sit concessum, nonnisi coram ecclesiastico iudice possunt conveniri (1).

550. Fori competentia determinatur etiam ex qualitate causae, de qua disceptatur. Cum enim variae exsistant superius recensitae iudiciorum species, quas inter nonnullae ex ipsa causarum natura deducuntur; hae quoque ad competentiam fori determinandam pertinent. Sic ex. gr. causae spirituales, vel de rebus spiritualibus adnexis, uti sunt, fidei, sacramentorum, ecclesiasticae disciplinae, matrimoniales (qua parte vinculum ipsum, et ea quae ad ipsum quoquomodo spectant attingunt) eiusmodi sunt, ut solus iudex ecclesiasticus in iis sit competens. Ita pariter si deputarentur iudices pro aliquo determinato causarum genere, uti pro causis matrimonialibus, beneficialibus, criminalibus, ii solum pro singulis competentes exsisterent.

551. Ut vero concipi possit, quo pacto plures iudices in fori competentia concurrere possint, notandum est, quadruplici ex capite reum posse subiici ad normam iuris alicui iudici; scilicet ratione *domicilii, rei sitae, contractus et delicti.*

I. Ratione domicilii reus conveniri potest, tum in domicilio *naturali,* scilicet ubi natus est, moratur, et familiam habet, tum in domicilio *accidentali,* scilicet in loco ubi natus non est, sed

(1) Cf. *Clem. XIII. Const. Praestat romanum; Lucidi op. cit.* Vol. III. pag. 186.

ibi habitat animo permanendi stabiliter, vel per tempus notabile, quod etiam dicitur *quasi domicilium.* Hinc sequitur

a) eum qui duplex habet domicilium in unoquoque posse conveniri;

b) clericum qui beneficium habet residentiale, in loco beneficii posse conveniri;

c) qui nullum fixum habent domicilium, conveniendos esse ubi actu vagantur; ibi enim domicilium habere censentur;

d) haeredem, licet alibi domicilium habeat, conveniri debere in loco domicilii illius cui haereditario iure successit, si iudicium iam inceptum per citationem fuerit.

II. Ratione rei sitae, conveniri quis potest eo loci ubi sita est res, super qua litem actor movet; sive res sit mobilis sive immobilis, sive agatur de possessione sive de proprietate.

III. Ratione contractus conveniri quis potest in loco ubi se soluturum promisit, si de hoc expresse cautum fuerit; secus in loco ubi contraxit.

IV. Denique ratione delicti conveniri quis potest in loco ubi deliquit, sive quia leges illius loci violavit, sive ad facilius delictum probandum, sive denique ad exemplum. (Cf. Schmalz. in h. t. §§ II–IV).

552. Cum igitur plures haberi possint iudices competentes, fieri potest ut circa eamdem causam simul concurrant. Ut leges intelligantur quae ad huiusmodi concursum spectant, notandum est:

a) forum domicilii *universale* esse et concurrere cum omnibus aliis, nulla enim est causa ad quam iudex domicilii non sit competens, forum vero delicti, contractus, rei sitae, *particulares* esse.

b) Cum reus pro eadem causa conveniri potest in pluribus foris, optionem actori relinqui.

c) Incepto semel per citationem iudicio in aliquo foro, in eodem esse finiendum, et haberi tunc *praeventionem;* unde *forum praeventionis* dicitur.

Facta semel electione fori et incepto iudicio per citationem, neque reum neque actorem iudicem mutare posse.

553. Denique sunt quidam modi accidentales quibus quis forum sortitur. Huc pertinet forum *prorogationis,* et *connexio-*

nis causarum. Exsurgit prorogatio, quando fit extensio iurisdictionis iudicis, ceteroquin non competentis, ex consensu partium litigantium, quae prorogatio est voluntaria; alia enim est quae fit per *reconventionem,* et dicitur *necessaria* seu *legalis,* de qua inferius redibit sermo. Forum vero ex connexione vel continentia caussarum tunc exsistit quando res controversiae ita arcte invicem alligantur ut separationem non patiantur, sed uno eodemque iudicio debeant terminari.

Hi duo postremi recensiti modi dicuntur *accidentales,* et *extraordinarii;* pendent enim ex nonnullis contingentibus caussarum adiunctis. Alia de his confer apud Schmalzgr. l. c. § VIII.

554. Sicuti ex hactenus dictis de iudicis persona, patet quaenam sint leges, quae ad ipsam pertinent ut rite institui possit iudicium; ita quaedam etiam servanda sunt circa actorem et reum. Itaque

a) quicumque legitimam habent personam standi in iudicio, actor et reus esse possunt. Excluduntur autem muti, surdi, furiosi, nisi per curatorem agant. Item servi, mulieres in causis criminalibus, pupilli et minores absque tutore et curatore, filiusfamilias sine patris consensu, religiosus absque consensu sui praelati. Verum habentur quidam casus excepti, qui a doctoribus singillatim enumerantur. (Schmalzgr. De Iud. tit. 1. nn. 23 sqq.). Quod vero spectat ad excommunicatos, notandum est eos conveniri posse tamquam reos, ita tamen ut per procuratores respondeant; nullatenus vero actores esse posse, nisi agatur de excommunicationis ipsius sententia, vel periculum sit in mora.

b) In iudicio criminali actor, qui peculiari nomine *accusator* dicitur, potest ut iam animadvertimus suppleri vel fama aut indiciis criminis, vel officio iudicis in crimen inquirentis ut *processu inquisitorio.* Insuper in causa civili, actor et reus non tenentur ipsi se sistere coram iudice, sed uti possunt procuratore; cuius proinde est personam partium gerere et actus iudiciales excipere.

555. Cum ea omnia habeantur requisita, sive in iudice, sive in actore et reo, ut iudicium rite fieri possit, iam ea omnia habentur quae eidem praemittenda sunt, quaeque ideo *praeliminaria* iudicii appellavimus.

TITULUS IV.

De citatione, oblatione libelli et litis contestatione.

(In Decretalibus titt. 3. 5. 6. lib. II.)

556. Iam deveniendum est ad breviter proponendam ecclesiastici iudicii oeconomiam quam diximus triplici stadio contineri, *inchoationis, continuationis, consummationis*. Ad ea, quae unumquodque ex his respiciunt, quantum satis est recensenda, quoad licet insistimus, ad rerum seriem quod attinet, textui Decretalium. Porro ad iudicii inchoationem pertinent *oblatio libelli, citatio, litis contestatio*.

557. Citatio est: *Actus iudicialis quo quis iuris experiendi causa ex iudicis mandato in iudicium vocatur ad certum tempus*. Citatio fieri potest vel ab *homine* vel ab *ipso iure,* cum scilicet lex ipsa tempus determinat quo aliquis se sistere in iudicio debet.

558. Ex definitione data citationis sequitur

a) Citationem fieri debere in territorio; est enim actus iurisdictionis contentiosae de qua valet illud: *Extra territorium ius dicenti impune non paretur. (Cap. 2. de Const. in 6).*

b) In citatione exprimi debet nomen iudicis, et siquidem non sit ordinarius, sed delegatus, is debet exhibere authenticas litteras suae delegationis. Hinc si iudex est ordinarius, hoc ipso est competens ratione auctoritatis, et eius incompetentia exinde debet probari ab eo qui vult illum declinare. Secus vero si agatur de iudice delegato; hic enim debet probare suam delegationem, ut reus se sistat, iuxta citationem. Falsum tamen est, quod nonnulli affirmant, reum teneri se sistere, etiamsi incompetentia iudicis sit notoria. Si enim reus ex. gr. citatus ab aliquo iudice, sit omnino notorie exemptus ab illius iurisdictione, uti e. g. *Regularis* quoad *Ordinarium,* non tenetur comparere; si autem ea de re sit dubitatio, tenetur citatus comparere et probare suam exemptionem, ne iudex ulterius progrediatur. Quare nostris hisce temporibus clericus, absque legitima facultate, non potest comparere coram iudice laico, a quo sit citatus.

c) Item in citatione expresse poni debet locus, in quo reus conventus se sistat, itemque dies assignanda quae *feriata* non sit, atque ita *conveniens,* ut pro ea distantia in qua forte reus reperiatur, commode ad iudicium se possit conferre. *(Cap. 28 de Rescript.).*

d) Item exprimi debet nomen tum actoris, tum rei, et causa ipsius citationis factae.

559. Ex diverso modo quo actus hic iudicialis citationis potest compleri, multiplex oritur citationis partitio: prout scilicet est *publica* vel *privata, realis* vel *verbalis, simplex* vel *peremptoria.* Publica fit edicto aut voce praeconis, privata voce vel scripto per cursores: realis per capturam ipsius rei, ut contingit in criminalibus, verbalis vero vel in faciem ipsius rei, vel si absit, in eius domicilio coram domesticis. Simplex statuit dumtaxat tempus comparendi, peremptoria insuper addit, quod si reus non compareat, agetur in ipsum tamquam contumacem.

560. Ex citatione rite facta sequentes habentur effectus:

a) res quae in controversiam vocatur, dicitur affecta *vitio litigiosi,* eaque nec alienari nec innovari potest;

b) prorogatur iudicis iurisdictio;

c) inducitur in iudice citante competentia praeventionis;

d) interrumpitur praescriptio tricenaria vel quadragenaria;

e) inducitur contumacia, quatenus si actor non comparet, reus absolvitur; si vero reus abest, in eum sententia fertur. Cf. tit. 14 lib. II. Decr.

561. Citatio de qua modo dictum est, potest esse magis minusve perfecta. In qualibet citatione ea quae substantialia sunt requiruntur, ut scilicet actor contra reum causam iudici proponat, et iudex audito actore citationem contra reum ferat. At vero haec causae propositio aliter fit in causis, quae dicuntur summariae, et facilius expediuntur, aliter vero in iis quae difficiliores sunt et plenum iudicialem processum exigunt. In his enim requiritur ut actor libellum exhibeat iudici, in quo magis accurate intentionem suam manifestet contra reum, atque ideo definitur: *scriptura brevis ordinata et clara, continens intentionem actoris eamque demonstrans iudici et reo.* Libellus in causis civilibus dicitur *conventionalis,* eo enim convenitur reus, in criminalibus *accusatorius.* Post *litem contestatam* non potest am-

plius mutari libellus: hoc est mutari nequit ratio ipsa intentionis, quae ab actore est proposita; potest tamen emendari, obscura declarando, superflua detrahendo, et ad illustrationem etiam aliquid adiiciendo.

562. Est autem litis contestatio: *iuridica responsio rei conventi contra petitionem actoris.* Ut hoc intelligatur, notandum est reum citatum sive simpliciter sive libelli adiecta oblatione, posse vel ultro fateri illud quod ab actore petitur iure postulari; tum vero lis erit sublata, et actor ius suum obtinet: vel actoris intentionem negare et se paratum exhibere ad sua iura tuenda, et tunc habetur lis contestata. Ex istis actibus nempe citatione, libelli oblatione, litis contestatione, ea omnia habentur quae iudicii legitimam inchoationem constituunt.

563. Ex litis contestatione

a) iudex amplius recusari non potest, nisi nova habeatur causa ex qua possit repelli;

b) iurisdictio perpetuatur nisi id effecerit citatio *(Cap. 19 et seq. de Off. iud. del.)*;

c) inter partes veluti pactum inducitur, ut neutra possit altera invita ab iudicio discedere.

TITULUS V.

De iureiurando calumniae et mutuis petitionibus.

(In Decretalibus titt. 4. 7. lib. II.)

564. Ut tutius ac facilius procedi possit in iudicio, adhibetur *iuramentum calumniae*, quod definitur: *iuramentum quo partes litigantes iurant, quod in iudicio tam agendo quam excipiendo et defendendo, absque fraude et calumnia versari omniaque bona fide peragere velint*; vel brevius: *religiosa litigantium asseverantia, iudice deferente facta: se causam bona fide suscepisse, et prosecuturos.* Iuramentum calumniae certis circumscripsit normis Iustinianus Imperator *(lib. 2. t. 58. Cod.)*. Ita sacramenti religione interposita, partes adiguntur, ut in suis iuribus tuendis nonnisi veritatem ac iustitiam sectentur.

565. Iuramentum calumniae praestari potest vel in ipsa litis contestatione, vel statim post illam vel etiam quocumque tempore quo iudicium perdurat, si prius fuerit omissum; non tamen ante litem rite contestatam.

566. Iuramentum calumniae non ita necessarium est ut sine eo iudicium procedere non possit, at si ab aliqua parte postuletur non potest recusari. Hinc si actor recusat, cadit a lite et reus absolvitur; si vero reus recuset, habetur pro confesso, interveniente tamen iudicis sententia, hanc poenam infligentis.

567. Iuramentum calumniae praestare debent non solum principales personae, scilicet actor et reus, sed etiam procurator nomine mandantis, si habeat ad id speciale mandatum; quo in casu duplex praestat iuramentum alterum nomine suo, alterum mandantis, eo quod ex utroque capite posset in iudicio contra veritatem et iustitiam peccare. Qui vero agunt nomine alterius generali mandato, uti syndici et oeconomi nomine universitatum, tutores et curatores nomine pupillorum, iurant tantum nomine proprio.

Controvertitur autem an clerici teneantur iuramentum calumniae praestare. Sunt enim doctores qui illud indiscriminatim affirmant, alii vero qui indiscriminatim negant. Ad rectius ii dicunt, qui tenent clericos praestare posse iuramentum calumniae, si coram iudice ecclesiastico causam suam agant et in propria persona.

568. Est aliud iuramentum quod dicitur *malitiae;* et in eo differt a iuramento calumniae, quod hoc generale sit et totam causam respiciat, illud vero peculiarem aliquam ipsius causae partem, et petitur quando suspicio est, aliquid contra iustitiam et veritatem ab alterutra parte proponi. Hinc iuramentum calumniae simul, iuramentum vero malitiae pluries quovis litis tempore exigi potest.

569. Liquet autem utriusque iuramenti efficaciam maxime pendere ex eiusdem sanctitate communiter recepta et servata; hinc potest quandoque a iudice remitti, si manifestum sit periurii periculum. Illud etiam animadvertendum est, iuramentum calumniae *credulitatis* esse, non *veritatis* seu *scientiae;* quatenus scilicet, ut vere quis iurare possit, sufficit ut sibi conscius non sit, in iis quae profert pro se, aliquid habere tamquam falsum aut iniustum.

570. Ad ea etiam quae ad litis contestationem et ad stadium inchoationis eiusdem pertinent, referri possunt *mutuae petitiones,* quae quandoque adhibentur ad repellendam indirecto modo actionem intentatam. Hinc sicuti actio quae instituitur contra reum per libelli oblationem dicitur *conventio* ita quandoque reus conventus vicissim actorem se constituit: unde *reconventio* exurgit quae nihil aliud est quam *actio contra actorem instituta a reo convento, coram eodem iudice, et durante adhuc iudicio conventionis.* Hoc modo uterque fit simul actor et reus; nam aliquid utraque pars in iudicio ab altera petit unde nomen oritur mutuae petitionis.

571. Reconventio fieri potest vel ante vel immediate post factam litis contestationem, vel etiam postquam ulterius processum est in actione iudiciaria. Si fiat in ipso litis exordio, h. e. ante vel immediate post litem contestatam, utraque causa aequo gradu procedit, scilicet causa conventionis et reconventionis simul cognosci et una sententia terminari debet. Ratio est quia tunc litis contestatio ex qua veluti statuitur determinata materia controversiae, complexa est ex conventione et reconventione, adeoque una nequit sine altera spectari. Si vero reconventio fiat lite iam contestata post alios actus iudiciales, tunc prius finienda est causa conventionis dein ad causam reconventionis deveniendum est. Sunt qui hanc reconventionem serius propositam *compensationem* appellant.

572. Cum per reconventionem *reus* fiat *actor,* sequitur in eo postulari conditiones quae in quolibet actore iure requirunt. Hinc

a) excommunicatus non potest actorem reconvenire: ratio est quia non potest actoris personam habere;

b) laicus non potest reconvenire clericum coram iudice laico, licet sit tamquam reus coram ipso a clerico vocatus. Ratio est quia clericus ex privilegio fori non potest coram iudice laico in iudicium vocari. Excipiunt tamen si causa sit connexa, vel consuetudine legitima id liceat, et eo etiam in casu iudicis saecularis sententia executioni demandetur a iudice ecclesiastico, adeoque iudex laicus meram habeat notionem;

c) attamen actor reconventus a reo non potest et ipse reum denuo reconvenire, ne lites hoc pacto multiplicentur.

573. Reconventioni locus est regulariter in omnibus causis, etiamsi non sint connexae et fiant per diversas actiones. Excipiuntur tamen

a) causae quae sint exemptae ab iurisdictione iudicis coram quo facta est conventio: sic causa spiritualis non potest per reconventionem induci coram iudice laico;

b) omnes causae, quae dicuntur *executivae,* quae scilicet paratam habent executionem et celeritatem iudicii exigunt, uti est causa *debiti iam certi vel confessi, spolii,* etc.;

c) *appellationis,* nam iudex appellationis de ea solum cognoscenda iurisdictionem habet;

d) *criminales,* nam reus non potest suam innocentiam probare ex eo quod alter crimen commisit.

Ex his omnibus apparet reconventionem modum esse, ut diximus, repellendi indirecte actionem intentatam, novam aliam actionem instituendo.

TITULUS VI.

De dilationibus, feriis, ordine cognitionum.

(In Decretalibus titt. 8. 9. 10. 11. lib. II.)

574. Absolutis iis quae ad litis inchoationem plus minusve referuntur, iam ad alterum stadium deveniendum est ecclesiastici iudicii, quod in eius *continuatione* versatur. In eo autem, sicuti actoris est probare illud quod contra reum conventum coram iudice proposuit, ita ad reum pertinet intentatam actionem repellere. Id autem uterque exequitur probationibus, quae vel *indirectae* sunt vel *directae.* Sed prius quam de utrisque dicamus, quaedam innuimus, ne rerum tractatio perturbetur, de quibusdam mediis quae iure praescribuntur, ut facilius causa procedat. Huc referenda censemus quae habentur de *dilationibus,* de *feriis,* de *ordine cognitionum,* de *plus petitionibus.* De singulis brevissime.

575. *Dilatio,* prout hic spectatur, est *iustum temporis intervallum ad aliquem actum iudicialem melius expediendum reo vel actori datum a lege, vel a iudice, vel etiam ex conventione*

partium. Ex hac definitione, aptissima sequitur dilationis partitio in *legalem, iudicialem, conventionalem.* Legalis ab ipsa lege conceditur, vel a consuetudine, uti ex. gr. spatium decem dierum ad appellationem faciendam. Conventionalis ex mutuo partium consensu habetur ad prorogationem causae. Iudicialis stricto sensu, ea est quae ab iudice conceditur ad hoc ut melius causa expediatur. Haec dicitur arbitraria, quia arbitrio iudicis, pro ratione adiunctorum causae, conceditur. Est igitur actus iudicialis et ab iudice qua tali fieri debet. Hinc utraque parte praesente et neutra legitime contradicente, causa cognita, atque ita ut nimia dilationum frequentia (contra quam datur appellatio) lis non protrahatur. Dilationes arbitrariae, iuxta scopum ad quem dantur, sunt vel *citatoriae,* vel *deliberatoriae,* vel *probatoriae,* vel *executoriae.* Etenim vel dantur ut citatus commode comparere possit; vel ut libello proposito reus deliberet, cedere aut contendere malit; vel ut utraque pars sua iura melius persequatur; vel ut reus condemnatus, de iis quae debet satisfaciat; saltem si actio non sit realis aut criminalis: in his enim regulariter executoriae locum non habent. Sunt qui dilationes executivas distinguunt in eas quae dantur ad audiendam iudicis sententiam, et ad eius executionem; et isti distinguunt dilationes, prout dantur a citatione ad litis contestationem, a litis contestatione ad sententiae executionem.

576. Ex dilationibus tamquam effectus consequitur:

a) ut officium iudicis quoad illud, ad quod dilatio data est, conquiescat et quidquid super eo fiat sit invalidum;

b) ut saltem ex iure, si post dilationem, actus ad quem data est non ponatur, censeatur peremptus et ultra procedi possit.

577. *Feriae,* prout ad iudicia spectant, sunt dies quibus iudiciales actiones et actus contentiosae iurisdictionis intermittuntur. Et earum scopus praeter rationem ipsam dierum quibus adscribuntur, est ad iudicia rectius administranda.

578. Feriae aliae sunt *ordinariae,* aliae vero *extraordinariae.* Ordinariae statuta lege quotannis eodem tempore servantur, extraordinariae ex contingenti aliqua causa conceduntur. Aliae sunt *sacrae,* aliae vero *profanae.* Sacrae sunt eae quae ad dies spectant ad cultum Dei ac Sanctorum specialiter deputatos, uti dies Dominici, atque alii festi in *foro,* hebdomada quae dicitur *san-*

cta seu *maior*, aeque ac *paschalis*. Profanae quibusdam anni temporibus conceduntur, vel necessarii oblectamenti causa, vel communis utilitatis, ut tempore messis, vindemiae etc. Extraordinariae, ut nomen ipsum ostendit, non communi lege, sed pro re nata conceduntur: sic ob partam victoriam, adventum principis, grassantem pestem etc.

579. Feriae, quae sacrae sunt, nonnisi ab ecclesiastica auctoritate statui possunt, quae Pontificis est pro Ecclesia universa, episcopi pro unaquaque dioecesi. Profanae nonnisi a suprema auctoritate civili pro suo territorio determinantur.

580. Feriae ita servandae sunt ut actus contentiosae iurisdictionis, qui in iis locum habeant, *irriti* omnino evadant, etiamsi partes consentiant. Hoc autem non solum pertinet ad sacras, verum etiam ad profanas auctoritate publica constitutas. Si vero agatur de feriis quae privatorum utilitatem respiciunt, ex partium consensu praetermitti possunt: insuper quaedam sunt causae, in quibus licet regulariter feriae sint servandae, exceptio admitti potest; ut si iudicium sit summarium, vel periculum sit in mora, vel pietas exercenda erga miserabiles personas suadeat ut citius res ad exitum deducatur. Dixi tamen in feriis interdici actus contentiosae iurisdictionis; nam ea quae ad iurisdictionem voluntariam pertinent, etiam in feriis, utpote non prohibita, fieri possunt.

581. Sicuti in dilationibus et feriis continentur ea quae ratione temporis ab iudice sunt servanda in iudicio administrando, ita alia ab eo custodienda sunt in ipso processu ut omnia rite exsequi possit. Huc spectat titulus *de ordine cognitionum* qui est decimus libri II. Decretalium. Ex iis quae superius innuimus *de mutuis petitionibus,* seu *reconventionibus,* tum etiam ex aliis caussis, plures quandoque concurrunt controversiae in eodem iudicio propositae. Tum etiam quaestiones occurrunt aliae *principales,* aliae simpliciter *incidentes*. Hae vero maxime exceptionibus continentur, de quibus titulo insequenti. Ex his quaedam eiusmodi sunt, ut iis prius non solutis, principalis caussa solvi nequeat. Hae *praeiudiciales* dicuntur: quaedam vero viam sternunt ad principalis caussae solutionem, et *praeparatoriae* appellantur.

582. In tanta rerum congerie aliquis ordo profecto servari

debet : hinc *ordo cognitionum*. Quaedam vero habentur regulae quibus determinatur ordo quo causae propositae tractari debeant. Sed cum pleraeque ad caussas peculiares referantur ex. gr. matrimoniales, spolii etc., de quibus sermo est in altera parte huius libri, hic generalibus dumtaxat formulis nobis utendum est. Igitur

a) Regula generalis in primis est, causas eo ordine quo propositae sunt, cognoscendas et terminandas esse, nisi peculiaris aliqua habeatur ratio in iure determinata, vel partium consensu admissa, ut una causa alteri praeferatur.

b) Hinc praeiudiciales quaestiones, siquidem admittantur, prius tractari debent; cum ex dictis ex earum solutione dependeat, ut aliae solvi possint.

c) Quaestiones incidentes vero a iudice causae principalis cognosci debent, ut ibi finiatur iudicium, ubi coeptum est; nisi agatur de causa ecclesiastica, quae incidat iudicio laicali. Haec enim ab iudice saeculari dirimi nequit, cum sit alterius naturae, et is ad eam nullam habet iurisdictionem.

d) Denique causae incidentes praeparatoriae, cum viam sternant controversiae dirimendae faciliorem, regulariter praemitti debent.

Cf. tit. cit. *De ordine cognitionum.*

583. Praeter leges *temporis* et *ordinis,* servanda etiam est iudici norma veluti *quantitatis,* ne scilicet, praeter ea quae iure permittuntur, plus ab actore petatur contra reum. Huc revocantur quae plus *petitiones* appellantur de quibus inscribitur tit. 11. lib. II. Decretalium coll. eod. tit. in Codice Iustin. (III. 10).

584. Actor potest *plus petere* quatuor his modis : I. *Re* si maiorem petat summam, ea quae ipsi debetur ; II. *Causa,* cum aliquid petit determinate in individuo, quod ei solum *in specie,* vel etiam *aequipollenter* reddendum est ; ut ex. gr. determinatum equum, dum ei dumtaxat aliquis equus, vel etiam eiusdem valor numerata pecunia *disiunctive* debetur. III. *Loco,* si nempe alio petat loco, ac cum reo conventum est. IV. *Tempore,* si ante diem statum, vel siquidem conditionate contractum fuerit, ante eiusdem conditionis adimplementum.

585. Si plus petitio dolose ab actore admittatur, hic in expensas et damna reo inde secuta, recentiori iure damnatur. Si

vero plus petat tempore, duplicatas inducias in poenam sustinere debet.

586. Notandum tamen est requiri, ut plus petitiones *dolo malo,* hoc est scienter fiant, vel etiam, ut iis agnitis tanquam dolosis, non retractentur ab actore; si enim id fiat, vel reus exceptionem plus petitionis non opponat, actor plus petens a poenis liber evadit.

TITULUS VII.

De probationibus.

587. Quae hactenus proposuimus ad iudicem spectant ut in litis continuatione munere suo fungatur; iam deveniendum est ad ea quae iure statuuntur circa modum quo actor intentionem suam probare, reus vero eamdem repellere debet. Ad id autem plura adhibentur media, de quibus singillatim agitur in titulis respondentibus libri II. Decretalium. Porro ita ordini insistimus decretalium in hac tractatione, ut qua serie proponuntur ea quae ad probationes pertinent, eadem et nos proponamus. Ut autem intelligatur, quonam idearum nexu haec dicendorum series innitatur, haec statui possunt.

a) Cum actoris sit intentionem suam in iudicio contra reum conventum probare, fieri potest vel I. ut ipse reus *confessione sua* actorem eximat ab onere probandi, vel II. ut reus negando intentionem actoris hunc adigat probationibus eam affirmare. Hinc agendum est primo, de confessione; secundo, de probationibus.

b) Probationes autem dupliciter spectari possunt, prout scilicet aliquid habere debent omnibus commune, vel aliquid habent singulis proprium. Hinc ad dignoscendam indolem probationum, prius agendum est de probationibus *in genere,* dein de probationibus *in specie.*

c) Species autem probationum quae in iudicio adhibentur, sunt vel *testes* vel *instrumenta,* vel *praesumptiones* vel *iusiurandum.* De singulis autem suae habentur leges in iure.

d) Sicuti hactenus recensita, ad actorem pertinent ut intentionem suam probet, ita reus conventus duplici modo eam re-

pellere potest, scilicet *directe* et *indirecte*. Directe impetit cum probationes illas non existere ostendit, indirecte vero cum se tuetur *exceptionibus;* quas inter nominatim *praescriptio* inter *peremptorias,* quas vocant., exceptiones computatur. Hinc agendum ultimo loco tum de *exceptionibus,* tum de *praescriptionibus.*

At vero haec rerum series, ea est quae eodem omnino ordine continentur titulis XVIII–XXVI libri II. Decretalium. Liquet ergo unde profluat tituli huius a nobis statuta partitio.

588. Non ea tamen ratione nobis de singulis agendum, uti in enarratione libri II. Decretalium fieri mos est; nobis enim sufficit, aliquam eorum notitiam tradere, ea ratione quae elementorum propria est.

§ I. *De confessis.*

(In decretalibus libro II. tit. XVIII).

589. Si reus conventus, illud quod actor intendit ultro confiteatur, hic profecto ab onere probandi eximitur. Hinc confessio a nonnullis dicitur plenissima probatio et regina probationum; nihil enim ea clarius, citra *evidentiam facti,* haberi potest. At confessio potius probationem per se inutilem reddit.

590. *Confessio* dicitur *facti sibi adversi manifestatio ab ipso reo facta.* Eaque est:

a) *iudicialis* vel *extraiudicialis;*

b) *discreta* vel *indiscreta;*

c) *simplex* vel *qualificata.*

Confessio iudicialis ea est quae fit in iudicio, et coram iudice competente. Extraiudicialis quae vel non fit in iudicio, vel fit in iudicio quidem, sed coram iudice non competente. Confessio dicitur discreta, cum causa exprimitur ob quam obligatio habetur; ut si quis fateatur se debitorem esse ex contractu mutui. Indiscreta vero est, si quis generice tantum se debitorem esse fateatur, causa tamen non expressa. Dicitur simplex, quando quis intentionem adversarii simpliciter fatetur prout proponitur, ex. gr. se aliquem occidisse; qualificata vero si ita admittitur adversarii intentio, ut qualitate aliqua restringatur, ex. gr. si fateatur aliquis, se homicidium quidem fecisse, sed ad iustam de-

fensionem. Posset etiam addi confessio *expressa* vel *tacita,* quatenus scilicet aliquis adversarii intentionem verbis vel alio modo, expresse tamen fatetur, vel quatenus, licet proprie confessio non habeatur, in quibusdam adiunctis adesse praesumitur. Sed hanc exinde liquet ad praesumptiones revocari.

591. Confessio quae proprie hic spectatur est confessio *iudicialis.* Dixi autem (589) quo sensu *probatio plenissima* et *regina probationum* possit appellari, quatenus fidem facit *per se solà,* ut iudex definitivam sententiam contra reum ferre debeat.

592. Cum confessio hinc quidem talis sit, ut ea maior probatio haberi non possit, inde vero haud facile sit eam directe elicere, hinc instituta sunt media quaedam indirecta quibus confessio possit obtineri. Huc pertinent eae quae dicuntur *positiones,* de quibus videri possunt doctores, nominatim Schmalzgrueber, ad titulum V. huius libri num. 5. Positiones autem sunt: *breves quaedam assertiones facti alicuius ad causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi affirmando vel negando.* Quae ex his a reo negantur et proinde ab actore probandae sunt, peculiari nomine dicuntur *articuli probatorii.*

Confessio extraiudicialis cum proprie ad iudicium non pertineat, inter veras probationes nequit censeri, nisi quatenus ex aliquo adiuncto ad unam vel alteram probationum speciem possit revocari, ex. gr. ad praesumptiones.

§ II. *De probationibus in genere.*

593. Cum reus conventus actoris intentionem negat, actor eam probare tenetur. Hinc de probationibus agendum est. Quaedam autem sunt probationibus omnibus communia, quaedam vero singulis propria. Quae propria sunt paragraphis sequentibus proponemus. Hic breviter de probationibus universim disserendum est.

594. Ad probationes rite intelligendas iuvat imprimis controversiae naturam attendere. Iam vero

a) controversia quaelibet quae moveri potest in iudicio, est *facti* vel *iuris.* Est facti, cum disputatur de facti existentia, vel saltem de eius adiunctis, loco, tempore etc. Est iuris quando

quaeritur de facti merito, nempe ut ius facto recte applicetur, hoc est an iure factum sit, et quid de eo leges statuant *(Schmalz. De Iud. tit. 1. n. 3)*.

b) Hinc est quod probatio definitur: *rei alicuius dubiae, legitime facta demonstratio*. In qua definitione *res dubia* materiam exhibet circa quam probatio versatur, appositum vero *legitime facta* modum exhibet quo probatio fieri debet ut in iudicio valorem habeat.

c) Dubium autem circa factum duplex, ut diximus, esse potest, prout vel ipsa facti existentia simpliciter negatur a reo vel ea licet admissa, *qualitas* aliqua eiusdem facti negatur. Sic ex. gr. reus negare potest vel se homicidium admisisse, vel licet fateatur homicidium, contendere id factum ob iustam defensionem.

d) Quando dubium est de existentia facti simpliciter, tota controversia *facti* est; quando vero controversia est de facti qualitate, tunc quaestioni facti adiungitur quaestio iuris solvenda.

e) Hinc sequitur, iudicem *ex facto* sententiam ferre debere, et supplere ius facto applicandum; quatenus scilicet iudicat de facti existentia vel *simpliciter,* vel *secundum quid,* et deinde determinat quaenam lex pro eius facti ratione sit applicanda.

595. Statuta controversiae natura, facile dignoscitur probationum partitio, prout tamen generatim spectantur. Etenim

a) vel probatio eiusmodi est, ut singillatim inspecta seu *per se sola* fidem faciat, et iudex ad sententiam rite possit devenire, et tunc dicitur *plena:* vel talis est ut per se sola fidem facere nequeat, aliquo tamen pacto simul cum aliis ad probandum concurrat, et dicitur *semiplena;* si in utroque deficiat, est *nulla.*

b) Quando dicitur, *plenissimam* esse probationem aliquam, hoc non ita debet intelligi, ac si intrinsecum adsit discrimen inter probationem plenam, et plenissimam; utraque enim per se sola fidem facit; sed solum innuit faciliorem esse ac evidentiorem vim probandi.

c) Cum vero dicitur probationem semiplenam in plenam transire, hoc ita intelligendum est, ex pluribus simul collatis probationibus semiplenis talem haberi *moralem facti certitudinem,* ut iudex ad sententiam possit devenire.

d) At vero inde liquet, quo graviores sunt causae, maxime si de crimine, et in primis capitali agatur, eo difficilius esse ut ex semiplenis probationibus talis exurgat moralis certitudo, qualis in ea hypothesi requiritur. Hinc effatum illud quod potissimum valet in causis criminalibus, vel civilibus gravioribus: *probationes afferendas esse luce meridiana clariores.* Adeo ut in criminalibus potissimum, citra ullum iustitiae detrimentum, tamquam certum principium haberi debeat, satius omnino esse, ut reus absolvatur vel minus puniatur, quam ut innocens damnetur.

e) Est etiam probationum distinctio in *artificiales, et inartificiales.* Artificialis probatio ea est quae ex causae quidem adiunctis, sed aliquo adhibito circa ea ratiocinio proponitur. Inartificialis vero, mera probationis ipsius ex. gr. testimonii, instrumentorum, confessionis, etc. exhibitione continetur. Sed ut apparet, utraque plus minus semper coniungitur.

f) Denique probatio *iudicialis* est quae post litis rite factam contestationem proponitur, secus *extraiudicialis.*

596. Ad *plenas* probationes tamquam species revocantur: *testes, instrumenta, iusiurandum,* denique *praesumptiones,* saltem quae dicuntur *iuris, et de iure.* Addi solent probationibus plenis confessio ipsius rei et facti evidentia. Verum hae potius quam probationes dici debeant, probationes ipsas supervacaneas reddunt. Ceterum de confessione iam diximus. De reliquis brevissime aliquid attingendum est.

§ III. *De testibus et attestationibus.*

(In libro II. Decretalium, titt. 20. 21. et ibi DD.)

597. Inter probationum species, primo loco, *testes* merito numerantur. De his duplex habetur titulus in Decretalibus, scilicet: *XX. De testibus et attestationibus,* et *XX. De testibus cogendis, vel non.*

Patet autem, hunc secundum titulum cum primo coniungi, quatenus peculiari modo quaedam personarum classes considerantur, prout habent *ius et officium* testimonium ferendi in actione iudiciali.

598. Ea quae ad testes pertinent, a quibusdam, ex. gr. Schmalzgrueber, *(in h. t.)* ad haec capita revocantur: I. De natura et qualitate testium. II. De iis qui in quibusdam adiunctis inhabiles sunt ad testificandum. III. De numero, productione et iuramento testium. IV. De testium examine, eorum depositione et attestationum publicatione. V. De testium reprobatione. At forte brevius et clarius, omnia ad triplex caput revocari possunt, scilicet:

a) ad *idoneitatem* testium; ad quod revocamus tum ea quae spectant naturam et qualitatem testium, tum ea quae respiciunt inhabilitatem in quibusdam adiunctis, cum qua connecti potest tum quorumdam reprobatio, tum quorumdam coactio ut testimonium ferant;

b) ad testium *auctoritatem intrinsecam;* quatenus attenditur quid requiratur, ut eorum dicta vim intrinsecam et obiectivam habeant probandi, in illa controversia in qua producuntur;

c) ad testium *auctoritatem iuridicam;* quatenus scilicet eo modo testimonium proferre debent, ut in iudicio rite admittatur. Huc pertinet numerus requisitus, productio et iuramentum testium, eorum examen, eorum depositiones, et earumdem publicatio. Haec enim omnia non intrinsecam vim probandi respiciunt, quae testimonio inest, sed solum extrinsecam auctoritatem, ob conditiones a lege determinatas, ut in iudicio valorem habeat.

599. Testes sunt *personae quae de re seu de facto aliquo dubio et controverso, ad eius fidem faciendam, in iudicio adhibentur.* Attestationes vero sunt: *ipsorum testium depositiones, vel eorum asseverationes de facto aliquo vel eius qualitate.* Liquet autem cur diximus: *in iudicio;* testes enim hic considerantur prout ad iudicium pertinent, et *iudiciales* dicuntur; quippe differunt ab iis qui in conficiendis testamentis aut instrumentis, a lege requiruntur, ad eorum actorum *iuridicam* validitatem.

600. In testibus requiritur in primis *idoneitas,* qua in testes *iudiciales* proferri possunt. De his valet generatim regula: *omnes in iudicio testimonium ferre posse, qui a iure non prohibentur vel naturali vel positivo.* Porro

a) Quaedam sunt personae, quae ob earum conditionem semper et omnino repelluntur: hinc ex aetate ingeniique infirmitate,

repelluntur a testimonio ferendo furiosi, amentes, impuberes multoque magis infantes et infantiae proximi; itemque qui morum manifesta improbitate inhabiles redduntur ut eorum dictis fides adhiberi possit. Ut enim constat, testimonii vis innititur tum scientia, tum veracitate seu probitate testantis.

b) Quandoque vero inhabilitas non est *absoluta*, sed *relativa*; et oritur

aa) *ex officio naturae,* quatenus quidam sanguinis cognatione vel amicitia vel dependentia merito suspecti habentur, si testimonium ferant in favorem consanguinei, amici, superioris seu domini etc. vel nimiam inhumanitatem saperet si testimonium ferre contrarium adigerentur, quoad illas personas, verbi gratia filius contra patrem, uxor contra maritum, etc.

bb) *ex ipsa causa et iuris dispositione;* ut ex. gr. feminae testificari nequeunt in causis criminalibus, patronus et advocatus in causa quam tuentur, iudex in causa quam iudicat, quivis denique in causa propria. Sic etiam infideles, haeretici, excommunicati et alii in iure canonico expressi, quoad forum ecclesiasticum. Nonnullae tamen quoad singulos huiusmodi casus habentur exceptiones in causis, sive matrimonialibus, sive criminalibus, nominatim haereseos, de quibus melius suis locis disseretur.

c) Ex hac testium idoneitate requisita, sequitur, quosdam testes reprobari posse ex hoc capite in actione iudiciali; quemadmodum reprobari etiam possunt eo quod deficiant in iis quae pertinent ad vim intrinsecam probandi, vel ad eorum iuridicum examen. Si enim tale quid possit ostendi, profecto iure testimonium repellitur.

d) Huc etiam pertinet id quod lege cautum est circa ius cogendi testes ad testimonium ferendum in iudicio; quod iudici competit ita etiam poenis compelli possint. De his agit cit. Titulus XX. *De testibus cogendis vel non.* In iure civili, generatim omnes qui testimonium ferre valent cogi etiam possunt; nisi per legem excusentur, ut consanguinei et affines; dum contra in iure canonico, regula generalis est, testes monendos, non cogendos. Sed ut notat Zallinger in h. t. § 264. tot sunt exceptiones ut regulam poene absorbeant.

601. Praeter idoneitatem, ad hoc ut testes in iudicio vim

suam habeant, requiritur etiam, ut animadvertimus superius (598. *b*), eorum *auctoritas intrinseca,* quatenus eorum dicta in illa controversia in qua adhibentur fidem facere possint. Porro

a) testes uti fide digni ex eorum testimonio habentur, si

primo, in semel lata testificatione constanter maneant, nulla admissa aut contradictione aut haesitatione. Ubi notandum est contradictionem in testimonio ferendo posse etiam in quibusdam adiunctis tamquam falsam testificationem haberi, ac pro merito poena plecti;

secundo, si de iis testimonium ferant, quorum scientiam habent quae propria est illius rei de qua testantur; idest si de visu vel auditu in ea re testentur, quae visu vel auditu erat percipienda;

tertio denique, si plures sint qui de eadem re, saltem ad substantiam quod attinet, idem testentur, adeoque ut *contestes* haberi debeant: alias enim *singulares* dicendi erunt.

b) Hinc oritur diversa ratio, qua *singularitas* testium a forensibus spectatur. Triplex ab his recensetur testium singularitas, scilicet *cumulativa, adversativa, diversificativa. Cumulativa,* seu *adminiculativa* ut etiam vocatur, tunc habetur cum de unoquoque actu unicus habetur testis, sed simul omnes sumpti paene absolutam exhibent facti certitudinem. Hi testes dicuntur *adminiculati.* Quod tamen dicitur de certitudine, quae ex testibus adminiculatis exsurgit, non eo sensu accipi debet, ut ea semper praesumi possit. Singularitas *adversativa* tunc exsistit, quando testes singillatim, non solum de variis actibus testantur, sed de iis quae sese mutuo excludunt. Patet, ex huiusmodi testimoniis non solum nihil concludi, sed si mutuo possibilia esse nequeant, aut factum ipsum excludi aut falsam testificationem aperte evinci ex parte alterutrius testis. Denique singularitas *diversificativa* tunc habetur, cum plures testes singillatim de variis actibus testantur, qui neque inter se connexi sunt, neque adversi; uti esset si unus rem contigisse affirmet aliquo tempore, alter vero alio tempore, convenirent tamen in eo, rem certo contigisse.

602. Ad vim probandi intrinsecam quod spectat, quoad testes exinde sequitur:

a) plenam probationem non haberi, nisi ex testimonio quod

ferant *contestes* proprie dicti; scilicet qui plures de eadem re eodem modo, saltem quoad substantiam, testimonium ferant;

b) testes adminiculatos, licet, ut animadvertimus, absolutam certitudinem, adeoque plenam probationem non pariant, saepe tamen eiusmodi esse, ut ex eorum cumulativa testificatione veritas facti elici possit; plurimum tamen id pendere tum a causae qualitate, tum a iudicis prudentia;

c) testificationem adversativam vel nullum testimonium gignere, si nempe uterque testis falsi argui nequeat, vel unum dumtaxat repraesentare testimonium, cui adversum certo falsum est. Uter ex his tamquam falsus testis habeatur pendet potissimum ex ipsorum testium qualitate;

d) testificationem vero diversificativam, vel, remote saltem, in cumulativam refundi, vel unicum dumtaxat testimonium exhibere, illud scilicet quod ex diversis admittitur;

e) hinc sequitur, testificationem datam ex contestibus plenam, ex testibus adminiculatis semiplenam, ex testibus sibimet contrariis vel diversis nullam probationem suppeditare. Haec de intrinseca testium vi.

603. At vero ad hoc ut rite in iudicio testimonium feratur, non solum requiritur testium auctoritas *intrinseca,* verum etiam postulatur auctoritas eorumdem *iuridica,* ut scilicet eorum testimonium *iuridicum valorem* habeat. Huc spectant leges statutae, de numero testium pro diversitate causarum requisito, de modo testes producendi, et de examine eorumdem in iudicio faciendo, denique de eorumdem testimoniorum publicatione; ut enim dicemus testes secreto sunt audiendi ac dein eorum testimonia publicanda. De his haec nobis innuisse sufficiat, quae ad ius spectant Decretalium.

a) Forma iudiciaria, ad testium usum quod spectat, ad triplex caput revocatur. Scilicet ad ea quae antecedunt receptionem testium; ad ea quae receptionem testium constituunt et comitantur; denique ad ea quae testium receptionem consequuntur;

b) ut testes recipi possint, quaedam requiruntur in eo qui testes producit, quaedam etiam in iudice qui eos recipit. Testium productio fieri potest verbis, seu scripto. Sunt qui distinguunt productionem testium *realem* a duabus recensitis; realem autem dicunt quando testes a litigante denominati et a iudice vocati

reipsa comparent in iudicio, ac iurati deponunt, etsi depositiones non statim coram partibus publicentur;

c) antequam testes primo nominati examini subiiciantur, alii possunt usque ad conclusionem in causa produci; si tamen eorum numerus nimis excrescat, modus aliquis a iudice potest imponi; ille tamen numerus semper debet admitti qui pro causae adiunctis ad probandum requiratur;

d) productio testium licet tam actori, quam reo, et in iure regulariter admittitur secunda etiam et tertia testium productio, non tamen quarta, nisi per aliquam exceptionem. Productiones vero testium fieri debent ante testimoniorum publicationem.

e) Haec quoad partes, quae testes producunt. De iudice vero, qui debet testium depositiones recipere, haec tenenda sunt: iudex nequit testes admittere ante litis contestationem (nisi sit periculum in mora); aut non facta citatione, ut constet an pars adversa aliquid contra testes excipiat; item elapso termino ad testes producendos constituto; denique si vel per publicationem factam, vel alio quovis modo iam cognoscantur depositiones testium praecedentium ab ea parte quae novos testes producit.

f) In examine testium haec a iure praescribuntur: I. testes debent iurare pro veritate, nisi forte, ubi a lege id permittitur, pars adversa iuramentum remittat; II. debent examinari a iudice, notario praesente, ut examen sit *iudiciale*, iudex tamen repraesentari potest per delegatum; III. secreto, idest remotis partibus, et singillatim, hoc est unus testis, examinandus seorsim ab altero; IV. examen debet institui supra *articulos probatorios*, qui prius iam confecti sunt a parte quae testes producit; V. item examinandi sunt iuxta *articulos interrogatorios* qui proponi possunt a parte adversa, qui articuli interrogatorii respondere debent probatoriis: haud tamen semper interrogatoria huiusmodi permittuntur; VI. denique post depositiones unuscuiusque testis, is dimitti debet imposito silentio; ne collusio haberi possit.

g) Testium depositiones rite factas sequitur earumdem publicatio. Haec autem ita fieri debet ut pars contra quam testes sunt producti, eorum dicta cognoscat et contra ea possit excipere, per alios testes qui dicuntur *reprobatorii*.

Denique ad numerum testium quod spectat, ut exinde iudicialis probatio haberi possit (si non est determinato modo pro

aliqua causa a lege statutus), generatim ad duos saltem ex necessitate, revocatur. Unicus vero testis regulariter non sufficit: unde effatum illud: *testis unus, testis nullus.*

Haec de testibus et attestationibus ex iis quae fusius tradunt doctores in hunc titulum, potissima sunt.

§ IV. *De fide instrumentorum.*

(In libro II. Decretalium titulus XX) (1).

604. Post testimonia, alia species probationum continetur *instrumentis.* Instrumentum autem definitur: *Scriptura, quae de aliqua re fidem facit.* Hinc intelligitur quid sibi velit hic titulus: *de fide instrumentorum.*

De instrumentis haec breviter innuimus:

a) Instrumentorum partitio fit in *publica* et *privata.* Instrumentum publicum dicitur, quod provenit a persona publica *qua tali,* et confectum est iuxta solemnitates a lege statutas. Privatum vero si utraque conditione destituatur. Insuper instrumentum publicum si actum continet non privatorum sed ipsius communitatis, peculiari nomine *monumentum* appellatur.

b) Item instrumentum est vel *originale* vel *exemplar.* Est originale si sit scriptura primitus confecta, secus exemplar, si nempe sit transcriptum secundum originale. Si exemplar factum est auctoritate publica, et de hoc constet, *authenticum* dicitur; secus est *genuinum.*

Instrumenta publica vim probandi habent *simpliciter,* privata vero solum *relative;* hoc est contra scribentem, si ab eo ut sua agnoscantur.

At libri mercatorii qui rite sint instructi secundum leges et consuetudines locorum, habent vim probandi simpliciter, scilicet in favorem etiam scribentis.

c) Generatim ut instrumentum vim habeat probandi, duo requiruntur: I. ut tale sit quod fidem faciat, si de originali sermo est; II. ut fideliter sit ab originali descriptum, si de exemplari agitur.

(1) *Vide etiam Zallinger de Rescript.* § *206.*

Hinc patet quaenam contra instrumenti alicuius fidem excipi possint, prout vel negatur ab eo esse scriptum a quo dicitur, (ex. gr. testamentum olographum) vel ostenditur ad substantiam quod attinet corruptum, aut interpolatum, vel etiam nullum saltem quoad valorem iuridicum, si forte sit iis characteribus destitutum, qui a iure requiruntur, uti ex. gr. testamentum requisitis solemnitatibus destitutum.

§ V. *De praesumptionibus.*

(In libro II. Decretalium titulus XXIII.)

605. Inter probationes, praesumptiones etiam recensentur. Praesumptio autem est *anticipata de re dubia opinio, ex indiciis per rerum circumstantias frequenter evenientibus desumpta, aut ex legum determinatione procedens;* seu brevius praesumptio dici potest, *persuasio de rei veritate, ante directam probationem, ex indiciis sufficientibus.* Hinc sequitur:

a) praesumptionem dici veluti *ante sumptionem,* quatenus praecedit directas probationes;

b) praesumptionem tamen differre a simplici coniectura, quae suspicionem magis quam opinionem praesefert; uti et a *fictione iuris,* ut dicitur, quae in eo est ut res, quae certo falsa cognoscitur, ceu vera ex iuris dispositione admittatur; quemadmodum ex. gr. haeres censetur una persona, quoad iura, cum defuncto cui succedit;

c) praesumptio alia est *iuris,* alia *hominis.* Praesumptio hominis ea dicitur, quae propriae a lege non praescribitur, sed prudentis iudicis arbitrio relinquitur, quae porro vel *levis* est seu *temeraria,* vel *probabilis,* vel *violenta,* prout levissimis indiciis, vel gravibus vel gravissimis omnino connititur. Praesumptio vero iuris ea dicitur quae ab ipsa lege firmatur, eiusque munitur auctoritate;

d) praesumptio iuris iterum dividitur in praesumptionem *iuris simpliciter,* et praesumptionem *iuris et de iure.* Praesumptio iuris simpliciter admittitur quidem a lege et ab ea firmatur, lex tamen non respuit probationem in contrarium. Sic filius domi natus censetur legitimus. Praesumptio vero iuris et de iure ita a

lege firmatur, ut et plenae probationis vim habeat et contrariam probationem regulariter non admittat; ceu concubitus sponsae et sponsi ante concilium tridentinum qui maritalis praesumebatur, res iudicata etc.

e) Quaecumque tamen sit praesumptio, semper admittendum est tamquam principium, *praesumptionem cedere veritati.*

§ VI. *De iureiurando.*

(In libro II. Decretalium tit. XXIV.)

606. Ad probationes pertinet quoque iusiurandum; quod est *invocatio Dei in testimonium veritatis.* Iuramentum hic a nobis spectatur prout est *probatio iuridica,* adeoque differt

a) a *iuramento calumniae* de quo iam diximus (Tit. V), quod ad cautionem dumtaxat adhibetur et est iuramentum credulitatis, itemque

b) a iuramento quolibet *extraiudiciali,* quale esset ex. gr. *promissorium* vel *assertorium veritatis* non tamen iudicialiter probandae.

607. Iuramentum est vel *iudiciale,* vel *voluntarium,* vel *necessarium.* Licet omnibus sit communis haec partitio haud tamen eadem ratio est eam explicandi (1). Aliis omissis, eam amplectimur quam tradit Balsamon (2) his verbis: *Voluntarium est quod datur ex voluntate partium extra iudicium; necessarium quod defertur ab actore et ex interlocutione iudicis datur; iudiciale* (specifice) *quod iudicis sententia, etiam nolentibus iis qui litigant, controversiam decidit.* Porro animadvertendum est, iuramentum quod ab alterutra parte *defertur,* posse ab altera *referri;* imo regulariter quando in iudicio defertur iuramentum, pars cui defertur vel debet illud praestare vel referre, hoc est exigere ut pars quae iuramentum detulit, ipsa iuret. Contra vero iuramentum quod alterutri parti ab iudice defertur, regulariter recusari non potest nec referri. Voluntarium denique seu

(1) V. Devoti Inst. can. lib. IV. tit. IX. § 23.

(2) *In Nomocan. Photii tit. 13. c. 18. in Bibl. Iuris Can. edita a Iustello v. 2. pag. 1117.*

extraiudiciale, ex voluntate seu conventione partium datur et refertur.

608. Iuramentum dicitur *decisorium litis*, quando omissis aliis probationibus datur ab alterutra parte *litis finiendae causa*: *suppletorium* si actori defertur ut probationes semiplenas veluti compleat; *purgatorium* si ad se purgandum a reo postulatur; *in litem*, vel *aestimatorium litis* quando a iudice actori defertur, ut dicat quanti aestimet rem de qua controvertitur. Hic vero pretium aestimare potest vel iuxta verum valorem, et iuramentum dicitur *de veritate* aestimatorium; vel ex lucro quod exinde haberi potest aut damno quod pati debuit et *de interesse* appellatur, vel denique aestimatio pretii ex peculiari quadam conditione ex actoris *affectu* determinatur *et de affectione* vocatur (1).

609. Iuramentum *ad delationem partis* praestitum, quod nos diximus necessarium, plenis probationibus accensetur, eiusque effectus est ut qui recuset praestare iuramentum, nisi iustam habeat causam semet excusandi, causa cadere censeatur; adeo, ut recusante actore absolvatur reus, recusante reo habeatur is pro confesso; si vero alteruter iuramentum praestiterit quando delatum aut relatum est, iudex teneatur pro parte iurante ferre sententiam.

610. Causae tamen excusantes ab iuramento, quod pars parti ex conventione aut ex interlocutione iudicis detulerit, hae potissimum recensentur: I. si deferens iuramentum non prius iuraverit de calumnia; II. si iuramentum delatum alias et nondum praestitum revocaverit; III. si qui iurare deberet, bona omnino conscientia ex ignorantia facti alieni iurare non possit; IV. denique si rem plene probaverit instrumentis ac testibus, ille a quo iuramentum postulatur. Quod vero pertinet ad iuramentum quod inopia probationum ab ipso iudice delatum sit, recusari non potest, ut diximus, nisi exceptionis causa, quae tamen exceptio contra iudicis auctoritatem probari debet.

611. Scholion. Ad complendam tractationem de probationibus quae plenae dicuntur, aliquid innuendum est tum de *inspectione rei*, quae in controversiam vocatur, tum de *fama*, quae

(1) *Pichler in h. t., nn. 19. 30.*

quandoque de re aliqua haberi potest. Inspectio rei fit vel a iudice vel a personis idoneis ab eo delegatis. Talis est inspectio corporis in causis matrimonialibus, ubi agitur de impedimento impotentiae vel generatim de matrimonio non consummato. Item *accessus localis,* ut causae dirimantur in quibus necessarium est statum ipsum rei controversae propriis oculis agnoscere. Ad famam vero quod attinet, satis liquet plenam probationem ex ea haberi non posse, nisi *notorietatem facti* manifeste supponat: si enim hoc non habeatur, species aliqua praesumptionis est; de qua proinde iudicium ferri debet, quemadmodum et de aliis praesumptionibus de quibus iam diximus (hic § V).

§ VII. *De exceptionibus et praescriptionibus.*

(In Decretalibus lib. II. titt. XXV. et XXVI.)

612. Hactenus, iuxta statutam partitionem, de iis egimus quae ad actorem pertinent, quatenus is opportune deductis probationibus actionem suam intendit asserere. Iam aliquid dicendum est de iis quae a reo opponuntur ad repellendam iudicialiter actoris intentionem. Hoc fit *exceptionibus.* Exceptio autem proprie dicta fuit: *actionis vel intentionis exclusio.* Ceterum lata significatione exceptio continet omnem defensionem, et responsionem factam in iudicio a reo contra alterius intentionem.

613. Exceptiones sunt vel ad certum tempus, vel in perpetuum, unde *dilatoriae* vel *peremptoriae* dicuntur. Dilatoria ius aut actionem vel intentionem suspendit ad tempus, non tamen eam penitus excludit; peremptoria vero si adsit, ius et intentionem actoris perimit, ac omnino tollit.

614. Exceptiones dilatoriae petuntur vel ex persona iudicis, uti est exceptio *fori declinatoria,* vel ex persona ipsius rei, vel etiam ex ipsa causa.

Peremptoriae vero exceptiones aliae sunt simpliciter tales, aliae vero *litis finitae:* quae scilicet non solum intentionem et actionem intentatam perpetuo excludunt, sed vetant etiam ne novum iudicium instituatur.

615. Quod ad tempus est quo exceptiones opponi possunt, notandum est, exceptiones dilatorias communiter ante litis con-

testationem esse proponendas; peremptorias vero etiam post litem contestatam et in causae decursu, modo ante iudicis sententiam, proponi posse, quin imo quasdam esse ex peremptoriis, uti sunt illae finitae litis, quae etiam post sententiam proponi possunt, contra executionem. Cuius discriminis ratio in eo potissimum est, quod dilatoriae exceptiones impediant quominus iudicium instituatur, proindeque ante litem contestatam sint proponendae: peremptoriae vero ipsam causam intime attingunt; hinc etiam post litem contestatam proponi valent.

616. Exceptiones eliduntur replicationibus quae hinc inde duplicationibus, triplicationibus, quadruplicationibus elidi possunt. Iudex tamen modum aliquem his debet imponere, ne absque fine procedant; sed ita ut reo convento ultima allegatio permittatur.

617. Inter exceptiones peremptorias *praescriptio* etiam recensetur. Est autem praescriptio: *adiectio sive acquisitio dominii vel quasi dominii, aut alieni iuris sive realis sive personalis, per continuationem possessionis tempore et modo a legibus vel sacris canonibus definito.* Ita communiter ex definitione *usucapionis* quae habetur *L. usucapio 3. D. de usuc. et usurp. Praescriptio* hodie ab *usucapione* non distinguitur, nisi quis forte dicere velit cum Schmalzgrueber (in h. t. n. 2) usucapionem esse veluti *causam,* praescriptionem vero, effectum, quatenus ex confirmata illa possessione oritur *exceptio.*

Praescriptionis fundamentum, quo in Iure tum civili tum canonico admittitur, est communis utilitas, imo et necessitas societatis, ut possessores continuo timore rem amittendi non divexentur, aut litibus perpetuus aditus non aperiatur. Materia porro praescriptionis, seu *res praescriptibiles,* eae sunt quae in dominio vel quasi dominio privatorum esse possunt, nisi positiva lege aliquid interdicatur.

Ad praescriptionem requiruntur *possessio, bona fides, titulus, tempus,* unde est vel *longi* vel *longissimi temporis* vel etiam *immemorabilis.* Neque eadem sufficit ad omnia rerum genera praescribenda. Sed de his legi possunt late disserentes DD. in h. t.

TITULUS VIII.

De sententia et re iudicata.

(In Decr. II. 27.)

618. Probationibus et exceptionibus stadium illud ecclesiastici iudicii, quod *continuationis* appellavimus, absolutum est. Superest ut aliquid breviter dicamus de ultimo seu *consummationis*. Ad hoc pertinent *conclusio in causa, sententia, appellatio, res iudicata, restitutio in integrum.* Quia tamen res iudicata est effectus sententiae, quando ab ea non datur appellatio; hinc in eodem titulo de sententia et de re iudicata disseritur. Conclusio vero in causa habetur veluti immediata sententiae praeparatio, hinc in tituli inscriptione ab ea non distinguitur.

619. Conclusio in causa est: *actus iudicialis quo utrique parti ulterior probationum seu exceptionum productio interdicitur.* Hinc sequitur conclusionem in causa dupliciter fieri posse, vel quatenus partes ipsae declarant, se omnia protulisse quae ad suam intentionem probandam ipsis suppetebant, vel quatenus ipse iudex pro suo arbitrio et aequitate tempus praefigit, ultra quod sit in causa conclusum. Hoc tamen licet partibus interdicat novas allegationes proferre, minime impedit quominus iudex si velit novas exigat.

620. Sententia est: *actus iudicialis, quo controversiae finis imponitur per absolutionem, vel condemnationem rei.* Patet autem hanc sententiam eam esse, quae dicitur *definitiva,* et differt ab ea quae dicitur *interlocutoria.*

Recolendum enim est, aliquando in causa enasci novam aliquam controversiam, sive praeiudicialis sit, sive simpliciter incidens, quae tamen iudicis pronunciatione resolvenda sit et finienda ut deinde principalis controversia dirimi possit. Haec sententia intermedia dicitur interlocutoria; neque enim per eam ultimum verbum pronunciatur a iudice. Item sententiis interlocutoriis eae accensentur quibus iudex in causae decursu aliquid fieri mandat quod ad causam pertinet ex. gr. inspectionem corporis, accessum localem, testis alicuius capturam, etc.

621. Sententiae quoque interlocutoriae similis est illa quae dicitur *provisionalis;* quae tunc adhibetur cum in causa principali, quae ex defectu sufficientis probationis dirimi nequit, habentur etiam aliae causae quae moram non patiuntur, et de quibus satis constat: tunc enim provisionali sententia iudex interim his consulit, ulterius de causa principali sententiam laturus, uti ex. gr. de alimentis etc.

622. Sententia definitiva hoc habet proprium, comparate ad sententiam interlocutoriam, ut ab ea detur appellatio, et insuper requirat solemnitates a iure statutas, dum a iudice pronunciatur.

Hae autem sunt, ut iudex sedens pro tribunali eam ipse legat e scripto exaratam, nisi forte ratione maioris dignitatis alteri eam legendam tradat; item ut ea lingua utatur quae in usu fori illius est, et die non feriato, ac loco publico et consueto, denique partibus praesentibus, vel saltem citatis et elapso citationis termino. Sunt etiam conditiones intrinsecae sententiae ut scilicet non sit contra ius manifestum, vel extra causam propositam vel ex falsis instrumentis aut testibus etc. ex quibus omnibus, atque aliis similibus rationes iustae habentur ad appellandum.

623. Sententia definitiva, quando talis est ut ab ea appellari non possit, vel elapsus sit terminus ad appellandum praestitutus, transire dicitur *in rem iudicatam.* Itaque executioni demandatur, et unicum superest tunc remedium restitutionis in integrum, ut inferius dicetur. Quaecumque tamen sit *rei iudicatae* auctoritas, principium est, ut res inter alios iudicata aliis non noceat, *Cap. 17 de sent. et re iudic.:* ius enim solum facit inter partes.

624. Quaedam sunt tamen causae quae per quamcumque sententiam nunquam transeunt in rem iudicatam, uti in primis causae matrimoniales; item aliae spirituales ob animae discrimen, vel si sententia esset manifeste iniqua. Hoc iure pariter gaudent sententiae criminales: qui enim iis damnantur, semper possunt, si probationes iis suppetant, suam innocentiam probare.

TITULUS IX.

De appellationibus.

(In Decretalibus lib. II. tit. XXVIII.)

625. Ordinarium remedium, quo quis sententia iudicis gravatus potest sua iura tueri, est appellatio, qua a iudice inferiore provocatur ad iudicem superiorem; hic autem iudex *appellationis* vocatur. Est igitur appellatio: *provocatio ab inferiore iudice vel magistratu ad superiorem ut prioris iudicis sententia infirmari possit.* Hinc iudex *primae, secundae, tertiae instantiae* nomen habet. Appellatio haec iudicialis differt tum a *supplicatione* ad superiorem, tum a *revisione actorum.*

Antiquitus triplex erat appellationis forma. Prima tunc fiebat quando aliquid contra iudicii formam peccatum esset. Secunda quando, licet forma iudicii rite fuisset servata, appellabatur contra ipsam sententiam ad superiorem iudicem, qui tamen simul cum iudice inferiore qui eam tulerat de ea iudicare deberet. Tertia denique est ea, quae modo etiam obtinet, in qua praetermisso priore iudice, causa a iudice superiore iudicatur.

626. Ad effectum appellationis quod spectat, animadvertendum est, appellationem dari posse vel *in devolutivo,* vel *in suspensivo.* Datur in devolutivo cum effectus prioris sententiae per se non suspenditur, salva eiusdem revocatione per contrariam sententiam, et per restitutionem in integrum; est vero in suspensivo, cum ita omnia per appellationem suspenduntur, ut quidquid fiat ulterius, irritum omnino evadat. Haec est vera et propria appellatio; nam alia potius recursus dici debet.

627. Appellatio fieri potest voce vel scripto. Fit voce, si immediate post prolatam sententiam coram iudice sedente pro tribunali appellatio interponitur; fit scripto cum intra tempus permissum, hoc est intra decem dies a prolatione sententiae, ad iudicem superiorem provocatur.

628. In appellatione facienda debet servari ordo hierarchicus iurisdictionis a lege statutus, ex. gr. in re nostra ab episcopo ad metropolitanum etc. salva tamen semper Summi Pontificis

suprema auctoritate: ad hunc enim *a quolibet ecclesiastico iudicio* semper potest appellari. Omnes vero appellare possunt, non solum qui partes fuerunt in priori iudicio, sed etiam omnes quorum quocumque pacto intersit, ne sententia transeat in rem iudicatam. Sunt tamen quaedam causae quibus appellatio denegatur vel omnino vel ex parte, hoc est conceditur in devolutivo, sed non in suspensivo.

629. Ad appellationem referuntur *apostoli;* quo nomine literae intelliguntur, quibus ab inferiore iudice ad superiorem causa transmittitur. Hi autem pro diversa eorum ratione peculiarem etiam habebant appellationem et dicebantur *dimissorii, refutatorii, testimoniales, conventionales;* sed haec hodie fere obsoleverunt.

630. Iudex vero secundae instantiae tum acta prioris iudicii ad se transmitti praecipit, tum prohibet inferiori iudici, ne ultra in casu procedat. Modus vero quo fit iudicium secundae instantiae, ad substantiam quod attinet, non differt ab eo quo fit in prima instantia, quique a nobis propositus est.

Sunt tamen quidam termini statuti temporis quo quis appellationem interponere, introducere et prosequi tenetur qui *fatalia* dicuntur, eo quod, si quis eos elabi sinat, causa appellationis cadit.

TITULUS X.

De restitutione in integrum.

(In Decretalibus Lib. I. tit. XLI.)

631. Praeter *ordinarium* hactenus recensitum appellationis remedium, *extraordinarium* illud aliquando suppetit quod *restitutio in integrum* appellatur. Est autem restitutio in integrum *redintegrandae rei vel causae actio;* seu ut alii dicunt, *in pristinum statum repositio.* De restitutione in integrum haec nobis breviter innuenda sunt.

a) Restitutio in integrum vel quibusdam *ex gratia* a supremo Principio conceditur (et *gratiosa* tunc dicitur), vel ex *iustitia* a iudice tribuitur iis qui ad eam ius habent.

b) Conceditur *de iure* minoribus viginti quinque annis, etiam puberibus qui sunt patresfamilias, ubi se laesos fuisse ostenderint. Minoribus aequiparantur tum maiores qui iudicio abfuerunt causa reipublicae, vel in carcere detinentur, vel capti fuerunt ab hostibus, itemque Ecclesia; quo nomine quidquid ad res et personas sacras pertinet continetur.

c) Requiritur etiam ut iusta adsit causa eam concedendi. Ea tamen pro minoribus esset sola etiam aetas.

d) Restitutio in integrum locum habet tum adversus sententiam quae abierit in rem iudicatam, tum adversus laesionem quam passae fuerint personae, quibus petentibus conceditur, vel quibus iure debetur.

e) Opus tamen est:

aa) ut negotium sit civile, non criminale;

bb) ut sit ipso iure validum; si enim tale non sit, ordinarium remedium nullitatis praesto est;

cc) ut negotium sit rescindibile: At si tale non sit, ut ex. gr. matrimonium validum, professio religiosa, ordo sacer rite susceptus, restitutio in integrum haberi non potest;

dd) praevia etiam requiritur causae examinatio, ut constet, an de persona agatur quae hoc beneficio vel iure vel gratia frui possit, et de ea re in qua possit hoc remedium adhiberi;

ee) denique petenda est tempore seu quadriennio a lege statuto, nisi probetur causa iusta cur illud elapsum sit quin restitutio in integrum fuerit postulata. Quadriennium computatur quoad minorem a die qua excessit annum vigesimum quintum, quoad maiorem a die qua cessavit impedimentum, denique quoad Ecclesiam a die cognitae laesionis;

ff) restitutio in integrum semel negata, nisi adsit nova causa iterum concedi non potest.

632. Atque his tractationem de iudicii ecclesiastici oeconomia, simulque priorem partem tertii huius libri absolvendam arbitramur (1).

(1) Cf. *Schmalzgr. in h. t.; Ferrante Elem. I. C. lib. III. tit. ult.*

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

PARS ALTERA SPECIALIS

SIVE DE CAUSIS ECCLESIASTICIS BREVIS COMPLEXIO

633. Quemadmodum hactenus dicta leges exhibent, quae iudicium quodlibet ecclesiasticum moderantur, ita quaedam sunt leges quae peculiares quasdam ecclesiasticas causas respiciunt. Ex his altera coalescit pars quae specialis iure nuncupatur, tractationis de iudiciis ecclesiasticis. Hanc tamen pro ratione nostrarum institutionum, nonnisi brevissime adumbrare fas est. Ut autem appareat, quonam ordine tractationem hanc persequimur, animadvertimus causas ecclesiasticas ad triplex caput apte revocari: Ad causas scilicet *beneficiales, matrimoniales, criminales*. Nomine causarum beneficialium eas omnes intelligimus controversias, quae ad causas civiles seu pecuniarias spectant clericorum. Quid vero nomine veniat causarum matrimonialium satis intelligitur; prout nempe matrimonium christianum, tum ut *contrahendum*, tum ut *contractum* ecclesiastico subest iudicio. Nomine vero causarum criminalium eae veniunt quae in delictis versantur. His statutae poenae respondent et in iis infligendis continetur exercitium potestatis *coactivae*, quo completur potestas Ecclesiae Christi, utpote societatis perfectae. Iam de singulis dicere aggredimur.

SECTIO I.

De causis beneficialibus.

634. Ad beneficium generalissima quadam ratione spectant dominium sive plenum sive utile, in res quascumque ad illud pertinentes immobiles sive mobiles, obligationes et contractus

quilibet legitimi, qui circa easdem res fieri possunt, denique iura quaelibet quae ratione officii vel ratione praebendae clerico competere possunt. Ex his enim omnibus si qua oriatur controversia, haec vel directe, vel indirecte, mediate vel immediate ad beneficia revocatur.

635. Porro causae omnes quae ad beneficium spectant, vel pertinent ad eius proprietatem et possessionem acquirendam, vel ad eamdem retinendam, vel denique si per iniuriam fuerit amissa, recuperandam.

Tum quaedam addi possunt de legibus ecclesiasticis circa varias formas quibus Ecclesia bona temporalia acquirere vel amittere potest.

§ I. *De causa possessionis et proprietatis.*

(In Libro II. Decretalium Titulo XII.)

636. Causa possessionis est controversia iudicialis, in qua principaliter agitur de possessione rei, vel quasi possessione iuris, dum interim abstrahitur a controversia de dominio rei vel quasi dominio iuris. Iudicium quod exinde oritur dicitur *possessorium,* et pertinet ad possessionem vel *adipiscendam,* vel *retinendam,* vel *recuperandam.* Causa proprietatis vero est controversia in iudicium deducta in qua principaliter agitur de dominio, seu quasi dominio rei vel iuris a possessione distincti. Iudicium quod oritur dicitur *petitorium.*

637. Ut hoc rite intelligatur praemittendum est:

a) res a iurisconsultis alias dici *corporales,* idest quae aliquo sensu percipi possunt, alias *incorporales,* quae non sensu, sed intelligentia comprehenduntur et iure aliquo continentur, ut hereditas, usufructus, obligationes etc. Hinc fructus qui ex fundo percipiuntur corporales sunt; ipsum ius successionis, vel utendi et fruendi, vel ius obligationis incorporale est.

In iure sacro plura occurrunt incorporalia, ut ecclesiastica iurisdictio, ius parochiale etc.

b) Res corporales dividuntur in mobiles et immobiles.

c) Item in iure est alia rerum divisio, scilicet in *universales* et *singulares.* Res singularis dicitur corpus unitum et con-

nexum, itemque ius unicum. Res universalis ea appellatur quae complectitur plures res singulares ex quibus tamen totum aliquod existit. Universitas autem alia est *iuris*, alia est *hominis* prout a lege agnita est, vel non (1).

d) In proprietate distingui possunt: I. ius illud, quo nulla facta hypothesi iam secutae rei alicuius occupationis omnes omnino homines potestatem aeque habent rem a nullo adhuc occupatam sibi vindicandi eamque legitime acquirendi ac propriam efficiendi, ac eius fructibus, si habeat, utendi ac fruendi; II. ius rem ita acquisitam possidendi ac vi etiam adhibita defendendi; III. ius *in re* quod est ius proprietatis quatenus homini competit sine respectu ad certam personam, sed rei veluti inhaeret, ex quo oritur *actio realis;* IV. ius *ad rem* quod pertinet ad personam in personam aliam, quae aliquid dare vel facere tenetur, et ex hoc oritur *actio personalis.* Sic electio rite facta dat ius ad rem, quatenus qui ita est electus ius habet ut a superiore eius electio confirmetur. Electio vero confirmata, seposita peculiari aliqua lege, dat electo ius in re.

638. Species inter potissimas iuris *in re,* in primis *dominium* recensetur. Iamvero

a) *Dominium* est ius in re corporali quo quis omni modo de ea potest disponere, eamque sibi vindicare quemadmodum et quaecumque omnia emolumenta et fructus quae ex eadem percipi possunt. Ius dominii includit proinde etiam facultatem rem absumendi vel alienandi.

b) Dominium est vel nullo limite circumscriptum seu absolutum, vel circumscriptum seu limitatum. Item est vel *plenum,* vel *minus plenum* prout vel proprietatem simul et usumfructum, vel alterum dumtaxat ex duobus complectitur; et siquidem sola habeatur proprietas, dicitur *dominium directum,* si solus habeatur ususfructus dicitur *dominium utile.* Est *irrevocabile* quod habenti ita competit ut solum ex eius voluntate (praecisione facta a potestate altioris ordinis, qua dominium adimitur et transfertur, ex caussa publica) possit amitti; et *revocabile* si non est perpetuum ut ex. gr. dominium mariti in re dotali etc. (2).

(1) *Zallinger in h. t.*
(2) Zallinger De Caus. possess. § 148.

Est *putativum* cum habetur iustus titulus et bona fides. Est *civile,* si scilicet a lege firmetur, *naturale* autem quod in ipso iure naturae fundamentum agnoscit.

639. Iuvat hic discrimen innuere quod inter *iurisdictionem* et *dominium* intercedit. Quamvis enim plures cum Schmalzgruebes *(De caussa possess. n. 13)* dominium late acceptum distinguant in dominium *iurisdictionis* et dominium *proprietatis,* patet tamen ex utriusque notione alterum ab altero omnino differre. Primum enim est: *ius gubernandi, iudicandi, puniendi, protegendi subditos, ab eisque emolumenta exigendi;* alterum vero: *ius reale disponendi de re aliqua tamquam sua* (Schmalzgr. ib.). Iurisdictio igitur ad publicum regimen, dominium ad proprietatem spectat.

640. In iudicio petitorio, remedium iuris ut dicitur, seu actio quae conceditur, est diversa pro diversitate causae de qua in iudicio est controversia. Si res cuius proprietas asseritur, est corporea ac proinde veri dominii capax competit actori *rei vindicatio.* Si vero res est incorporea, cuius quasi dominium datur, ut ususfructus, servitus, iurisdictio ac generatim omnia iura, actio competit aequipollens rei vindicationi, potissimum confessoria et negatoria: *confessoria* datur adversus eum qui impedit usum huiusmodi iuris quod actor sibi proprium vindicat; *negatoria* competit domino rei adversus eum qui praetendit et utitur aliqua servitute in ipsa (1).

641. In rei vindicatione actor probare tenetur, rem quam petit esse suam, et eam a reo contra quem agit possideri, vel saltem dolo desiisse ab ipso possideri. In actione confessoria probare debet ius, de quo controvertitur, sibi competere, eiusque usum iniuria ab alio impediri. In actione denique negatoria nihil per se probare tenetur, sed onus probandi incumbit adversario, ut evincat se iure *activam servitutem* in rem illam habere (2).

Haec quidem si de actione reali sermo sit; si vero solum agatur *de iure ad rem,* tunc actiones oriuntur personales, seu

(1) Schmalzgr. in h. t. nn. 41 sqq.

(2) *Servitus* est: *ius quod habemus in re alterius* (activa) *ut is patiatur* (passiva) *aliquid in sua fieri aut non faciat aliquid in re propria.* Ex lege *Quoties* 15 § fin. D. De Servit. (VIII. 1).

ut dicuntur *condictiones*. Porro actione personali actor in iudicio petitorio, ut probet aliquid sibi deberi, probare debet etiam titulum specificum unde oritur obligatio, ex. gr. venditionem, locationem, electionem etc.

642. Remedium vero iuris pro iudicio *possessorio* continetur *interdictis* adipiscendae, retinendae et recuperandae possessionis. Hi enim totidem modi sunt quibus actor potest obtinere possessionem rei quam prius non habuit, vel eam retinere quam habet, postquam affecta est vitio litigiosi, vel denique eam recuperare quam amisit. Remedia huiusmodi, interdicta vocantur, quia per ea, *Praetor* aliquid fieri iubebat inter partes vel vetabat circa possessionem.

643. Ex alias dictis de fori competentia, satis apparet quid tenendum sit in controversia, coram quo iudice, ecclesiastico scilicet an saeculari, instituendum sit iudicium possessorium de re spirituali vel quasi spirituali. Item ex dictis ibidem de continentia causarum, liquet causam possessionis et proprietatis apud eumdem iudicem tractandam esse.

§ II. *De restitutione spoliatorum.*

(Libro II. Decretalium Tit. XIII.)

644. Ad iudicium possessorium, tamquam species ex praecipuis, revocatur restitutio spoliatorum; plura tamen sibi propria habet a ceteris possessoriis iudiciis diversa. Dici potest restitutio spoliatorum, seu actio quae in id competit, remedium recuperandae possessionis, ad hoc ut ante quamcumque aliam iudicialem actionem, quis in pristinam possessionem rei immobilis restituatur, a qua iniuste deiectus fuit. Hinc patet cur huiusmodi restitutio spoliatorum dicatur *interdictum unde vi;* scilicet ut possessor in eam possessionem vel quasi possessionem restituatur, unde vi deiectus fuit. Spolium autem est violenta vel clandestina privatio possessionis, sive facta sit a privato, sive etiam ab iudice iuris ordine non servato.

645. De restitutione spoliatorum haec breviter nobis innuenda veniunt:

a) spoliatus regulariter restitui debet ante omnia et plene, modo probet spoliationem;

b) interdictum *unde vi* est contra spoliatorem et conceditur illi qui vi deiectus aut spoliatus fuit possessione rei immobilis. Extenditur tamen ad eius heredes et successores. Illud quod requiritur est ut actor probet se revera possedisse et vi fuisse possessione privatum. Verum latius accipitur in iure canonico et datur etiam contra tertium ex *can. Redintegranda 3. cau. 3. q. 1. et cap. Saepe contingit 18. h. t.* (1).

c) Item competit colono, locatario, emphyteutae, etc. si ad longum tempus, decennio saltem, huiusmodi contractum inierit: sed si tempus est brevius tunc remedio adhibito extraordinario colonus in possessionem restitui potest ab iudice; sed interdictum unde vi non ipsi, sed domino competit;

d) competit etiam iis qui licet non sint spoliati absolute possessione, privantur tamen plena libertate possidendi;

e) non tamen locum habet, si laicus sibi arroget ius spirituale quod eidem nullatenus competit, licet eo iniuste fuerit ab alio spoliatus;

f) ratione ipsius naturalis honestatis denegatur huiusmodi interdictum liberis contra parentes, nisi armata vi parentes contra liberos usi fuerint (2).

§ III. *De aliis quae ad civiles causas clericorum referuntur.*

646. Coronidis gratia potissima complectimur, quae ad varios modos spectant, quibus Ecclesia bona temporalia acquirere potest, quaeque veluti materia sunt ipsarum causarum; prout circa ea vel de possessione vel de proprietate controversia movetur.

647. Iam vero duplex est modus quo Ecclesia, sicuti quaelibet alia societas, bona temporalia acquirit; scilicet *per actus inter vivos*, et *per actus ultimae voluntatis*. Actus porro inter vivos vel ad *contractus*, vel ad *donationes* revocantur.

648. Ad notionem contractus rite constituendam, praemittenda est notio *pacti*. Pactum autem in genere est: *duorum plu-*

(1) *Gonzalez Tellez* Comm. in h. c. n. 4.
(2) Schmalzgr. in h. t. nn. 13. 14.

riumve in idem placitum consensus (L. 1. D. h. t.). Pactum in specie est: *Conventio ultro citroque habita ex se non pariens actionem seu obligationem civilem, licet obligationem naturalem pariat.* Contractus vero in genere, est: *conventio ultro citroque habita, praeter naturalem obligationem, pariens per se actionem civilem.* — *Obligatio* autem est in genere spectata: *iuris vinculum quo necessitate adstringimur alicuius rei solvendae vel faciendae vel omittendae.*

649. Pactum aliud est *nudum*, aliud *non nudum*. Pactum nudum illud est quod in sola conventione et consensu paciscentium consistit, neque *causam* habet, (hoc est non requirit dationem vel traditionem, aut factum), neque iuris assistentiam, quatenus nullam dat *civilem actionem* paciscenti, qua stare possit in iudicio contra alterum. Non nudum (vulgo *vestitum* vocant) illud est quod praeter conventionum verba seu consensum, habet iuris adminiculum, scilicet causam et iuris adsistentiam. Alia pacti divisio qua est vel expressum vel tacitum ex verbis satis intelligitur.

650. In omni pacto, uti et in omni contractu, consensus est essentialiter necessarius, et debet esse *verus, liber, sufficienter manifestatus.* Omnes autem possunt inire pactum vel contractum, qui ponere valent liberum consensum eumque satis manifestare, nisi positivo iure canonico vel civili prohibeantur. Huc spectant ecclesiasticae leges, ex. gr. superius memoratae de alienatione bonorum ecclesiasticorum (437), vel de voto religiosae paupertatis (383. sqq.), et in iure Romano ea quae spectabant ad servos vel quae etiam nunc vigent quoad civiliter interdictos, itemque ad pupillos, minores, filios familias etc. (1).

651. Pactis dimissis, ad *contractus* quod spectat distinguendum in primis est inter contractum, et quasi contractum. Contractus simpliciter ille dicitur qui verum et expressum habet partium consensum; quasi contractus vero ille appellatur qui habet consensum partium implicitum vel praesumptum. Huc recidit alia distinctio in contractus *explicitos* et *implicitos* seu *interpretativos.* Quasi contractus fundantur in factis honestis et utilibus, propter quae quis ex aequitate obligatur, et licet ex-

(1) Zallinger, de pact. § 543.

presse non consenserit iure praesumitur consensisse. Si ex. gr. tutor quasi contrahit cum pupillo, quatenus *tutor* rite officio suo fungatur et pupillus eum reddat indemnem. Ex quo fluit, quasi contractum per se esse gratuitum sola servata damnorum compensatione.

652. In quolibet contractu distinguenda sunt multiplicis generis elementa, scilicet:

a) *substantialia,* et ea sunt sine quibus perit contractus essentia vel generica vel specifica: sic consensus in quolibet contractu, merx in emptione et venditione etc.;

b) *naturalia,* quae nempe licet per se pacto vel contractui insint, possunt tamen per pactum speciale inter contrahentes tolli salva substantia contractus. Sic venditor per se obligatur de evictione, hoc est ille qui emit potest ad ipsum recurrere, si res vendita ab aliquo tertio tamquam propria vindicetur, ut venditor pretium restituat et reparet damnum; et hoc per se quamvis non exprimatur, semper implicitum continetur in qualibet emptione venditione. Attamen per pactum speciale posset venditor ab hac obligatione erga emptorem liberari;

c) *solemnia,* quae nempe ad iuridicam formam statutam a lege in contractibus pertinent. Quae quidem si formam substantialem, seu valorem contractus respiciunt dicuntur *intrinseca,* si vero solum liceitatem iuridicam *extrinseca* (1);

d) *accidentalia* quae scilicet pro libitu contrahentium esse vel abesse possunt in contractu inito.

653. Contractus alii sunt *nominati*, alii *innominati.* Nominati dicuntur qui nomen habent certum in iure, ut commodatum, depositum, societas etc. Innominati vero qui nomen speciale ex variis omnino modis quibus fieri possunt habere non valent; hinc comprehenduntur quadruplici illa classe *do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des.* Item sunt vel *consensuales* vel *reales* prout solo contrahentium consensu, vel traditione rei sequuta conficiuntur. Denique *bilaterales* seu *synallagmatici* et *unilaterales.* Contractus bilateralis obligat utramque

(1) Sic post Conc. Trid. praesentia parochi *ad valorem* spectat matrimonii, proclamationes vero solum ad liceitatem iuridicam ecclesiasticam pertinent.

partem *ex eodem titulo:* unilateralis obligat unam partem dumtaxat. Aliae partitiones exquisitiores contractuum, quibus dicuntur *iuris civilis et iuris gentium, stricti iuris et bonae fidei, onerosi et gratuiti* etc. ab auctoribus recensentur, quas hic innuisse sufficiat (1).

654. Diximus quosdam contractus consensuales ideo appellari quod in sola partium conventione, seu consensu consistant. Porro

a) Ad contractus consensuales revocantur: *emptio venditio, locatio conductio, emphyteusis, societas, mandatum.*

b) Emptio venditio est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda. Ad emptionem venditionem referuntur ea quae spectant ad rationem pretii, eiusque conditiones, ad modum reparandi laesiones quae in ea obtineant, ad obligationem quae inde oritur, ad pacta specialia quae quandoque eam comitantur, *ad actiones* denique quae ex ea oriuntur (2).

c) Locatio conductio est contractus consensualis de usu rei ad certum tempus, aut de opera illiberali, pro certa mercede praestanda. Dicitur de opera illiberali, nam quae *liberalis* est, seu ingenio producitur, non tam mercedem recipit, quam *honorarium.*

d) Emphyteusis est contractus consensualis de dominio utili praedii, in perpetuum vel ad tempus non modicum, alteri concedendo, pro certo annuo canone in agnitionem dominii directi ab emphyteuta praestando.

e) Societas est contractus consensualis de re vel operis communi possessione vel actione, lucri faciendi causa communiter dividendi. De hac alias diximus (pag. 148).

f) Mandatum est contractus consensualis, quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum, gratis administrandum gerendumque suscipitur.

655. Ad contractus reales vero, qui scilicet a *rei traditione* substantiam capiunt, revocantur: *mutuum, commodatum, depositum, pignus.*

Mutuum est contractus realis quo res fungibilis ita alicui

(1) *Pichler de pact. nn. 16 sqq.*
(2) De his DD. ad lib. III. Decr. tit. 17.

datur, ut eius fiat et postea res eadem in genere ab eo restituatur.

Commodatum est contractus realis, quo res non fungibilis ad certum tempus et usum gratis ita traditur ut finito usu eadem in specie restituatur.

Depositum est contractus realis quo aliquid alicui gratis custodiendum traditur, ut idem in specie reddatur ad deponentis arbitrium.

Pignus est contractus realis, quo res a debitore creditori traditur in securitatem crediti, ea lege ut soluto debito res in specie restituatur. Differt pignus ab hypotheca quia in hac res quidem conventione obligatur, non tamen traditur. Praeter pignus et hypothecam, huc etiam pertinet fideiussio; qua quis sese obligat ad solvendum debitum si debitor ipse non solvat (1).

656. Porro ex hactenus enumeratis contractuum speciebus, liquet eas omnes ad ius ecclesiasticum pertinere, quatenus ex iis circa temporalia Ecclesiae bona vel generatim iura, pro multiplici controversiarum ratione, *actiones civiles* seu pecuniae, oriri *in foro externo* possunt. Hac enim tantum ratione ad causas ecclesiasticas pertinent. Diversi enim generis sunt obligationes quae ex ipsis in *foro conscientiae* oriri possunt.

657. Quemadmodum Ecclesia temporalia bona recensitis hactenus modis acquirere, alienare, dispensare potest, ita ea, *donatione* legitime sibi vindicat. Est autem donatio quasi *doni datio*, seu liberalitas in alium nullo iure cogente collata. Donatio alia est *causa mortis*, alia *inter vivos*. Donatio causa mortis, nonnisi donantis morte sequuta efficax est; potest enim semper ab eo, quoad vivit, revocari; donatio inter vivos est regulariter, hoc est paucissimis casibus in iure exceptis, irrevocabilis. Haec est vel *realis* vel *conventionalis;* realis insuper alia est donatio proprie dicta, quae ex mera liberalitate procedit; alia *remuneratoria,* quae ob merita fit, alia denique *reciproca* quando fit ex utraque parte.

Simul cum donatione connectitur in iure *transactio* quae definitur: Conventa decisio rei dubiae, vel controversae, aliquo dato et aliquo retento. Cum igitur in transactione aliquid reci-

(1) *Ios. Ferrari Sum. Inst. cann. libb. II. tit. 17. 18.*

proce donetur, hinc ad donationem etiam revocatur quadantenus, licet contractum non excludat. Rursus cum transactio ad id maxime fiat, ut lites quo magis fieri potest devitentur; facile intelligitur cur in sacris canonibus pluribus commendetur tamquam salutare remedium, nisi tamen de iis agatur in quibus vel ab ipsa rei natura respuatur, vel Ecclesia notabile damnum inde perciperet.

658. Denique inter modos quibus Ecclesia acquirit bona temporalia, recensentur actus ultimae voluntatis, scilicet testamentum et legatum.

a) Testamentum est ultima voluntas, legitime declarata, de eo quod quis post mortem suam de rebus suis fieri velit. Testamentum multiplices habet divisiones prout est *scriptum* et *nuncupativum, solemne* et *non solemne, publicum* et *iudiciale, ad pias causas* et *commune, privilegiatum* et *non privilegiatum.*

b) Legatum est donatio quaedam a defuncto relicta, et ab herede praestanda.

659. Haud sane nos latet, nos in his causis beneficialibus ita esse versatos ut plura vix innuere, plura etiam omittere necesse fuerit. Brevis enim haec complexio hunc sibi scopum praestituit, ut qui dein ad Decretalium libros evolvendos accedant perfectioremque iuris notitiam exquirant, non omnino hospites ac peregrinos in iis sese inveniant.

SECTIO II.

De causis matrimonialibus.

§ I. *Notiones praeviae ad tractationem causarum matrimonialium.*

660. Causae matrimoniales ex catholica doctrina *(Conc. Trid. Sess. XXIV. can. 12)* pertinent exclusive ad Ecclesiam. Agitur enim de matrimonio christiano, quod fuit a Christo elevatum ad dignitatem sacramenti, quale est inter baptizatos si contrahant valide (1).

661. Matrimonium considerari potest sub triplici respectu; scilicet, ut contractus *naturalis,* ut contractus *civilis,* ut *sacra-*

(1) Cfr. *Epistolam Pii IX ad regem Sardiniae anno 1852.*

mentum. Verum tres huiusmodi respectus in matrimonio christiano, non indicant nisi eius relationes ad varia obiecta, et absurde spectarentur tamquam constituentes tres species contractus diversas et separabiles.

662. Cum de matrimonio fuse agatur tum in theologia dogmatica tum in theologia morali, hic nobis dumtaxat considerandum venit matrimonium quatenus obiectum est iudicii ecclesiastici, atque etiam hoc pacto, ut in hac complexione potissima innuenda nobis sint, reliqua exquisitiora praetermittere fas sit.

663. Porro matrimonium, prout obiectum est iudicii ecclesiastici, considerari potest:

a) ut *contrahendum,* ex obligatione orta per *sponsalia* rite inita. Huc pertinent *forma contrahendi, necessaria deliberatio, designatio certae personae, animus sese obligandi, mutua promissio, externa promissionis manifestatio,* quae omnia ad intrinsecam spectant sponsalium validitatem; itemque variae causae quibus possunt dissolvi ex ecclesiastica lege. Ex his enim omnibus controversiae multiplicis generis exurgere possunt circa sponsalia, quae ab ecclesiastico iudice sunt dirimendae.

b) Deinde spectari potest matrimonium ut iam *contractum,* idque duplici modo, prout consideratur vel ut *ratum* solummodo, vel ut etiam *consummatum.* Hinc vel agitur de dissolutione matrimonii *rati* et non *consummati* per auctoritatem Ecclesiae, hoc est summi Pontificis, vel de dissolutione matrimonii rati et consummati inter infideles ob conversionem unius ad fidem, iuxta modum ab Apostolo sancitum (I. Corinth. VII. 15); vel de *declaratione* nullitatis matrimonii rati et consummati, ob existens impedimentum dirimens, quando contractum fuit.

664. Impedimenta autem matrimonii distinguuntur in *dirimentia* quae matrimonium irritum efficiunt et *impedientia* quae illud illicitum reddunt. Dirimentia ex Ecclesiae doctrina et legibus continentur notis versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen;
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si clandestinus et impos;
Raptave sit mulier parti nec reddita tutae:
Haec facienda vetant connubia facta retractant.

Ubi tamen notandum est, impedimentum est, illud *clandestinitatis,* quod dicitur, vim habere tantum in iis locis ubi promulgatum est decretum concilii tridentini *(Sess. XIV. c. 1 de Ref. Matr.)* iuxta formam promulgationis omnino peculiarem ibidem statutam.

665. Ex istis impedimentis dirimentibus, quaedam matrimonium dirimunt ipso iure naturae, quaedam lege positiva divina, quaedam iure ecclesiastico. Porro in iisdem impedimentis, sicuti Ecclesia sola potestatem habet dispensandi, ita et hac potestate non eodem modo utitur.

666. Haec nobis abunde sufficiunt, iis etiam praesuppositis quae fusius in theologia tum dogmatica tum morali discipulis traduntur, ut ea breviter innuere possimus, quae spectant ad causas matrimoniales proprie dictas, quatenus peculiaris attenditur forma processus canonici sive agatur de matrimonii dissolutione, sive de sola separatione coniugum a cohabitatione et thoro.

§ II. *De modo canonice procedendi in causis matrimonialibus.*

667. Ad iudicium ecclesiasticum circa causas matrimoniales quod ad formam iuridicam eas pertractandi pertinet, in primis habetur celeberrima constitutio Benedicti XIV quae incipit *Dei miseratione 3 Novembris 1741;* quam tamquam normam adhuc sequuntur tribunalia ecclesiastica. Hinc si forte contra ipsam in conficiendis processibus, vel in testium examine, aliquid fuerit commissum, vel omissum, sanandi prius sunt huiusmodi defectus, ut procedi possit ad ulteriora.

668. Haec autem est series eorum, quae in ea constitutione continentur:

a) praemittitur, matrimonium iure tum naturali, tum divino indissolubile esse, et excessus devitari oportere, qui ex abusu oriuntur nimiae facilitatis in connubiorum dissolutione (§§ 1. 2);

b) huiusmodi abusus variis ex causis oriri, sed nominatim ex minus accurate servata forma procedendi, sive ex parte iudicum, sive ex parte eorum qui causam agunt tum apud iudicem primae instantiae, tum apud iudicem appellationis (§ 3);

c) hinc memorat Pontifex iam a se sollicitudinem impense adhibitam, ut causae matrimoniales iuxta sacrorum canonum praescriptum, ac nominatim iuxta tridentinae synodi decreta, rite a iudicibus ecclesiasticis tractarentur; ac insuper mandat ut causae matrimoniales nonnisi episcopis, vel his deficientibus, iudicibus synodalibus *per commissionem* delegentur (§ 4);

d) quod vero ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus servandum, statuit ut singulis dioecesibus, *defensor matrimoniorum* eligatur, cuius sit officium matrimonii validitatem tueri, idemque debeat semper iudicio adesse, iuramento praestito obeundi fideliter munus suum, et citari in omnibus actibus (§§ 5–7);

e) matrimonii defensor, si sententia data fuerit in prima instantia pro matrimonii controversi validitate, appellare ab ea non debet; si vero sententia data sit contra matrimonii validitatem, appellationem ab ea debet omnino interponere, vel adhaerens illi parti quae pugnabat pro validitate, vel ex officio (§ 8);

f) post unicam sententiam sive appellatum sit, sive non appellatum, etiam ob culpam partium vel defensoris matrimonii, nemini licet ex coniugibus ad alia vota transire absque polygamiae crimine, et poenis contra ipsum statutis (§ 9);

g) instituto iudicio appellationis, constitui quoque in eo debet, modo superius dicto et iisdem iuribus ac officiis, matrimonii defensor; qui, si iudex appellationis sit metropolitanus aut nuncius Sedis Apostolicae, aut episcopus vicinior, ab his erit deputandus; si vero iudex appellationis sit commissarius delegatus a Sede Apostolica (qui non habet proinde ordinariam iurisdictionem) et careat defensore matrimonii, eo uti debet defensore qui constitutus est ab Ordinario dioeceseos, in qua iudex delegatus causam cognoscit, etiamsi esset illa dioecesis in qua factum est iudicium primae instantiae (§ 10);

h) si in iudicio appellationis detur sententia conformis iudicio primae instantiae, pro matrimonii nullitate, licebit coniugibus novas nuptias contrahere, nisi alterutri, ob aliquod peculiare impedimentum vel legitimam causam, sit prohibitum. Attamen etiam post sententiam secundam conformem, semper ius maneat ac privilegium causarum matrimonialium, ut nunquam transeant *in rem iudicatam;* adeo ut si quid novi dete-

gatur, in controversiam iudicialem iterum possint revocari; quin imo defensor matrimonii possit appellationem interponere, quae appellatio suspendit executionem; idque fieri debet etiam in iudicio tertiae, et ulterioris instantiae (§ 11):

Subdit ea quae spectant ad honorarium solvendum ipsi defensori matrimonii (§ 12);

i) haec omnia servari debent in causis matrimonialibus, quae extra romanam curiam pertractantur. Quod vero spectat ad causas quae Romae disceptandae sunt, haec statuit Pontifex: « *Cum* « *earum cognitio in prima instantia ad S. R. Ecclesiae cardi-* « *nalem in praefata Urbe eiusque suburbiis et districtu Vica-* « *rium nostrum in spiritualibus pro tempore spectet mandamus* « *ac iubemus, ut omnia et singula quae in aliis causis extra* « *Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe* « *ut iudicium peragatur citato et audito defensore matrimonii* « *ab eodem cardinali Vicario deputato, aliaque ut supra, omnino* « *serventur. Tum etiam in aliis causis quae in prima instantia* « *ex consensu partium vel in secunda, per appellationem ad* « *Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia* « *Romam deferuntur: quas omnes iudicari volumus vel in Con-* « *gregatione S. R. Ecclesiae Cardinalium super interpretatione* « *et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii no-* « *stri auditorio, dummodo Nobis et Romano Pontifici pro tem-* « *pore iustis ex causis non videatur particularis congregatio* « *S. R. Ecclesiae Cardinalium vel Romanae Curiae praelato-* « *rum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate* « *agitabitur in dicta Congregatione S. R. Ecclesiae Cardina-* « *lium Concilii Tridentini interpretum, defensor matrimonii a* « *Cardinali praefecto eiusdem Congregationis; si vero in Pa-* « *latii nostri auditorio, ab auditore decano praefati tribunalis;* « *si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem* « *Congregationis digniore deputetur* » (§ 13);

k) causa hoc modo absoluta etiam in curia per unicam sententiam non censetur, ita ut liceat coniugibus aliud matrimonium inire, sed alterum debet institui iudicium appellationis ad instantiam defensoris matrimonii in recensitis tribunalibus respective; sed quoad congregationem concilii, in eadem congregatione; quoad congregàtionem particularem ab altera particulari

congregatione a Pontifice deputanda; quoad auditorium palatii Apostolici, vel ab aliis auditoribus *per turnum,* si non omnes interfuerunt primo iudicio, vel iterum ab omnibus si omnes interfuerunt primo iudicio, et nonnisi post duas sententias conformes pro matrimonii nullitate, contra quas nulla fuerit appellatio interposita, liceat coniugibus novum matrimonium inire (§ 14);

l) denique pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae a Romanis Pontificibus ut plurimum pro voto consultivo remittitur ad S. Congregationem Concilii vel particularem congregationem, statuit Pontifex, ut supplex libellus in quo dispensatio petitur, accurate proposita facti specie, et recensitis causis petendi, ad unum Summum Pontificem dirigatur; qui unus iudicare debet an illum reiiciat, vel pro examine et voto consultivo, ut dictum est, remittat, ita tamen ut postquam votum huiusmodi consultivum editum fuerit, nonnisi a Summo Pontifice res ipsa definiatur (§ 15). Sequuntur clausulae consuetae.

m) Ex hac rerum serie apparet, quinam sit statutus ordo canonice procedendi in causis matrimonialibus.

669. Nominatim vero cum in causis matrimonialibus agitur de impedimento impotentiae, *inspectio corporis* est adhibenda. Ad hoc animadvertendum est impotentiam triplicem recenseri, hoc est *perpetuam* vel *temporalem; antecedentem,* vel *subsequentem; absolutam* vel *relativam,* prout vel nunquam tolli potest, aut matrimonium praecessit, aut denique quoad omnes omnino mulieres vel viros respective locum habet, vel contra solum est ad tempus, aut matrimonium subsequuta est, aut solum existit respectu determinatae personae. Porro impedimentum dirimens impotentiae exurgit ex impotentia antecedente et perpetua, sive sit absoluta sive relativa. Discrimen est tantum in hoc quod pars laborans impotentia absoluta omnino a coniugio debet abstinere, dum contra pars laborans impotentia relativa declarata nullitate prioris coniugii, potest ad alia vota transire. Ad huiusmodi impotentiam evincendam, ex qua demonstretur matrimonium non fuisse consummatum, adhibetur tum physica corporum inspectio, tum testimonium iuratum, ut dicitur, *septimae manus,* ex quo praesumptio oritur de veritate dictorum ab ipsis coniugibus, qui *soli* possunt impugnare matrimonium ratione impotentiae. Dicitur autem testimonium iuratum septimae manus

illud, quod simul cum coniugibus proferunt septem consanguinei, tum ex parte viri tum ex parte mulieris, vel his deficientibus etiam vicini, qui affirmant se in ea esse sententia, matrimonium nunquam consummatum fuisse. Antiquitus multum fidebatur *signis virginitatis:* verum ex praesenti plurium etiam sapientiorum medicorum iudicio, signa huiusmodi satis dubia sunt. Hinc factum est ut etiam sacra congregatio concilii recentissime cum ageretur de hoc impedimento, ob invincibilem mulieris repugnantiam, ab inspectione corporis exigenda non semel abstinuerit (1). Quod vero pertinet ad modum causam pertractandi, ille est superius recensitus ex constitutione Benedicti XIV; scilicet, nonnisi duplici prolata *conformi sententia* matrimonii nullitas declarari potest; et insuper nunquam transit in rem iudicatam, etiamsi coniuges ita separati, vel alteruter, aliud matrimonium inierint.

670. Quamvis matrimonium per se sit indissolubile, potest tamen ratione minus perfecta dissolvi, scilicet non quoad *vinculum,* sed quoad *thorum* et *habitationem.* Qua de re peculiaris confici debet in curia episcopali processus, ut dein deveniri possit ad separationis huius imperfectae sententiam; pro qua causae sane gravissimae requiruntur.

671. Itaque causae omnes matrimoniales, quae ad ecclesiasticum forum pertinent, vel sunt de sponsalibus vel de nullitate matrimonii, vel de separatione quoad thorum, et habitationem. Hae enim *exclusive* pertinent ad iudices ecclesiasticos. Quae autem respiciunt dotem, alimenta aliosque civiles effectus matrimonii, pertinent ad forum per se saeculare, quamquam ex *continentia causae* Ecclesia eas sibi possit etiam vindicare.

Scholion

Ad dispensationes quod attinet ab impedimentis matrimonium dirementibus, pro utroque foro obtinendas, leges habentur tum pro earum impetratione tum pro earum executione.

Quae a Sede Apostolica conceduntur duplex praecipuum et ordinarium organum habent; scilicet Datariam et Poenitentia-

(1) *S. C. C. in Tarnovien. matrim. 4 Febr. 1874.*

riam. Dataria dat dispensationes pro foro externo ab impedimentis publicis vel de facili publicandis. Poenitentiaria pro foro interno et pro impedimentis occultis. Sunt tamen quaedam exceptiones. In Dataria taxa aliqua imponitur, in Poenitentiaria gratis omnia conceduntur. Hinc quandoque pro pauperibus etiam in foro externo adhibetur.

Poenitentiariae tribunal non cessat morte Pontificis, Datariae vero tribunal desinit. Formulas pro petendis dispensationibus ab utroque, passim apud theologiae moralis vel compendiarios scriptores reperies.

Dispensationis executio episcopo committitur a Dataria, confessario vero et plerumque in actu confessionis facienda, a Poenitentiaria.

Cf. Pyrrhum Corradum, *Praxis Dispensationum Apostolicarum* lib. VII et VIII. – Giovine, *De Dispensationibus matrimonialibus Consultationes canonicae.* – Nominatim vero confer Feije, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus, edit. 3* Lovanii 1885.

SECTIO III.

De causis criminalibus clericorum.

672. Quemadmodum systema legum habetur quo Ecclesia ad actum reducit potestatem suam legiferam et iudiciariam, ita debet haberi legum systema quo exercitium potestatis coactivae ecclesiasticae exhibetur. Quare cum hactenus dixerimus, quid Ecclesia fecerit quoad potestatem legiferam et iudiciariam, quo pertinent tres Institutionum libri *de personis, de rebus et de iudiciis;* superest ut aliquid breviter dicamus de exercitio potestatis coactivae ad quam refertur tractatio de *delictis* et *poenis.*

673. Cum haec pars obiter dumtaxat a nobis sit attingenda, eam praenotionis instar connectimus tamquam materiam cum ultima sectione huius partis specialis libri tertii de iudiciis, quatenus scilicet materia est causarum *criminalium.*

674. Etenim reus damnatus in iudicio criminali, poena mulctatur. At vero *in actu* infligendae poenae crimini proportionatae, constituitur exercitium potestatis *coactivae,* sicuti in determinanda

eadem poena pro qualitate criminis, exercitium continetur potestatis iudiciariae *criminalis*. Hinc veluti materia causarum criminalium spectari debent delicta, quibus respondent statutae a iure poenae.

Deinde aliquid dicendum est de processu criminali ecclesiastico et multiplici eius forma.

§ I. *De delictis et poenis.*

675. Cum de delictis agitur in iure ecclesiastico, vulgatissima est ac communis eorum partitio, qua alia dicuntur *mere ecclesiastica,* alia *mere civilia,* alia denique *mixta.* Mere ecclesiastica ea sunt quae Ecclesiae formaliter, qua determinata societas est, opponuntur: mere civilia quae societatem civilem formaliter consideratam eiusque iura pessumdant, mixta denique quae simul relationem dicunt ad utramque societatem. Revocari autem hic debet notio delicti seu criminis ac poenae quae dari mos est in iure ecclesiastico publico, ubi agitur de potestate Ecclesiae coactiva. Dicunt enim delictum seu crimen esse *actionem vel iniustam omissionem auctori suo imputabilem, quae ordinem socialem turbat:* Poenam autem esse *malum passionis aut privationis, delicti causa, etiam in invitos auctoritate publica inflictum, ut omnes a perturbando societatis ordine deterreantur.* Hinc patet quidnam discriminis existat inter *peccatum,* prout est legis violatio quocumque modo, et *crimen* proprie dictum.

676. Ex hac statuta partitione sequitur

a) inter delicta mere ecclesiastica iure recenseri, apostasiam a fide, haeresim, schisma, simoniam, profanationem sacramentorum, violationem sigilli sacramentalis, omissionem paschalis communionis vel alterius ecclesiasticae gravis praescriptionis etc. Haec enim omnia Ecclesiam, prout societas talis est, si sint externa (de internis enim Ecclesia non iudicat), graviter perturbant, proindeque iure ab ea puniuntur;

b) *mere civilia* habentur crimina, homicidii, furti, rapinae, falsi, calumniae, iisque similia. Quamvis enim haec si a clericis fiant, pertineant *ratione personae* ad ecclesiasticum forum, spectata tamen in se, iura laedunt cuiuslibet societatis etiam naturalis;

c) denique *mixta crimina* habentur sacrilegium, periurium, blasphemia non haereticalis, sortilegium, delicta contra bonos mores, usurae, aliaque eiusdem generis. Ratio est quia his criminibus utraque societas licet diversa ratione, directe impetitur.

677. Cum de ratione specifica horum criminum fuse in morali theologia disseratur, licet in ordine ad conscientiam et internum forum; alia vero ex parte hic dumtaxat a nobis recenseatur, prout spectari possunt veluti materia causarum criminalium, hinc contenti erimus brevissima uniuscuiusque adumbratione. Itaque

a) apostasia est *defectio a fide vel religione vel ordine suscepto,* prout vel christianus ad iudaismum aut idololatriam deflectit ac proinde universam christianam deserit religionem; vel regularis absque debita facultate a claustris recedit, vel denique clericus absque legitima facultate laicus fit, matrimonium attentat etc. Quamvis autem catholici qui ad haeresim deflectunt iure *apostatae* dici possint, quia tamen non omnem omnino fidem deserunt, sed nonnullos dumtaxat articulos negant, hinc sub ea ratione ab apostatis recensitis differunt;

b) haeresis est *error voluntarius intellectus cum pertinacia coniunctus, contra aliquam veritatem fidei catholicae, in eo qui fidem suscepit.* Quibus verbis manifeste excluditur *innoxia ignorantia* et *bona fides.* Porro distingui debet inter haeresim eiusque *suspicionem* quae esse potest *levis, vehemens, violenta.* Haec passim usuveniunt in causis de haeresi, maxime apud s. tribunal Inquisitionis;

c) ad haeresim revocantur etiam societates illae quae *secretae* dicuntur;

d) item huc pertinent etiam vetita librorum quorumdam lectio, nec non interdicta cum haereticis communicatio potissimum in rebus sacris;

e) schisma est *divisio ab Ecclesiae catholicae capite eiusque communione.* Liquet autem schisma per se ab haeresi differre, licet diutius ab ea immune esse nequeat;

f) simonia est *studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali adnexum.* Distinguitur *in mentalem, conventionalem, et realem,* prout pactum non habetur, vel vicissim habetur quidem non tamen adhuc ad

executionem est deductum, vel denique et pactum habetur et utrinque ad executionem demandatur. Peculiaris vero habetur simoniae species in beneficiis, quae dicitur *confidentialis;* cuius species recensetur *accessus, ingressus* et *regressus.*

g) Quid vero sit profanatio sacramentorum, violatio sigilli sacramentalis etc. facile per se intelligitur iis adscitis quae in theologia morali de iis fuse traduntur.

678. Quod vero spectat ad delicta civilia, facile potest res expediri. Itaque

a) homicidium est *hominis occisio ab homine facta.* Sed de hoc satis diximus agentes de irregularitatibus. Ad homicidium reducitur tum crimen abortus, tum duellum;

b) furtum est *ablatio rei alienae invito domino.* Patet autem furtum committi, sive res ipsa, sive eius usus aut possessio auferatur, invito rationabiliter domino;

c) *falsi crimen* tunc habetur, *cum quis dicto vel facto vel scripto vel usu, animo corrumpendae veritatis, ad decipiendum alium, aliquid committit;*

d) rapina est *ablatio rei alienae vi etiam adhibita:* hoc est *furtum violentum;*

e) denique nominatim ad delicta civilia pertinet, gravissimum laesae maiestatis crimen, quo quis contra vitam, dignitatem, seu potestatem facit principis, seu alterius cui princeps talem concesserit potestatem. Fit autem *conspiratione, coniuratione, rebellione, seditione, perduellione,* etc.

679. Demum ceu mixta crimina habentur, ex allata ratione

a) sacrilegium quod est *violatio personae, rei aut loci Deo sacri;* hinc sacrilegium est vel *personale,* vel *reale,* vel *locale,* prout persona, vel res vel locus sacer violatur;

b) periurium, seu *scienter facta Dei invocatio ad testimonium falsitatis;*

c) blasphemia, seu *verbum contumeliosum in Deum, eiusque sanctos prolatum.* Porro blasphemia, si insuper errorem exprimat contra fidem, *haereticalis* dicitur, et sub hoc respectu ad haeresim revocatur;

d) sortilegium, seu *divinatio per sortes aut falsa signa aut communicationem cum daemone ad futura vel occulta cogno-*

scenda. Huc nostris maxime temporibus pertinet multiplex *spiritismi,* prout vocatur, species (1);

e) delicta contra bonos mores, quae scilicet ea omnia nefanda scelera complectuntur de quibus agitur in theologia morali ad sextum decalogi praeceptum;

f) denique huc etiam revocantur usurae, quatenus ex *mutuo* formaliter ut tale est, aliquid a debitore ultra sortem exigitur.

680. Criminibus ita breviter recensitis, pauca de poenis generatim subiicimus.

I. Sicuti fusius in iure publico ecclesiastico evolvitur (2) ubi agitur de Ecclesiae potestate coactiva, liquet

a) poenam esse medium ad conservationem ordinis;

b) ius poenale originem habere ex possibilitate criminis, unde necessitas exurgit tuendi socialem ordinem; fundamentum vero eiusdem situm esse in iure legitimo conservationis socialis; finem denique iuris poenalis esse assecutionem ipsius conservationis: ut enim docet S. Thomas *(1.-2. q. 92. a. 2. corp.),* potestas coactiva infligendo poenas socialem ordinem servat.

II. Ex ipsa poenae notione, illud etiam sequitur, *materiam, qualitatem* et *proportionem poenarum* desumi oportere ex statuta necessitate tuendi socialem ordinem. Hinc

a) *negative* excluduntur poenae vel *insufficientes defectu,* vel *excessu inutiles* nisi forte *ad terrorem* ob gravissimas causas aliqua ex his perraro esset adhibenda;

b) *positive* vero systema poenale est maxima ex parte relativum, pro maiori scilicet minorive periculo vel gravitate adiunctorum; ut ex. gr. tempore belli, obsidionis, etc. Huc quoque spectant quoad determinatas personas circumstantiae, quae dicuntur *aggravantes,* vel contra *attenuantes.*

III. Quod vero spectat ad conditiones poenarum, hae nominatim esse debent *certae,* hoc est, quoad minimum fieri potest, arbitrio relictae, saltem in sua *specie,* et *inevitabiles,* ut sint efficax ordinis tutela. Hoc tamen non impedit ius *summi principis* concedendi aliquando veniam; licet huius quoque prudens exercitium esse debeat.

(1) De his late disseruit nostra hac aetate Bizouard, *Des rapports de l'homme avec le Démon. Voll. 6.*

(2) Cf. *Tarquini op. cit. nn. 22. sqq.*

681. Si vero nominatim, haec quae modo diximus, Ecclesiae applicentur, dicendum est:

I. Si natura ac fundamentum spectetur potestatis coactivae, qua pollet Ecclesia, eadem principia, quibus talis potestas cuilibet perfectae societati asseritur, valere etiam quoad Ecclesiam.

II. Imo cum Ecclesia sit societas, non solum perfecta, sed insuper suprema, et ius proinde habeat in iis quae spectant ad suum finem, utendi societate inferiori, scilicet civili; potest quae severiora sunt in systemate poenali, non *immediate per se,* sed *mediate* per societatem civilem exsequi.

II. Hoc tamen adeo non tollit plenum ius, ut illud imo summopere affirmet.

IV. Si vero generatim quaeratur *de amplitudine systematis poenalis ecclesiastici,* haec statui posse videntur:

a) quamvis Ecclesia quippe societas perfecta est, omnia iura habeat, quae perfectae societati competunt, et licet societas sit maxime spiritualis, mediis etiam ac praesidiis materialibus uti possit ac debeat; quia tamen societas est *sui generis;* iis etiam modo sibi unice proprio utatur necesse est. Hinc

b) cum poenae distingui possint in *medicinales* et *vindicativas,* itemque in *spirituales* et *materiales,* sequitur earum usum ac delectum ab Ecclesiae fine esse desumendum;

c) cum igitur Ecclesiae finis sit salus animarum aeterna, etiam in poenis materialibus quibus plectit delinquentes, id potissimum curat, ut eorum salutem obtineat. Hinc poenae ecclesiasticae, etiam materiales, sunt *medicinales* saltem quoad fieri potest; tendunt scilicet ad emendationem rei. Hoc tamen non excludit, *primo* finem *praecipuum* poenarum esse conservationem ipsius Ecclesiae; et *secundo,* si unquam, ob maxime peculiaria adiuncta, Ecclesiae bonum requireret mortem ipsius delinquentis, huiusmodi poenam infligi haud posse;

d) quare antequam Ecclesia ad poenarum materialium applicationem deveniat praemittit monitiones, censuras ecclesiasticas, hoc est, excommunicationem, suspensiones, interdicta aliasque poenas spirituales, iisque haud sufficientibus, materiales etiam adhibet, uti ex. gr. mulctas pecuniarias, carcerem, quin et poenas corporaliter afflictivas;

e) si ille qui deliquit resipiscat, tollit vel saltem minuit ma-

xima ex parte poenas ipsas, nisi obstet peculiaris omnino ratio pravitatis aut scandali;

f) insuper eo ipso quod Ecclesia *mater* eorum etiam est quos plectit, potius erga benignitatem quam severitatem sese propensam exhibet. Hinc si comparetur Ecclesiae systema poenale cum systemate poenali societatis civilis, in serie temporum, pro eodem *stadio historico* semper reperire est in systemate poenali Ecclesiae maiorem adesse erga sontes benignitatem;

g) denique quoad qualitatem poenarum materialium quae ab Ecclesia adhibentur, certum in primis omnibus est ac exploratum ex ipsis ecclesiasticis legibus Ecclesiam posse eas omnes infligere quae nec mortem nec mutilationem, nec generatim sanguinis effusionem includunt;

h) at vero si recte loqui velimus, hoc ostendit quidem ut maximum concedamus, exercitium *historicum* iuris poenalis ecclesiastici; verum ex principiis superius statutis de fundamento iuris poenalis omnino sequitur, nullam esse poenam, quae, si opus sit, ab Ecclesia infligi non possit; sive ea sit *privationis,* sive sit *afflictiva,* haud excepta ipsa capitis poena. Sed de his fuse disseritur in iure publico.

682. Ad poenarum ecclesiasticarum partitionem, ea quoque pertinet, qua aliae sunt:

a) *ordinariae* vel *a iure* latae, hoc est in sua individua ratione, pro tali crimine, a lege statutae; vel *extraordinariae* seu *ab homine,* quatenus per mandatum transitorium, aut ex iudicis determinatione infliguntur, unde et arbitrariae vocantur. Item

b) aliae sunt *latae,* aliae *ferendae sententiae,* quod potissimum valet pro poenis spiritualibus; prout in eas quis incidit statim ac delictum patrat vel iudicis sententia requiritur. Animadvertimus tamen etiam, quoad *forum externum* requiri plerumque sententiam saltem *declaratoriam criminis.*

c) De partitione vero poenarum ecclesiasticarum in *spirituales* et *temporales* superius diximus: liquet autem ad spirituales poenas pertinere, praeter censuras proprie dictas, inhabilitatem ad officia vel beneficia, et eorumdem privationem; item depositionem, degradationem, infamiam etc.: ad temporales vero, mulctas pecuniarias, mancipationem carceribus, exilium, ieiunia, verbera, tormenta, atque mortem ipsam.

683. Cum igitur processus criminalis adhibeatur ad hoc, ut secundum iustitiae normam, debitae poenae pro admissis criminibus infligantur; apparet cur diximus, delicta et poenas materiam veluti eiusdem esse. Superest igitur ut de ipso criminali processu brevissime aliquid dicamus.

§ II. *De processu criminali ecclesiastico.*

684. Processus criminalis ecclesiasticus est vel ordinarius vel extraordinarius. Est *ordinarius* quando omnes servantur iuris solemnitates, *extraordinarius* cum, substantialibus dumtaxat servatis, reliqua legitima ex causa omittuntur.

685. Praeter ea quae in criminali processu ordinario communia habentur cum quolibet alio iudicio ecclesiastico, de qua re satis diximus in prima parte huius libri (Tit. IV seqq.), haec animadvertenda sunt:

a) in criminali processu adhiberi posse vel *accusationem*, vel *denuntiationem*, vel *inquisitionem* (1). Proceditur per accusationem, si iudex reum citat ob accusationem proprie dictam, eidem intentatam ad *publicam vindictam*, ob delictum commissum. Dicitur ad publicam vindictam, quia si quis in accusatione persequetur satisfactionem pro damnis quae ex patrato delicto obvenerunt, actio non esset *criminalis* sed *civilis*, seu ut dicitur, constitueretur *pars civilis* in eo iudicio. Hoc patet ex poenarum fine qui, ut diximus, est conservatio socialis ordinis.

b) Proceditur per viam denuntiationis, cum aliquis manifestat superiori delictum ab alio patratum, qui tamen onus in se suscipiat illud probandi sed hoc aliis remittit. Hinc patet discrimen inter accusatorem et denuntiatorem. Accusator enim in se onus suscipit probandi, denuntiator non item: loquimur autem de *denuntiatione iudiciali*, prout differt a *denuntiatione fraterna*, ad quam refertur praeceptum evangelicum fraternae correctionis. Per denuntiationem igitur, iudex veluti excitatur, ut iis mediis adhibitis, quae ei rite praesto sunt *inquirat* utrum crimen revera existat nec ne. Hinc vix differt a tertio modo scilicet *inquisitionis*. Etenim

(1) Cf. *tit. 1. libr. V. Decret. et ibi DD.*

c) proceditur per viam inquisitionis, cum iudex vel ex indiciis, suspicionibus, coniecturis, vel ex iam praeexistente aliqua infamia inquirit, vel *generatim* vel *speciatim* in mores et vitam alicuius, ut deprehendat an is crimen illud commiserit.

d) Porro circa triplicem hunc modum, peculiarem tradunt pro diversis casibus normam ecclesiasticae leges, quin tamen in hac brevi complexione opus sit eam enucleatius proponere (1).

686. Quod vero spectat ad seriem ipsam criminalis processus ordinarii, ea, ut diximus, non differt a forma superius proposita (2).

687. Si vero iudicium criminale sit extraordinarium seu summarium, tunc omissis iis, quae substantialia non sunt, solum inspicitur facti veritas, ut si de ea constet, poena infligatur. Forma tamen iudicialis in *substantialibus* adhibetur (3). Ad iudicium summarium referri etiam debet illud, quod vocant, *ex notorio;* quando scilicet crimen omnino notorium est, ut factum et ut delictum; potissimum vero, si ut dicitur, reus *in flagranti* deprehendatur. Tunc enim patet vix aliud requiri, quam debitae poenae vel ordinariae vel extraordinariae applicationem.

688. Huc etiam revocari potest sententia, quae dicitur *ex informata conscientia* (4), qua potissimum post concilium tri-

(1) Huc spectat titulus I. libri V. Decretalium, *De accusationis inquisitionibus et denuntiationibus* et ibi DD.

(2) Triplex scilicet illud habetur stadium *inchoationis, prosecutionis, consummationis* de quo egimus in priore parte huius libri.

(3) Ad iudicii huius summarii formam pertinent recentiora quaedam Sedis Apostolicae Decreta, quae pro huius temporis peculiaribus adiunctis data sunt. Nominatim vero hic memoranda est *Instructio S. C. EE. et RR. ad Curias ecclesiasticas 11 Iunii 1880, circa formam processus oeconomici in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum* quam ad calcem referimus.

Legi hac de re potest recentissimum opus « *Praxis fori ecclesiastici ad praesentem Ecclesiae conditionem accommodata, auctore Pacifico Pierantonelli, Romae 1883* ». In eo eruditus auctor potiora diligenter collegit quae ad hanc materiam sive ex antiquis sive ex recentibus ecclesiasticis sanctionibus illustrandam habentur.

(4) Ad iudicium *ex informata conscientia* ab obiectis vindicandum, si eius insitam attingant honestatem, satis est aliis omissis vel solum animadvertere Ecclesiae auctoritate illud usurpari. Legi potest opusculum « *L'origine e l'equità delle sospensioni, ex informata conscientia. Bologna 1863* » ubi erudite ac invicte obiectiones cuiusdam anonymi diluuntur. Item Pierantonelli op. cit. pagg. 234-250.

dentinum (Sess. XIV. cap. 1 de Ref.), ob occultum crimen, episcopis quacumque ratione cognitum (excepto ut patet sacramentali sigillo), dummodo de eo moralem habeant certitudinem, possunt ii absque ullo iudicio aliquem interdicere ab ascensu ad ordines sacros vel suspendere ab ordinibus, officiis, dignitatibus, gradibus, et honoribus ecclesiasticis. Etenim, praeter has poenas, ut alias infligere possint, processus iudicialis ordinarius vel extraordinarius est adhibendus. Si ab eo, qui ita plectitur, recursus fiat ad Sedem Apostolicam, episcopus ab ea requisitus tenetur conscientiam suam aperire, seu rationes pandere ob quas ad poenam infligendam devenit. Recursus tamen non suspendit effectum, licet dari possit deinde restitutio in integrum, si ea locum habeat.

689. Aliquid etiam hic inserendum est de *purgatione canonica,* quae remedium est iuris, et tunc adhibetur cum nonnisi semiplena probatio haberi potest, alia vero ex parte opus est ut reus ab obiecti sibi criminis labe se ostendat immunem. De hac agitur tit. 34 lib. V. Decretalium. Porro *purgatio canonica* est *ostensio innocentiae ab obiecto crimine iuxta praescriptum ss. canonum facta (Schmalz. ibi n. 4).* Omisso triplici antiquiori modo quo fieri solebat *per iudicium S. Crucis, per iuramentum ad sepulcra vel reliquias SS. Martyrum, per susceptionem sacramenti Eucharistiae,* ut videre est apud eundem *(ib. nn. 5, 8),* purgatio canonica duplici constat iuramento: altero *de veritate* quod ab ipso qui accusatur emittitur, dum is, *tactis evangeliis,* se ab obiecto crimine alienum affirmat; altero *de credulitate,* quod ab aliis emittitur (*compurgatores* vocant) qui, tactis evangeliis, iurant fidem esse *purgatori* adhibendam. Numerus est varius pro ratione tum personae tum criminis; unde testimonium dicitur, *tertiae, quartae, septimae manus* etc. Purgatio canonica est remedium *subsidiarium,* hinc locum non habet in delicto notorio, vel quod plene probari aliunde potest. Hodie fere in desuetudinem abiit. Recens auctor Iosephus Ferrari *(op. cit. n. 281 cum notis)* optat ut in usum ab episcopis revocetur, sed est eius singularis opinio (1).

(1) V. etiam Pierantonelli op. cit. tit. 3. n. 19.

Alia prorsus ab hac, purgatio erat *vulgaris* (1), quae *iudicium Dei* vocabatur, ut in historia *medii aevi* saepe recurrit. Haec semper fuit *ab Ecclesia* improbata *(cap. 1, 2, 3. De purg. vulg.)* quum manifesto contineat temerariam de omnipotentia Dei praesumptionem ad tutandam innocentiam. Quaedam exempla, quae in actis SS. leguntur, ex peculiari Spiritus Sancti ductu explicanda sunt. Decreta vero quorumdam Conciliorum *particularium,* quae eam forte admiserunt ex illius aetatis praeiudiciis sunt repetenda.

690. Haec nobis prae ceteris de causis ecclesiasticis breviter attingenda visa sunt quibus nostris hisce Institutionibus Iuris ecclesiastici, Deo auspice, finem imponimus.

(1) V. in Decretalibus lib. V. tit. 35.



APPENDIX

ISTRUZIONE

alle curie ecclesiastiche sulle forme di procedimento economico nelle cause disciplinari e criminali dei chierici.

Li 11 Giugno 1880.

Questa S. Congregazione dei VV. e RR. maturamente considerando la presente condizione della Chiesa, quasi da per tutto impedita di spiegare l' esterna sua azione sulle materie e persone ecclesiastiche, e riflettendo anche al difetto dei mezzi atti all' organizzamento regolare delle Curie, è venuta nella determinazione di autorizzare espressamente gli Ordinarii a far uso delle forme più economiche nell' esercizio della loro disciplinare giurisdizione sui chierici. Ed affinchè resti salva ogni ragione della giustizia, e si mantenga la canonica regolarità ed uniformità dei procedimenti, reputa opportuno di emanare le seguenti norme a cui le Curie devono attenersi.

I.

L' Ordinario ha l' obbligo pastorale di curare la disciplina e correzione dei Chierici da sè dipendenti, vigilando sulla loro condotta, ed usando i rimedi canonici per antivenire, ed eliminare disordini fra i medesimi.

II.

Questi rimedi altri sono preventivi ed altri repressivi e medicinali. I primi sono diretti ad impedire che il male avvenga, a rimuovere gl' incentivi di scandalo, le occasioni volontarie, e le cause prossime a delinquere. I secondi hanno per iscopo richiamare i colpevoli a buon senno, e riparare le conseguenze del loro reato.

III.

Sta alla coscienziosa discrezione dell' Ordinario l' applicar questi rimedi a tenore delle prescrizioni canoniche secondo la gravità dei casi e delle circostanze.

INSTRUCTIO

de modo quo oeconomice procedere debent curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

Die 11 Iunii 1880.

Sacra haec EE. et RR. Congregatio, praesentis temporis conditione, in qua Ecclesia versatur, accurate perpensa, qua vix non ubique in res et personas ecclesiasticas externam suam actionem exercere impeditur, simulque et illud prae oculis habens maxima ex parte ecclesiasticas Curias opportunis mediis carere quibus recte ordinentur, constituit facultatem expresse impertire locorum Ordinariis ut adhibitis formis magis oeconomicis iurisdictionem suam in Clericos, ad disciplinam quod attinet, exerceant. Utque hinc iustitia incolumis servetur inde vero processus ad canonum praescriptum ab omnibus fiant, sequentes praestituit normas ab omnibus Curiis servandas.

I.

Ordinarii pro eorum munere pastorali, tenentur disciplinae ac correctioni consulere clericorum qui iisdem subduntur, eorum mores inspicere, atque ea opportuna remedia adhibere quae a sacris canonibus sive ad praecavenda sive ad corrigenda mala praescribuntur.

II.

Haec inter, alia ad praecavendum malum ordinantur, alia in eius coercitione ac medela vim suam exercent. Hinc priora ea amovere student quae aut scandalum aut occasionem voluntariam aut causam delinquendi proximam exhibent. Posteriora vero tum delinquentes ad meliorem frugem revocare tum damna ex crimine secuta reficere satagunt,

III.

Porro Ordinariis munus incumbit recensita hactenus remedia pro sua prudentia ac conscientia adhibendi prout rerum et adiunctorum natura et canones ecclesiastici exigunt.

IV.

Tra le misure preservative si annoverano principalmente il ritiro spirituale, le ammonizioni e i precetti.

V.

A tali provvedimenti deve precedere una verificazione sommaria del fatto; della quale è d' uopo che l' Ordinario tenga nota per poter procedere, se occorra, *ad ulteriora,* ed anche per darne conto all' autorità superiore in caso di legittimo ricorso.

VI.

Le canoniche ammonizioni si applicano o in forma paterna e segreta (anche per lettera o per interposta persona) ovvero in forma legale, facendone però sempre risultare da qualche atto la esecuzione.

VII.

Riuscendo le ammonizioni infruttuose, l' Ordinario prescrive alla Curia che sia ingiunto al delinquente analògo precetto, spiegando in esso quello che il precettato debba fare o non fare, colla comminatoria della corrispondente pena ecclesiastica, nella quale incorrerà in caso di contravvenzione.

VIII.

Il precetto viene intimato al prevenuto dal Cancelliere innanzi il Vicario generale; oppure alla presenza di due testimoni ecclesiastici, o laici di provata probità.

§ 1. L' atto si firma dalle parti che sono presenti, ed anche dal precettato, se vuole.

§ 2. Il Vicario generale può imporre ai testimoni il giuramento di conservare il segreto, se la natura del titolo, di cui trattasi, prudentemente lo richieda.

IX.

In quanto poi alle misure penali, avvertano i reverendissimi Ordinarii, che con la presente istruzione non s' intendono derogate le solennità dei giudizi volute dai sacri Canoni, Costituzioni Apostoliche ed altre ecclesiastiche disposizioni, ove queste possano liberamente ed efficacemente applicarsi; ma le forme eco-

IV.

Mediis quibus malum praecavetur, potissimum accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V.

His tamen praemittenda est summaria saltem facti notitia, cuius ab Ordinario habenda est ratio, ut si opus sit, *ad ulteriora* procedat vel etiam possit superiori auctoritati satisfacere si legitime ab aliquo ad illam recursus habeatur.

VI.

Monitiones vero *canonicae* fiant vel in forma paterna et secreta (adhibita etiam epistola vel interposita aliqua persona) vel in forma iuridica, ita tamen ut aliquo modo semper constet de facta monitione.

VII.

Monitionibus frustra adhibitis, Ordinarius Curiae mandet ut praeceptum opportunum intimetur delinquenti, quo eidem quid facere vel omittere debeat indicatur, addita si illud transgrediatur respondentis ecclesiasticae poenae comminatione.

VIII.

Praeceptum reo praevento intimatur a Cancellario coram Vicario generali; vel coram duobus testibus probatae integritatis, sive ecclesiasticis sive laicis.

§ 1. Actus subscribitur a partibus praesentibus, quin et a praevento si velit.

§ 2. Vicarius generalis, iurisiurandi vinculo obstringere potest testes ut secretum servent, si rei natura, de qua agitur, id ad prudentiae normam exigat.

IX.

Ad infligendas poenas quod spectat, sedulo Reverendissimi Ordinarii animadvertant, hanc instructionem haud efficere ut solemnitates in iudiciis servandae iuxta sacros canones, apostolicas constitutiones aliasque ecclesiasticas sanctiones abrogatae censeantur, quotiescumque libere et efficaciter usurpari possint; verum

nomiche mirano a provvedere per quei casi e per quelle Curie, in cui non si possa o non si creda espediente attuare i solenni procedimenti.

Rimane pure nel suo pieno vigore il rimedio stragiudiziale *ex informata conscientia* pei reati occulti, decretato dal S. Concilio di Trento nel cap. 1. sess. 14. *de Reform.* da adottarsi con quelle regole e riserve, che ha costantemente osservato nella interpretazione la S. C. del Concilio in più risoluzioni, e in specie nella Bosnien. e Sirmien. 20 Decembre 1873.

X.

Dovendosi agire criminalmente o per contravvenzione a precetto, o per reati communi, o per trasgressioni alle leggi della Chiesa, può essere compilato il processo nelle forme sommarie e senza strepito di giudizio, osservate sempre le regole sostanziali di giustizia.

XI.

Il Processo s' intraprende *ex officio,* o in seguito d' istanza, di querela, e di notizia in altro modo pervenuta in Curia, e si prosegue fino al termine, nello scopo di raggiungere con ogni cautela e riservatezza il discoprimento della verità, e di aver cognizione tanto del delitto, che della reità od innocenza dell' accusato.

XII.

La compilazione del processo può commettersi ad un probo ed idoneo ecclesiastico, assistito dall' attuario.

XIII.

Ogni Curia è d' uopo che abbia il suo Procuratore fiscale nell' interesse della giustizia e della legge.

XIV.

Per le occorrenti intimazioni o notificazioni, se non può aversi l' opera dei cursori della Curia, si supplisce con farle presentare da persona qualificata, che ne dia discarico; ovvero trasmettendole raccomandate per la Posta nei luoghi ove è in uso tale sistema postale, richiedendosene certificato di presentazione, di ricevimento, o rifiuto.

oeconomicus huiusmodi processus iis Curiis servandos praescribit in quibus solemnitates iudiciorum aut adhiberi nequeunt aut minus expedire videantur.

Insuper vim suam plene retinet remedium extraiudiciale quod *ex informata conscientia* appellatur, et pro criminibus occultis adhibendum decrevit Concilium tridentinum *(sess. 14 cap. 1 de Reform.)* iis tamen regulis ac cautionibus servatis quas in eiusdem capitis intellectu constanter adhibuit Sacra Congregatio Concilii in pluribus resolutionibus ac nominatim *in Bosnien. et Sirmien. 20 Decembr. 1873.*

X.

Quum criminaliter procedi opus sit sive ob praeceptorum infractionem sive ob communia crimina aut ecclesiasticarum legum violationem, processus ea ratione confici potest ut summaria forma absque strepitu iudicii fiat, servatis tamen semper iis regulis quae ad iustitiam essentialiter tuendam pertinent.

XI.

Processus vero *ex officio* instruitur aut post supplicem libellum exhibitum, aut occasione querelae, aut cuiuscumque notitiae a curia habitae, atque ad finem eo consilio perducitur ut maiori quo fieri potest cautione ac prudentia, veritas detegatur, et tum criminis notitia haberi, tum qui accusatus fuerat innocens aut reus cognosci possit.

XII.

Processus confici potest ab aliquo ecclesiastico viro probo ac idoneo cui opem suam conferet actuarius.

XIII.

In quacumque Curia adesse debet Procurator fiscalis ad iustitiae legisque tutelam.

XIV.

Si Curia cursores non habeat eorum munus pro intimationibus aliisque significationibus suppleri poterit ab aliqua qualificata persona quae de facto fidem faciat, vel documenta per tabellarios publicos specialiter commendata transmitti poterunt, ita tamen ut scripto constet de eorum exhibitione, receptione aut reiectione.

XV.

La base del fatto delittuoso può essere stabilita dalla esposizione che se n' è avuta in processo, convalidata o da informazioni autentiche, o da confessioni stragiudiziali, o da testimoniali deposizioni; ed in quanto al titolo di contravvenzione a precetto, risulta dalla riproduzione del decreto e dell' atto d' intimazione eseguiti ne' modi espressi agli Art. VII. ed VIII.

XVI.

A ritenere poi in specie la colpabilità dell' imputato è necessario di averne la prova legale, che deve contenere tali elementi da dimostrare la verità, o almeno da indurre una morale convinzione, rimosso ogni ragionevole dubbio in contrario.

XVII.

Le persone che convenga di esaminare, si sentano sempre separatamente.

XVIII.

I testimoni a prova o a difesa, quando non vi si oppongano legali ostacoli, devono essere intesi con giuramento, estendibile, se occorra, anche all' obbligo del segreto.

XIX.

I testimoni trovandosi lontani o in altra Diocesi, se ne domanda l' esame in sussidio all' Autorità ecclesiastica del luogo con invio alla medesima di un prospetto di fatto; e l' Autorità requisita corrisponde alla richiesta osservando le norme della presente Istruzione.

XX.

Qualora vengano indicati i testimoni per fatti e circostanze essenzialmente interessanti al merito della causa, e non possano aversi in esame, perchè non si reputi conveniente d' intimarli, ovvero perchè invitati vi si ricusino, se ne fa menzione in atti, e si procura di supplire alla deficienza di essi con le attestazioni di altri testimoni che *de relato,* o in altro modo, sieno informati di quanto si ricerca.

XXI.

Riunito tutto ciò che sia necessario a stabilire il fatto e la responsabilità dell' imputato, viene questo intimato all' esame.

XV.

Criminis iuridica existentia tum ex processus confectione authenticis communita informationibus aut confessionibus extraiudicialibus vel testium depositionibus constare poterit. Transgressio vero alicuius praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis iis servatis de quibus supra articulis VII et VIII.

XVI.

At vero ut accusatus tamquam reus haberi possit, ea iuridica probatione opus est, qua vel facti veritas omnino evidens sit, vel ea habeatur moralis certitudo quae prudens dubium omnino excludat.

XVII.

Qui examini subiici debent ii semper seorsim audiantur.

XVIII.

Testes sive ad probandum sive ad defensionem nisi lex aliqua obstet, iurati esse debent quin et si opus sit iuramento ad secretum servandum adigantur.

XIX.

Si qui forte ex iis absint, eorum examen fiet ab ecclesiastica auctoritate loci quo morantur ad quam facti expositio transmitti debet, haec vero supplet, servatis tamen iis quae in hac instructione praescribuntur.

XX.

Si vero quidam testes vel quoad factum vel quoad eius circumstantias veluti ad causam dirimendam omnino necessarii iudicentur neque tamen audiri possint vel quia non expedit vel quia nolunt; eorum in actis mentio fiat; horum vero defectus per alios testes *de relato* aut alio quovis modo fide dignos supplendus erit.

XXI.

Dum omnia sufficienter habeantur quibus factum eiusque imputabilitas eruatur, ad examen accusatus erit vocandus.

XXII.

Nella intimazione, se la prudenza non lo vieti, gli si espongono per esteso le accuse portate a suo carico, onde possa prepararsi a rispondervi.

XXIII.

Quando poi per la qualità delle accuse, o per le altre circostanze non sia prudenziale di esprimerle nella intimazione, in questa gli si accenna soltanto che è chiamato all' esame per discolparsi in una Causa che lo riguarda come inquisito.

XXIV.

Rifiutando egli di presentarsi, si rinnova la intimazione, nella quale gli si prefigge un congruo termine perentorio a comparire, e gli si notifica, che rendendosi ancora disubbidiente, si avrà come contumace e per tale sarà effettivamente tenuto, posto che senza dar prova di legittimo impedimento trasgredisse pur questa intimazione.

XXV.

Presentandosi, si sente in esame: e se fa induzioni valutabili, devono queste, per quanto si può, essere esaurite.

XXVI.

Si procede indi alla contestazione del fatto delittuoso, e delle risultanze che se ne sono avute, per credere l' inquisito colpevole, ed incorso nelle relative penalità canoniche.

XXVII.

Avendo in questo modo l' inquisito piena contezza di ciò che esiste in atti a suo carico, oltre al rispondere, può anche valersi del diritto che ha di difendersi da se stesso.

XXVIII.

Può altresì, se lo richiede, ottenere la prefissione di un termine ad esibire la difesa con memoria scritta, specialmente quando pel disposto dell' Art. XXIII. non avesse potuto prepararsi alle risposte di sua discolpa.

XXIX.

Ultimato il processo, il compilatore degli atti, forma il ristretto delle essenziali risultanze del medesimo.

XXII.

In citatione, nisi obstet prudentia, proponi ei debent per extensum accusationes adversus eum intentatae ut se praeparet ad eas disiiciendas.

XXIII.

Si vero vel ex accusationum qualitate vel alia de causa id prudenter fieri nequeat, generali modo ei iniungendum erit ut ad examen veniat et accusationem obiectam diluat.

XXIV.

Si renuat, iteratur intimatio eique praefigitur peremptorius terminus, simulque monetur eo termino elapso tamquam in contumacem animadversum iri: et reapse ceu talis habebitur nisi legitimam absentiae causam probet.

XXV.

Si in iudicio adest, examini subiicitur; et si alicuius momenti inductiones exhibeat eae, quantum fieri potest, exhauriendae erunt.

XXVI.

Deinde ad contestationem facti criminosi deveniendum est, simulque probationes exhibitae proferendae, quibus evincitur eum qui accusatur reum esse poenisque canonicis puniendum.

XXVII.

Cum hoc pacto reus conventus omnia cognoscet quae contra ipsum proferuntur, hic tum ea diluere tum se tueri iure poterit.

XXVIII.

Poterit tamen terminum aliquem etiam petere ad semet defendendum scripto, quod potissimum fieri debet cum ex dictis in art. XXIII. haud potuerit se paratum ad respondendum exhibere.

XXIX.

Processu absoluto, actorum instructor eiusdem essentialium conclusionum restrictum conficere debet.

XXX.

Nel giorno che si propone la Causa, l'inquisito è in facoltà di farsi rappresentare e difendere da altro sacerdote o da laico Patrocinatore preventivamente approvati dall' Ordinario.

XXXI.

Ove il prevenuto si ricusi di deputare il difensore, l'Ordinario provvede con destinargliene uno d'officio.

XXXII.

Il difensore con la dovuta riservatezza prende cognizione del processo e del ristretto di cancelleria, onde sia in grado di far la difesa, la quale può essere esibita precedentemente alla proposizione della Causa in fogli manoscritti. È pur esso soggetto all' obbligo giurato del segreto, qualora a giudizio dell' Ordinario la natura della Causa lo esiga.

XXXIII.

Si trasmette quindi al Procuratore fiscale il processo ed il ristretto perchè adempia alle sue incombenze di officio: e poi si passa l' uno e l' altro all' Ordinario, il quale, presa integra cognizione della Causa, destina il giorno in cui debba discutersi e decidersi, facendone dare participazione all' accusato.

XXXIV.

Nel giorno stabilito si propone la Causa innanzi al Vicario generale con l' intervento del Procuratore fiscale, del difensore e del cancelliere.

XXXV.

Dopo il parere fiscale, e le deduzioni difensive si pronunzia la sentenza, dettandosi al cancelliere la dispositiva, con espressa menzione, in caso di condanna, della sanzione canonica applicata contro l' imputato.

XXXVI.

La sentenza s' intima al prevenuto, il quale può interporre appello all' autorità ecclesiastica superiore.

XXX.

In causae tractatione inquisitus potest, si velit, repraesentari et defendi sive ab alio sacerdote sive a laico qui tamen prius ab Ordinario approbandi erunt.

XXXI.

Si reus praeventus defensorem sibi constituere nolit, Ordinarius unum ex officio eidem deputabit.

XXXII.

Defensor caute ex actis notitiam haurit causae ut eam possit tueri eiusque defensio etiam ante causae propositionem scripto poterit exhiberi. At si Ordinarius iudicet ex causae natura secretum iuramenti vinculo servandum esse, defensor quoque eodem obstringitur.

XXXIII.

Processus et restrictus dein ad procuratorem fiscalem transmittitur, ut ea quae ad ipsum pertinent exequatur; itemque, ad Ordinarium postea utrumque transmittitur, qui causae statu apprime perspecto, diem statuit quo discuti ac dirimi debeat simulque de hoc eum qui accusatur certiorem efficit.

XXXIV.

Statuta die causa proponitur coram Vicario Generali adstantibus procuratore fiscali, rei patrono et cancellario.

XXXV.

Auditis tum conclusionibus fiscalibus tum deductionibus pro defensione, sententia profertur, cancellario dispositivam partem scribente ex dictato, in eaque mentio expressa fieri debet si reus damnatur, canonicae sanctionis quae contra ipsum adhibetur.

XXXVI.

Sententia praevento indicitur, qui appellationem ad superiorem ecclesiasticam potestatem interponere potest.

XXXVII.

Per l' appello si osservano le norme stabilite dalla Costituzione *Ad militantes* della sa. me. di Benedetto XIV 30 Marzo 1742, e le altre emanate da questa S. Congregazione col Decreto 18 Dicembre 1835, e colla circolare 1 Agosto 1851.

XXXVIII.

La Comparsa per l' appello deve farsi nel termine di giorni dieci, dalla notifica della sentenza, scorso inutilmente questo termine, la sentenza stessa è in istato di essere eseguita.

XXXIX.

Interposto l' appello entro i dieci giorni, la Curia senza ritardo rimette all' Autorità ecclesiastica superiore, innanzi cui si è appellato, tutti gli atti originali della Causa, cioè il processo, il ristretto, le difese, e la sentenza.

XL.

L' autorità ecclesiastica superiore, presa cognizione dell' atto di appello, fa intimare all' appellante, che nel termine di giorni venti deputi il difensore, che deve essere approvato dalla medesima superiore autorità.

XLI.

Trascorso l' enunciato termine perentorio senza effetto, si ritiene che l' appellato abbia rinunziato al benefizio dell' appello, e questo viene in conseguenza dall' autorità superiore dichiarato perento.

XLII.

Producendosi l' appello della sentenza di una Curia vescovile alla metropolitana, l' Arcivescovo nella cognizione e decisione della Causa si attiene al metodo di procedura tracciato in questa istruzione.

XXXVII.

In iudicio appellationis servantur ea quae Benedictus XIV in sua constitutione *Ad militantes* 30 Martii 1742 praecepit, itemque huius S. Congregationis Decretum 18 Decembris 1835, et litterae encyclicae 1 Augusti 1851.

XXXVIII.

Appellatio fieri debet intra decem dies a sententiae notificatione, quo termino inutiliter elapso, sententia executioni debet demandari.

XXXIX.

Facta intra decem dies appellatione, Curia absque mora transmittere debet ad superiorem ecclesiasticam potestatem, ad quam appellatum est, omnes actus causae originales, scilicet processum, restrictum, defensionem et sententiam.

XL.

Potestas ecclesiastica superior, appellationis habita notitia, appellantem monet ut intra viginti dies defensorem sibi constituat, ab eadem superiore potestate approbandum.

XLI.

Si peremptorius hic terminus frustra elabatur, censetur appellans renunciasse appellationis beneficio et a potestate superiore appellatio consequenter edicitur perempta.

XLII.

Cum a sententia Curiae Episcopalis fiat appellatio ad Metropolitanum, hic in cognoscenda ac dirimenda causa instructionem hanc ceu normam in processu servare debet.

XLIII.

Se avvenga che un chierico, in onta al privilegio del foro sia per reati comuni sottoposto a procedura e giudicato dal potere laico, l' Ordinario in tal caso prende sommaria informazione del fatto delittuoso, ed esamina se a senso de' sacri Canoni esso può dar luogo ad infamia, ad irregolarità o ad altra ecclesiastica sanzione.

§ I. Finchè pende il giudizio, o l' imputato sia detenuto, è cosa prudente, che l' Ordinario si limiti a misure provvisionali.

§ II. Terminato però il giudizio, e reso libero l' accusato, la Curia, giusta i risultati delle informazioni come sopra assunte, procede analogamente a quanto è disposto nella presente istruzione.

XLIV.

Nei casi dubbi, e nelle varie difficoltà pratiche in cui possano incontrarsi, gli Ordinarii prendano consiglio da questa S. Congregazione per evitare contese e nullità.

XLIII.

Si contingat clericum contra fori privilegium a laica potestate ob communia crimina processui et iudicio subiici, Ordinarius eo in casu facti criminosi summariam notitiam capit simulque perpendit utrum ad sacrorum canonum praescriptum infamia aut irregularitas aut alia ecclesiastica sanctio locum habeat.

§ I. Iudicio nondum expleto vel quousque accusatus vinculis detinetur consultius est ut Ordinarius sese contineat in remediis provisoriis adhibendis.

§ II. Iudicio vero absoluto, reoque convento libertati reddito, Curia, iuxta informationes prius habitas earumque indolem procedit, si opus sit, iuxta modum in hac instructione praescriptum.

XLIV.

Si forte occurrant dubia aut difficultates practicae, Ordinarii ad vitandas contentiones et nullitates recurrant ad hanc S. Congregationem.

Ex Aud. SSmi diei 11 Iunii 1880.

SSmus Dnus Noster Leo Div. Prov. PP. XIII audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sac. Congregationis Episcoporum et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra.

I. Card. FERRIERI *Praef.*
I. B. Agnozzi *Secretarius.*

INSTITUTIONUM IURIS ECCLESIASTICI

INDEX ANALYTICUS

IURIS ECCLESIASTICI PROLEGOMENA

PARS PRIOR

IURIS ECCLESIASTICI PRAENOTIONES HISTORICAE

SECTIO PRIMA

DE IURIS ECCLESIASTICI HISTORICA EVOLUTIONE

SECTIO ALTERA

DE USU RECEPTIS CANONUM COLLECTIONIBUS EARUMQUE AUCTORITATE

PARS ALTERA

IURIS ECCLESIASTICI PRAENOTIONES THEORETICAE

TITULUS I.

DE IURIS UNIVERSIM ACCEPTI, AC NOMINATIM DE IURIS ECCLESIASTICI NOTIONE

TITULUS II.

DE IURIDICA CATHOLICAE ECCLESIAE CONSTITUTIONE SYNTAGMA

EXCURSUS DE FONTIBUS IURIS CANONICI

TITULUS III.

DE CONSTITUTIONIBUS

§ I.

De legis essentia

Scholia

§ II.

De legis exsistentia

ARTICULUS I.

De legis abrogatione seu derogatione

ARTICULUS II.

De dispensatione

ARTICULUS III.

De Epicheia

§ III.

De legis interpretatione

ARTICULUS I.

De regulis iuris

ARTICULUS II.

De praedictarum regularum usu

§ IV.

De iis quae ad certas legum species pertinent

Articulus I.

De legibus particularibus

Articulus II.

De rescriptis

Articulus III.

De privilegiis

TITULUS IV.

DE LEGE NON SCRIPTA SIVE DE CONSUETUDINE

TITULUS V.

DE IURIS ECCLESIASTICI OBIECTIVA PARTITIONE

INSTITUTIONUM IURIS ECCLESIASTICI

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS

TITULUS I.

DE IURE PERSONARUM

Scholion

TITULUS II.

DE CLERICORUM COMMUNIBUS IURIBUS AC PRIVILEGIIS

§ I.

De personali clericorum inviolabilitate
seu de privilegio Canonis nuncupato

§ II.

De privilegio fori

§ III.

De privilegio exemptionis

§ IV.

De amissione privilegiorum clericalium

TITULUS III.

DE COMMUNIBUS CLERICORUM OFFICIIS

TITULUS IV.

DE IIS QUI PROMOVERI NON POSSUNT

§ I.

De irregularitatibus ex delicto

§ II.

De irregularitatibus ex defectu

§ III.

De cessatione irregularitatum

TITULUS V.

DE REQUISITIS UT QUIS AD ORDINES POSSIT PROMOVERI

§ I.

De proprio ordinationis episcopo

§ II.

De lege interstitiorum deque temporibus ordinationum

§ III.

De titulo ordinationis

§ IV.

De aetate et qualitate ordinandorum

§ V.

De ordinationibus regularium

Scholia

TITULUS VI.

DE CLERICIS PRIMAE TONSURAE

TITULUS VII.

DE CLERICIS IN MINORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS

TITULUS VIII.

DE CLERICIS IN MAIORIBUS ORDINIBUS CONSTITUTIS

TITULUS IX.

DE POTESTATE ECCLESIASTICAE IURISDICTIONIS PROTHEORIA

§ I.

De natura, notione ac partitione ecclesiasticae iurisdictionis

§ II.

De requisitis ad habendam ecclesiasticam iurisdictionem

§ III.

De modo acquirendi ecclesiasticam iurisdictionem

ARTICULUS I.

De electione

ARTICULUS II.

De postulatione

ARTICULUS III.

De collatione

ARTICULUS IV.

De institutione et iurepatronatus

§ IV.

De exercitio ecclesiasticae iurisdictionis

§ V.

De cessatione ecclesiasticae iurisdictionis

Scholia

TITULUS X.

DE SUMMO PONTIFICE ET CURIA PONTIFICIA

§ I.

De S. R. E. Cardinalibus

§ II.

De Congregationibus romanis

§ III.

De reliquis Curiae Pontificiae administris

TITULUS XI.

DE PERSONIS QUIBUS PARS ALIQUA PONTIFICIAE IURISDICTIONIS COMMUNICATUR

TITULUS XIII.

DE CAPITULO ECCLESIAE CATHEDRALIS

TITULUS XIV.

DE PRAELATIS INFERIORIBUS

TITULUS XV.

DE PAROCHIS

Scholion

TITULUS XVI.

DE VICARIIS

§ I.

De vicario generali episcopi

§ II.

De vicariis foraneis

TITULUS XVII.

DE CONCILIIS

TITULUS XVIII.

DE COLLEGIIS CLERICORUM

§ I.

De capitulis

§ II.

De seminariis

TITULUS XIX.

DE REGULARIBUS

§ I.

Status religiosi evolutio historica

§ II.

De natura status religiosi

§ III.

De religiosa probatione aliisque cum ea connexis

§ IV.

De religiosa professione deque iis quae ad eam quoquo modo referuntur

Scholion

§ V.

De statu religioso minus perfecto seu de Congregationibus votorum simplicium nuncupatis

§ VI.

De regularium exemptionibus ac privilegiis

LIBER SECUNDUS

DE REBUS ECCLESIASTICIS

TITULUS I.

DE RERUM ECCLESIASTICARUM DIVISIONE

TITULUS II.

DE SACRAMENTIS ET DE SACRAMENTALIBUS

TITULUS III.

DE ECCLESIIS

§ I.

De ecclesiis aedificandis

§ II.

De ecclesiarum consecratione

§ III.

De ecclesiarum reparatione

§ IV.

De ecclesiarum reconciliatione

§ V.

De immunitate ecclesiarum

TITULUS IV.

DE ORATORIIS PUBLICIS ET PRIVATIS

TITULUS V.

DE SEPULTURIS

TITULUS VI.

DE RELIQUIS AD PRIORUM RERUM ECCLESIASTICARUM CLASSEM PERTINENTIBUS

§ I.

De sacris utensilibus

§ II.

De SS. Reliquiis et imaginibus

§ III.

De iure liturgico

TITULUS VII.

DE ECCLESIAE IURE IN BONA TEMPORALIA

§ I.

De iure possidendi

Scholion

§ II.

De iure administrandi

§ III.

De iure alienandi

TITULUS VIII.

DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS

TITULUS IX.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS

Scholion

TITULUS X.

DE BENEFICIIS

SECTIO I.

NOTIONES PRAEVIAE DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

§ I.

Rei beneficiariae historia

§ II.

De beneficiorum ecclesiasticorum natura ac multiplici partitione

Scholion

SECTIO II.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS SPECTANTIBUS AD BENEFICII CONSTITUTIONEM

§ I.

De beneficiorum collatione

§ II.

De beneficii ecclesiastici possessione

§ III.

De beneficiorum vacatione

SECTIO III.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS QUAE AD BENEFICIORUM CONSERVATIONEM ORDINANTUR

§ I.

De vetita beneficiorum multitudine

§ II.

De beneficiorum unione

§ III.

De beneficiorum divisione

Scholia

TITULUS XI.

DE COMMENDIS

TITULUS XII.

DE PENSIONIBUS

TITULUS XIII.

DE HOSPITALIBUS AC GENERATIM DE LOCIS PIIS NUNCUPATIS

TITULUS XIV.

DE MONASTERIIS

LIBER TERTIUS

DE IUDICIIS ECCLESIASTICIS

TITULUS I.

TRACTATIONIS INDOLES ET PARTITIO

PARS PRIOR

DE LEGIBUS GENERALIBUS IUDICII ECCLESIASTICI

TITULUS II.

DE IUDICIIS UNIVERSIM SPECTATIS

TITULUS III.

PRAELIMINARIA IUDICII ECCLESIASTICI

TITULUS IV.

DE CITATIONE, OBLATIONE LIBELLI ET LITIS CONTESTATIONE

TITULUS V.

DE IUREIURANDO CALUMNIAE ET MUTUIS PETITIONIBUS

TITULUS VI.

DE DILATIONIBUS, FERIIS, ORDINE COGNITIONUM ET PLUS PETITIONIBUS

TITULUS VII.

DE PROBATIONIBUS

§ I.

De confessis

§ II.

De probationibus in genere

§ III.

De testibus et attestationibus

§ IV.

De fide instrumentorum

§ V.

De praesumptionibus

§ VI.

De iureiurando

§ VII.

De exceptionibus et praescriptionibus

TITULUS VIII.

DE SENTENTIA ET RE IUDICATA

TITULUS IX.

DE APPELLATIONIBUS

TITULUS X.

DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM

PARS ALTERA SPECIALIS

SIVE

DE CAUSIS ECCLESIASTICIS BREVIS COMPLEXIO

SECTIO I.

DE CAUSIS BENEFICIALIBUS

§ I.

De causa possessionis et proprietatis

§ II.

De restitutione spoliatorum

§ III.

De aliis quae ad civiles causas clericorum referuntur

SECTIO II.

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

§ I.

Notiones praeviae
ad tractationem causarum matrimonialium

§ II.

De modo canonice procedendi in causis matrimonialibus

SECTIO III.

DE CAUSIS CRIMINALIBUS CLERICORUM

§ I.

De delictis et poenis

§ II.

De processu criminali ecclesiastico

REIMPRIMATUR
Fr. Raphaël Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

REIMPRIMATUR
Iosephus Cepetelli Archiep. Myren. Vicesgerens.

